
NAZIONALE
41
6 C
5
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

Anni MDLXXXXII.

AD PATRES, ET FRATRES eiuſdem Societatis.




FLORENTIAE
APVD PHILIPPVM IVNCTAM.
M. D. C.

Cum facultate Superiorum.



ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV Anni MDLXXXXII.

PATRIBUS, FRATRI-busque Societatis IESV Gratia & pax Christi Domini, &c.






VM mihi sit demandatũ à Superioribus, vt referam in Annales millesimi quingentesimi nonagesimi secundi res gestas earum Prouinciarum, quarum ad nos in Vr-

bem commentarij peruenerunt; ea explicare institui non per domicilia, sed per capita rerum. Quoniam id propius accedit ad leges, & morem historiæ, commodius accidit ad vsum exemplorum, magis implet aures argumentum totum sub vno titulo compræhensum, quam idem in incisa rerum diuersissimarum connexione sparsum locis plurimis; & multo maxime vt experiremur, dum non e singulis Collegijs, sed è singulis Prouincijs vnũ corpus efficitur, vtrum sine vlla offensione vitari posset ingrata illa prolixitas, quæ nasci solet è repetitione rerũ leuiorum, atque communium. Siq; succederet ex voto, ij quibus probaretur hæc ratio eam proposito exemplo non dicam

tam imitari, sed perficere possent. Quare studium domesticæ disciplinæ, susceptæ verberationes, laceræ vestes, spiritualia exercitia, obita Nosocomia, ægri, moribundi, publicæ custodiæ, patibula, erepti a cæde, peccatis, periculis, sublatæ superstitiones, Societates cũ dęmone, praui ritus, petitiones iniustæ, constitutæ paces, connubia, bonæ consuetudines: frequẽs concio, templum, & alia huiusmodi, quæ scimus communia esse, atque frequentia vniuersæ Societati, quanquam sunt multa laude digna, solum tamen attingentur cum aliqua singularis causa, vel peculiare adiunctum ita faciendum esse persuaserit. Quæ aut genere aut nouitate, aut alia ratione sint accommodata, verè ad Socie-

tatem pertineant, ac denique cum dignitate proponi posse videantur, ea persequemur omnia. Suppeditet nobis Christus IESVS tantam copiam sui sancti Spiritus; vt scriptores potius argumentis, quã scriptoribus argumenta desint.





PROVINCIA ROMANA.



OC anno præter centenos, qui in professorum Domo viuere solent; aluit Romana Prouincia socios quingentos & viginti dispertitos in domicilia vnde viginti. Roma vna nouem stationibus continuit.

Collegium tres, & ducentos. viginti ex ijs in ternas diuisi residentias domestica prædia procurarunt. Domus Probationis nonaginta. Pœnitentiariorum viginti. Seminarium Romanum duos, & viginti. Germanicum quindecim. Anglicum vndecim. Græcum sex. Maronicum duos. Laureti collegium nostrum quinque, & triginta, Illiricum quatuor. Collegium Florentinum duos, & viginti. Duo minus Perusinum. Senense vnde viginti. Maceratense septemdecim. Recinetense quindecim. Tybertinum duodecim. Montis Sancti septem. Ingressi in Societatem tres, & quadraginta. Ex his septemdecim dedit Romanum Gymnasium, binos Recinetense Collegium. Germanicũ quatuor. Obierunt octodecim. Rector quidem Lauretanus morti fuit, ita vicinus, vt cœlesti viatico rite sumpto extremam ad pugnam sacro oleo inunctus, rebusque necessarijs funeri com-

paratis à plerisque pro mortuo haberetur, quoque appareret diuina magis, quã humana ope discrimini ereptum, Abbatissa quædam egregiæ sanctitatis fama, roganti Ministro Collegij, vt animam Rectoris iam eam agentis cum suis virginibus Deo commendaret; Bono, inquit, animo, Pater, iube esse Rectorem; haud quaquam cum isto morbo moriturum. Audax visa prædictio; sed vana non fuit; ea ipsa nocte morbus sudore depulsus, medicis ex repentina valetudine admiratione defixis.

Doctrina Christiana, aliaq; animorum præsidia.

Egregie nauata est opera proximis. E Romano Collegio plus duodecim in sacris virginum cænobijs, templis, nosocomijs, custodijs verbi diuini sementem facere non desistunt; opportuniore præsertim tempore Aduentus, Quadragesimæ. Catechismus vbique personat, Laureti insigniter, magna vtilitate puerorum, non minore circunfusæ grandiorum natu multitudinis, & præcipue domesticorum, ac parentum. qui dum filios præscripta discentes domi, recitantes in templo, passim cantitantes exaudiunt; eadem ipsi tacitè perdocentur. Ea res accendit studia multorum. Finitimus Episcopus cum salutatum B. Virginem Lauretanam

venißet, sacerdotem nostrum teneræ ætatis mentes, Christianæ doctrinæ rudimentis imbuentem offendit; quem cum amplius horam subauscultasset attentius; hominis vel sedulitatem, vel patientiam admirans, Collegij Rectorem obsecrauit enixe, illum vt sibi ad suæ Diœcesis Parochos in eo genere instituendos ad breue tempus concederet. Ibidem summi percepti fructus ex nostrorum Pænitentiariorum labore, qui summus est propter incredibilem multitudinem virorum, ac mulierum, qui toto ferme anno vndique ad B. Mariæ domum confluunt, eo plerumque consilio, vt abstersa superioris vitæ quasi fuligine, nouum vitæ genus instituant, aut etiam Virgini vota rite persoluant, Nec mirum; illa nostros conatus adiuuat. quo in genere sæpe diuina vis, & huius loci sanctitas facile apparet. Deligam vnum exemplum de multis vnde fiat coniectura de cæteris. Vir quidam honestus, ac diues, filiolum, quem vnicum habebat, vicinæ mulieri tradiderat alendum summa cura, indulgentiaque. erat infans, quippe ante nonum mensem natus, valetudine imbecilla. quocirca graui morbo correptus, subito interijt. ibi tum metu exanimata nutrix, confestim relicta patria ad B. Mariam Lauretanam sola confugit, & ad genua nostri Sacerdotis accidens, se confessione munit; quippe prouidebat fore, vt pater pueri, homo natura ferox, amissi repente filij dolore fureret in pestem

suam. neque eam opinio, aut spes fefellit. simul ac ille se vnico orbatum filio cognouit, furore amens arma corripit, & fugientem mulierem propere sequitur. Lauretum ingressus, recta contendit in templum, sclopettis duobus instru ctis; nutricem cōquirit ea mente, vt vel in ipsa Lauretana domo deprehensam ante oculos B. Mariæ confoderet. Vbi ad sacram Virginis ædem venit, in medio Templo sitam; (inibi tum forte mulier ignara quantum sibi periculum impenderet, a Deo supplex petebat opem) homo furens repente iter vertit alio; veritus scilicet, ne si sanctissimum illud limen intraret, loci sanctitas iratum leniret pectus, & ad mansuetudinem flecteret. quid multa? dum toto tēplo fanatici instar discurrit, vt iram, atq; odiū expleat suum, ante aram Sanctissimæ domui extrinsecus adiunctam forte præteriens nescio quomodo genu summisit. repente sacro quodā horrore perfusus adeo mentem mutauit, vt statim vnum è nostris sacerdotem adiret; & abiectis armis cum muliere redit in gratiam, quam haud vanam fuisse ostendit euentus; quippe mulier vna cum viro suo domum ab illo recepti, & domesticis, rusticisque operibus præpositi B. Virgine periculum vertente in auxilium.

Auxilia corporis data proximis.

S*Vbuentum etiam corporibus, vt ea opera in auxilium redundaret animorum. Multarū*

adole-

adolescentularum pudor periclitabatur ob mendicitatem, atque desidiam. coemptum à nobis linum, & singulis per matronam honestam distributum est pensum diurnum; laborisq; precio persoluto consultum est illarum non modo egestati; verum etiam inertiæ, atque otio; quorum insidias non minus vereri pudicitia debet, quam paupertatis. Laudabile inuentum factū est hoc in domo Lauretana; pro qua in ornatum, cultumque Deiparæ Virginis ad nos è diuersis regionibus transmissa dona sunt aureorum plus septem millium. Florentiæ quoque illa industriæ coniuncta caritas, plurimos permouit ad largiendum. Cum multum æs in frequentissima concione perpetuo corrogaretur, distribuebatur per quatuor, aut quinque spectata virtute viros qui lustratis antea priuatorum egenorum ædibus; vt queque erant egentissimæ, ita illas ordine in codicem referebant. qua ratione eo difficillimo tempore percommode subuentum est multis calamitosis familijs. Perusij prope continuus est nostrorum excursus ad ægros morti proximos; cum vulgo dictitent, non videri sibi officio satis fungi, nisi curent vt ex nostris aliquis præsto sit ægrotantibus. Romæ Nouitij triginta in quodā Nosocomio ad mensem ipsū ægrotis ministrarunt. magnum præ se tulerunt ardorem caritatis, studium Christianæ summissionis, cæterarumque virtutum; idcirco magno adiumento, & solatio fuerunt ægris; non mino-

ri documento ministris mercenarijs, cæterisque domesticis. Quod Valetudinarij Præfectus luculentissimo testimonio, eoque consignato litteris patentibus confirmauit. Hæc à nostris in ciues: illa vicissim à ciuibus profecta sunt in nostros.

Templa, & collegia locupletata.

Recinetensi Collegio liberalitate pioru͂ hominum accessere quadringe͂ti circiter aurei; & sacellum atque ara auro, & coloribus exornata; quæ templo magnum splendorem addunt: Florentiæ vir bonus moriens, cum statuisset dicere hæredem Christum; dixit Societatem; cum tamen nulli e nostris confiteri peccata soleret. Dempta certa pecuniæ summa, quam sexaginta puellis in matrimonium collocandis attribuit, ad nos aurei circiter septingenti peruenerunt:

Hoc anno ibidem obijt Bartholomæus Ammanatus maritus Lauræ Battiferræ. per illustre par coniugum. fuit ille architettus atq; celator tota Italia celeberrimus; nec postponendus plurimis antiquorum, vt fidem faciu͂t eius tùm scripta, tùm opera, quæ passim ab earum artium studiosis nõ sine admiratione conspiciuntur. Eximius vterque fuit religione, atq; virtute; nostrum vterque ordinem summa caritate; pietate; constantia coluit; templum perele-

gans;

gans, quod vir ipse descripsit vtriusque opera & sumptibus ad culonem vsque perductum. ipsos viginti annos, aut eo amplius magno virtutis ardore, totiusq; ciuitatis exemplo nobiscum assiduè versati sunt; quippe quibus erat Collegijs cura potissima. cumque liberis carerent non modo facultates omnes post suum obitū peruenire voluerūt ad nostros, quos multos ante annos exactè instituerūt hęredes; quicquid ex necessario vitæ cultu subtrahere possent; ad ędiū nostrarum templiq; exædificationē, ad vsū Collegij, quasi ad filios summa cū voluptate conferebant; tanto Collegij bono, vt quamuis post obitum ad nos, plus septem millibus aureorum accesserint; tamen eorum morte etiam temporalem iacturam fecisse videamur: dum viuerent societati profuerunt; cum Societate versati sunt; prouiderunt, vt etiam post mortem Societati prodessent, & essent aliquo modo cum Societate; in eius enim gremio collocari sua ossa voluerunt, sepultique sunt in ædicula à se exornata eius Templi, quod perpetuum erit eorum pietatis ac liberalitatis monumentum.

Scholæ, & Congregationis.

PErusiæ reuocata est tertia Grammaticæ classis, quæ ante bienninm indigentia, & caritas annonæ dissoluerat. In Romano Gymnasio propter ingētem numerum duplicandæ fuerunt

postremæ Grammaticæ classes. in quas hoc anno primum introducta Græca lingua est non sine præmijs, breuique Dialogo. Senis geminæ grandiorum natu sodalitates in vnam coniunctæ migrarunt in illustriorem, ampliOremq; locum. Recineti cum honestis egentibus Congregatio pro veteri instituto, & pro virili subueniat; ex his vnus pauperes in angiportis, in ædibus abiectioribus, atque desertis, magna sedulitate inquirit; illis tanta caritate, tanto documento ciuitatis procurat, afferri, ipse ministrat medicamenta corporis, & animi; vt multi ciuium exemplo permoti magnam pecuniarum summam ad eam rem libenter homini permittant. Perusino sodali res accidit, cui licet hoc eadem anno narrentur aliæ per similes, non tamen est reticenda; cum enim sit in eo genere, in quo rarum est iuuenibus vincere, breui temporis interuallo sæpius, reportata victoria illustriorem habet splendorem, statuit exemplum certius, & vertit in maiorem gloriam Deiparæ Virginis, in cuius plerumque patrocinio, atque numine talia facinora perpetrantur. Is, quem dicebam die dominico, qui proximè cineralia præit; cum se suorum studiorum causa domi contineret, pulsato cubiculi hostio, surgit; impudentem offendit mulierculam illuc à duobus contubernalibus data opera perductam. illico fores occludit. illa perstat pulsando. pudicus adolescens cum se oppugnari sentiret, ad B. Virginem con-

confugit, eius litanias, aliasque precationes magno feruore pronunciat. interim petulans fœmina per vim aperta ianua, iuuenem adoritur; quid faciat iuuenis? vim vi propulsat calcibus, pugnis, verberibus primum impetum frangit: tanto ardore spiritus in obsistentes irrumpit, vt ipse arrepta fuga fugauerit hostes, relinquendo pallium, spolia ex ijsdem opima reportauerit. & simili castimonia antiquum exemplum Iosephi Patriarchæ renouauerit.

Collegium Germanicum, & Anglicum.

VEnit in Collegium Germanicum Cardinalis Montis regalis, vt nomine summi Pontificis Alumnis indiceret scholam iuris Pontificij, eosque tum ad illud, tum ad cætera studia alacriter prosequenda adhortaretur. magnum habuit momentum. explicatur ius canonicum ab externo magistro alumnis intra domesticos parietes. In cultu Ecclesiastico rite adhibendo magna ponitur opera; ex quo alumni in translatione solemni Sanctorum Martyrum Prothi, & Hyacinthi, a Pontifice Maximo sacrum illud feretrum gestare iussi sunt, quamuis id muneris ad Patriarchales Ecclesias pertinere videretur.

Fælix initium huius anni Anglicano Collegio

legio attulit nuncius allatus de alumno cui nomen Pormertus, qui hinc profectus paulo post in Anglia, vt alias alij, in Christiana causa non nisi profusa vita conquieuit. Nuncij immanis edicti postremo a Regina propositi, diræque vexationis, qua ibi catholici premuntur nihil imminuerunt animi ardorem redeundi ad veram religionem tuendam, quin eo vehementius inflammati reuertendi cupiditate, quo faciliorem aditum ad effundendum propter Deum sanguinem cernunt. Cardinalis Alanus huic furori tantisper cedendum esse censuit; & ijs, qui studiorum spatia essent emensi in Gallia, uel Hispania diuersandum, dum tempestas persecutionis desæuiret: efflagitarunt ij, vt propius accedere liceret ad littora vicina Angliæ, & in Belgio vel in Scotia præstolari opportunitatem. idque eo consilio, vt aiebant, quod sperent si ibi essent, facile se per litteras ab eodem impetraturos potestatem in Angliam quoque penetrandi. Duo ex hac vita migrarunt hac vna re mœrentes, quod in lectulo, non in acie pro Christo morerentur. Eorum alter miro animi candore, ac summissione iuuenis, extremo illo tempore bis alto quodam mentis excessu abreptus, vt ad se redijt, visum sibi esse dixit suum Angelum custodem, & Sanctum Thomam Apostolum diuum tutelarem sui nominis (vocabatur enim Thomas Vduardus) ab ijs per visum in amœnissima loca perductus ea vidit,

quæ

quæ plus verbis plenissimis hilaritate, desiderio Cæli, in Deum amore, quàm propria narratione explicabat: clausulam habuit reliquæ vitæ similem, ita multus fuerat in studio pietatis, vt cum logicus esset, ipsæ schedulæ quibus se in syllogismorum formulis exercebat, omnes pietatem olerent, ac plane spirituales essent, vnum in exemplum apponam, quod erat huiusmodi; sempiterna vita, sempiterno, si fieri posset, labore esset emenda, Paradisi gloria vita est sempiterna; labore igitur, si fieri poßet, esset emenda sempiterno. vsque eo pij viri omnia in Deum referunt, Deum vbique, si quærant, inueniunt. Alter iam theologus, paulò ante obitum vt in Societatem nostram admitteretur summis precibus impetrauit: cum diceret multis id se annis exoptasse, verum, vt ante in Angliam ire posset petitionem distulisse. Octo sacerdotes in Angliam ad rem catholicam iuuandam dimissi mense septembri, cum a Sancto Pontifice potestatem abeundi peterent, de more, & benigne auditi sunt, & benignissime cōpellati; cum inter cætera piè commotus animo Pastor optimus se eis inuidere tam certam occasionē martyrij diceret. Nec minor fuit animorum commotio, quam in eorum discessu Collegium, eiusque moderatores magna vi lacrymarū vtrinq; profusa significauerunt. Et sanè omnium ardor erat maximus, præsertim vero Ioannis Tulesij (id erat iuuenis nomen,) qui profecto ardere

diuini

diuini amoris igne videbatur, vt eius incensa oratio sine admiratione audiri non posset. eo in medio ponti Miluio (illuc enim vsque magna pars alumnorum exeuntes Vrbe prosequuta est) ad contubernales conuersus; en, inquit, magno à vobis gaudio Christi causa diuellor, & hic iam gradus, quem facio, primus, est ad martyrium gradus. prædictionem comprobauit euentus; nam quasi recta ad cædem pergeret vix pedem in Angliæ portum intulit, cum interceptus vna cum aliis duobus (qui an ex comitibus fuerint adhuc resciri non potuit) è satellitum manibus euasit. deinde verò iterum captus, crudeli eius regionis more fidei causa suspensus est; & trucidatus.

Missiones.

IN Anglia Sanctus Christi confessor Thomas Mettanus morte iustorum moritur in custodia: in qua propter fidem catholicam septimum iam, ac decimum annum detinebatur: martyrium eo molestius, quo diuturnius; eo seuerius, quo remotius ab effusione sanguinis, quam ille tantopere exoptabat. Ac ne beatus ille carcer esset nostris hominibus vacuus, in eundem, P. Mettani loco, est inclusus P. Robertus Sotuellus, ac iã tertio ita grauiter tortus, vt prope animam egerit (missus è nostro Romano Collegio fuerat) hanc vnam vocem ex-

tor-

torſerunt. Sum ſacerdos; & verbis abſit iactantia, religioſus è Societate Ieſu. traieci in Angliam, vt meis ciuibus, quam veritatem catholicam in Romano fonte religionis hauſi, verbo explicarem, teſtarer ſanguine. ſi titulũ mortis quæritis, hoc ſit ſatis cauſæ ad extremum ſupplicium. proferte ferrum, ſatis fiet votis veſtris, atque meis: mortem intendetis, martyrium referam. non deerit tanto animo illa corona.

E Romano Collegio bini de noſtris miſſi ſunt in oppida Vrbeſq; propinquas, Reate, Setiam, Montem Francum, Oruietum. longior ſim, antiquo ſi more proſequi velim quicquid illi operæ poſuerint, quicquid illi fructus collegerint, prætermittenda ſunt omnia vſitata, communia, quamquam hæc ita multa, atque opportuna fuerunt, vt certe multitudinem, atque opportunitatem ſingularem habeant, & eximiam. attingam nonnulla è multis, quæ ſolatio, atque documento poſſint eſſe Socijs, & è quibus fiat coniectura de cæteris. Opera illa noſtra gratuita, pro Inſtituto Societatis nulla ex parte mercennaria, qua fit, vt magno animo pecunias, & dona non modo non expetantur, ſed vltro ſummiſque precibus oblata reijciantur, ſecundum Deum primas partes habuit ad proximorum animos præparandos, quod etiam alicubi ſummam habuit admirationem: cum enim Superioribus res neceſſarias ab Vrbe ſubmittentibus

bus hinc nihil attingeremus de suo, hinc nullis vigilijs, laboribus, incommodis pro eorum vtilitate parceretur, cum catechismi canticis in obscœnarum Odarum locum substitutis agri, valles, colles sacrosancto IESV, Mariæque nomine, & insolitis Dei laudibus personarent, cum multi dæmones ex obsessis Dei beneficio, & exorcismis eijcerentur, repræsentari sibi, & redijsse tempora nascentis Ecclesiæ prædicabãt. multa dissidia sublata sunt, etiam inter familias principes, inueterata, annorum interdum duodeuiginti, non sine magna contentione corporis, animique, cùm ad rem nihil æquè conducere compertum est, ac suppliciter id a Deo contendere, cui omnis voluntas loquitur, atq; ipsos dissidentes maxima tractare humanitate, pari tolerare patientia. Vbique ludi magistri accensi ad teneras mentes puerorum imbuendas pietate, deque eius præstandi ratione diligenter instructi preceptis, pijsque libellis in manibus habent ætatem integram, & apud suos multum valent auctoritate, ex quo prodesse plurimum possunt, si velint. Quoniam fructus eorum diuturnior, & amplior esse solet, varijs in locis institutæ sodalitates, deuinctæ legibus, vel egenorum, vel doctrinæ Christianæ, vel pacificationũ, vel aliorum procuratione munerum pro opportunitate loci, atque temporis. Rate Congregatio est in hunc modum erecta, vt e singulis Parœcijs, vna cum Parocho bini fideles, probatiq;

viri

viri delecti, suæ quisque Parœciæ inopiam egestatemque cognoscant; simulque deinde coacti, singulis egentibus quam optime prospiciant; neque vero solum inopiæ pecunia consulant; verum etiam animorum dissidijs, & morbis consilio, atque prudentia medeantur. Inductus Oruieti mos est Deiparæ Virginis consalutandæ, quoties ad æris campani signum publicum initur à magistratu consilium; quo commodius, & fælicius deliberatio trāsigatur ab omnibus, quam illi sententijs, cæteri precibus adiuuent. In Monte Franco pia vxor mæsta erat admodum propter impium statum viri sui, qui nouē ipsos annos publica vrbis offensione numquam se Deo per confessionem conciliauerat, illique, vt spiritus saluus fieret à Deipara Virgine morbum corporis impetrauit, quo sex diebus adductus est ad extremum vitæ discrimen. is igitur, dum vexatio dat intellectum, accersito nostro sacerdote peccata detegit, ipso initio incepit dicere mali grauitatem confitendi labore nihil admodum augeri, paulo pòst se melius etiā habere, atque ita deinceps, quo longius expiata mente procedebat, eo maiorem sibi ad valetudinem fieri accessionem. ergo confessione absoluta omnem quoque vim morbi sentit esse depulsam, & postridie mane, summa medicorum admiratione de lectulo surgit incolumis, vt infirmitatem ad vitam animi, non ad mortem corporis esse cognosceret. Occulto Dei permissu nefarius

farius

farius quidam iuuenis, qui deinde, vt veneficus, miserabili vitam exitu conclusit in vinculis, malorum Dæmonum lue oppidum illud infecerat, quos in fœminas multas, easque omnes sibi propinquas, per inuidiam dumtaxat, atque odium illigauerat, ij pro diuina prouidentia, quæ semper solet mittere cum morbo medelam, qua hebdomada eo nostri pedem intulerunt cepere se cum furore prodere. factum periculum, vtrum id fieret aliqua mentis, aut corporis imbecillitate vi melancholiæ, aut humoris alterius; sed cum ea denuntiatione arcanorum, quæ solus ipse pater nouerat, ea intelligentia peregrini sermonis, ex motu schedulæ alteriusue rei procul distantis, quam nemo pertingeret, et similibus experimentis compertum est, inibi naturam esse mortali maiorem; admota remedia sunt superiora corporeis, exorcismi, ieiunia, mortificationes, diuturnæ; humillimæque ad Deum preces. his armis victum est, expulsi hostes, captiui liberati, receptæ arces animatæ quas occupauerant. tres dæmones, dum pellerentur, cum querimonia fatebantur inuiti, se præter uim exorcizantium, obseruantia obsessæ fœminæ in Dei matrem expelli. Deipara, inquiunt, interdixerat ne suo die, hoc est die sabbati, aut vim, aut tantam vexationem adhiberemus, vt illa percurrere coronam precatoriã non posset; contra vero si vel semel sua sponte, aut alijs tentationibus; excepta vi, intermisisset

set; licebat nobis eam statim, vel in proximum fluuium, vel ab his altissimis rupibus dare praecipitem. numquam intermisit, & nos nihil lucrati in summa spe, re tamen infecta deturbamur.

Laureto Eugubium excursum est à Sacerdote eo solum consilio, vt ad sanitatem mẽtis Deo duce reuocaret virum quẽdam nobilem; qui annos iam quatuor, & viginti à Sacramento penitentiæ publico dolore Episcopi suorum, & vrbis abstinebat. vsque eo animo dissidebat à coniuge pia, nobilissimaque fæmina, vt, quemadmodum amicè deinde retulerunt, hæc decreuerit facto diuortio repetere paternas ædes, iureiurãdo adhibito numquam se in viri sui cõspectũm esse vẽturam: ille statutum habuerit in animo, ac deliberatum eo recedere, vnde neq; vbi nam esset scire, aut subodorari vnquam poßent. Sacerdos eo die forte hominem offendit lugentem filij natu maximi mortem, sollicitum de morbo alterius, qui afflictatus assidua febri decumbebat. hominem clam seducit, & vsus occasione exorditur ab eo, ne filium vnum a Deo sibi miretur ereptum, ereptum iri alios nisi resipiscat. Deum, vt est expertus, multæ esse pacientiæ, nõ minoris esse iustitiæ. si semel flagellum arripit, vt contra eum arripuiße videtur, non consistere in primo ictu, multiplicare verbere donec hominem vel corrigat, vel proterat. alijs huiusmodi ita vrgere persistit; vt eadem hora vir il-

le de confesſione peccatorum inſtituenda ſeriọ cogitare ceperit, odia ſimultateſque deponere, & paulo poſt vna cum coniuge, quod numquā antea ſimul egerant ſacrum Euchariſtiæ conuiuium iniuerint, quo vtriuſque ita copulati ſunt animi; vt ſibi tum primum coniunxiſſe connubium viderentur. vtq; plenum eſſet gaudium, adit Sacerdos alium filium laborantem, quique ſi moreretur, parentes cum eo ſe pariter extinquendos eſſe dicebant, iubet omnes po ſitis genibus Deo ſupplicare, ipſe interim precandi formula a Sancto Vincentio Ferrerio inſtituta, vſus; eiuſdē Beati viri reliquias puero admouet, qui illico relictus a febri conualuit, nec amplius eſt eo morbo tentatus. factum conuertit ad ſe totius vrbis admirationem, ac ſermonem cum magna dei gloria, nec ſine laude Societatis magnæ factæ gratulationes; vxori præſertim honeſtisſimæ fœminæ, quæ cum ante virum haberet materiam perpetui mœroris, cum modo eſſet in maximo luctu propter filios alterum languentem, alterum emortuum; illico tanta, tamque repentina mutatione ad tantam eſt euecta lætitiam, vt palam prædicaret Dominum eſſe qui mortificat, & viuificat. In his locis magna eſt Societati vniuerſæ conciliata beneuolentia, eaque declarata non modo quaſi per vim retinendis ijs patribus, & à Patre Generali repoſcendis; verum etiam cupiditate impetrandi Collegia, etiam atque etiam

poscit Oruietum. quod negocium Illustrissimus Cardinalis Simoncellus imprimis prouehit, qui & millenos nummos aureos defert, locumque ad nostra munera exequenda peropportunum.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Nostrûm Numerus, Ingressus, Obitus.



APITA trecenta quadraginta septem versantur in hac Prouincia, decem plane domiciliis. Neapoli in Professorum domo nouem, & sexaginta. In Collegio decem supra centum. In Nouitiatu quinquaginta. In Collegio Nolano septem supra viginti. Septem minus in Aletino. In Catacensi, Bariensi, Salernitano, Cosentino singulis senideni. In sede Barulitana septem. Dissolutum est Collegium Cirinolanum, quod oppidum erat nostris muneribus impar, curatumq; vt id fieret quàm paratissimis oppidanis, & fundatoribus. Mortui sunt duodecim, sex, & viginti recepti.

Ad fidem bonamque frugem Conuersi.

NEapoli in domo professa septem Turcæ ad Christianam religionem aggregati iucundiores quodammodo fecerunt labores toleratos in ijs conuertendis, & erudiendis. Cum in templo nostro, festo die, solemni pompa, conuentu celeberrimo Patronis, & Compatribus Principibus viris, atque Dynastis, albis ipsi induti vestibus, sacro Baptismi fonte lustrati sunt summa, piaque spectantium gratulatione, testata plausu, atque lacrymis. Captiui quinque Algerij recõciliati sunt Christo, quem deseruerãt. Ereptæ e quæstu meretricio per quadragesimales Conciones fœminæ sex: neue quod ijs fere accidere solet, prauæ consuetudinis æstu retraherentur in pelagus, per Matronas societati deuotas curatum est, vt ligarentur matrimonio, vel in alio tuto portu collocarentur. Adolescens, qui colebat societatẽ, male cautus inijt amicitiam cum Græculo Mago, & cum Clerico Apostata, qui non vnum, sed plures ordines deseruerat. curiositate potius, quàm auaritia ductus, thesauri effodiendi causa, cum ijs prope Puteolos cryptam, aut verius cuniculos quosdam ingreditur; vbi perueniunt ad imum locum. Momento temporis faces, lanterna,

atque vniuersa lumina extinguntur, & Apostata exclamans, heu, cōcidit mortuus. perterritus adolescens, perterritus Magus studijs disparibus. Ille confugit ad Sanctam Barbarā, quam præcipuam patronam colebat, procidit in genua precibus, pœnitentia, promissis precatur propitios cœlites. Hic ad incantationes conuertitur, aduocat Dæmones, cū sæpius verberato silice, neque scintillam ignis eo tempore impetrare posset ab ijs paulo post liberalissimis futuris. Deum, diuosque maledictis execrandis onerat. Dispari exitu hic inter blasphemias animum efflat. Ille foras euadit incolumis animam apud nostros generali cōfessione purgat; melioremque vitam instituit, satis superque doctus quid expectandum sit à malefico, & quid de homine desertore sperandum.

Catacæ quidam e summo templo clam subripuerat Margaritas, & gemmas pretij, nō contemnendi. Vnum excommunicationis vncum subterfugere non potuit. eoque impacto morbū contraxit, quem pluribus mensibus à se remouere numquam potuit, donec nostro suadente per vomitum alienæ rei valetudinem corporis animique recepit. Consentiæ vir nobilissimus, æque dißolutissimus, cultu Societatis ad eam probitatem perductus est; vt laceratus vulneribus lætalibus Deo gratias egerit, elaborauerit, vt crimen condonaretur percußoribus, à suisq; contenderit, vt idem efficerent.

Oratio in Templis, & Doctrina Christiana.

PRecatio quadraginta horarum, quæ postremis baccanalibus instituta est; ad auertendam, vel frangendam licentiam populi furentis tantam habet celebritatem, multitudinem obeuntium sacramenta Confessionis, & Eucharistię, vt eos dies prope addidisse videatur ad Quadragesimales. Magnam vim habuit ad populum retinendum pompa exterioris apparatus, perpetuæ conciones, adhortationes, cantus. idque iam in omnibus ferè collegijs: ex quo numerare loca singula superfluū est: & res alioqui dignissima, cum facta sit communis, vt paxeatur nouis legibus annalium, proximis litteris, non attingetur. In professorum Domo: Traditur ibi Doctrina christiana priuatim pueris, & hominibus. at in Neapolitano Collegio diebus festis in diuersis classibus opifices octingentos prope numeres studio doctrinæ, atque vitæ christianæ vacantes. Quæ vtilitates, ex eo manarint plus habent veritatis, quam speciei vniuersa Ciuitas probat illa vero, & pio quodam animi sensu commouetur, cum elato hominis tenuissimi cadauere spectet quingentos viros prosequentes ordine summa significatione pietatis recitantes coronam, officium B. Virginis,

ginis, aliasue preces. at multo magis extollit, & cum admiratione suspicit mirum in modum correctam in contrahendo, & in rebus agendis fidem.

Congregationes Deiparæ Virginis.

N*Olæ ad vetera sodalitia Clericorum, & Nobilium accessit tertiũ discipulorum: sunt ita bonus odor Christi, vt ad scholas attraxerint religiosas familias sanctorum Augustini, atque Francisci, nec nõ seminarium: Neapoli in Collegio, cum Regnum vsque eo morbis præmeretur, & inopia. statuerunt Congregationes ad iram Diuinam placandam, vt quisque aliquid in medium è suis opibus spiritualibus afferret ieiunia, verberationes voluntarias, vsum cilicij, peregrinationes, eleemosinas, varias corporis afflictiones, opera misericordię atque pietatis. numerum attigerunt octo, & viginti millium. & vero his thesauris vexationes peccatis debitę redimuntur. tres, & sexaginta è suis hoc vno anno exceptos à sæculo incluserunt in arce religionis. quantum ibi studium virtutis vbi ita multi ad tantum perfectionis culmen efflorescunt? Quidam vero sodalis, cui frater est interemptus iniuriam Deiparæ Virgini condonatam, neque priuata vi,*

neque iudicio publico prosequi voluit. sed curauit, vt percussor statim admitteretur in congregationem. vt, inquit, culpam clarius agnoscat, detestetur vehementius, & meliore fide in gratiam cum Deo redeat. animum inimico reddidit, qui corpus videbatur esse crepturus. In professorum domo Congregatio Nobilium vsa occasione, multorum sanauit animos, dum curat corpora; nam ad sacramentorum vsum, vitamque meliorem allexit familias honestas, sed inopes, quas pudor à mendicando prohibet ijs nomine extraordinariæ eleemosynæ elargita est aureos mille quingentos. Quidam donauit aureos ducentos; vt defenderentur binæ Virgines; quarum honestatem ipsa mater oppugnabat. Alter Alesij mendicum vlceribus plenum, atque sordibus medio foro sustulit in humero, & non sine magna omnium admiratione vsque ad xenodochium portauit. Incertus plane sum, vtrum referam eum, qui migraturus è uita pia quadam simplicitate iussit, vt schedulæ omnes; quæ sibi menstrua sortitione sanctorum obtigerant monilis in speciem contextæ de collo suspenderentur, vt eo, vel ornatu, vel patrocinio munitior obuiam morti procedat.

Adiumenta Corporis.

NEapoli cum pueri enecti fame, atque nuditate reperirentur interdum in angulis *vrbis*

vrbis extincti, cæteri ab vno professorum coacti sunt in certum locum, vbi aluntur sumptibus piæ Matronæ, & opera Collegij instituun tur Christiana doctrina, atque moribus. Cataeg pugnandum fuit contra famem, & contra mortem, quæ graßabantur in populum. Enitendum vt locupletissimi certos pauperes susciperent alendos. vt alijs donetur panis è publico, emendicanda stipis hostiatim, pro ijs, qui retinebantur in carcere; neque tempus erat tergiuersandi; aut agendi segniter, omnibus fere in extrema necessitate constitutis. Eaq; ipsa efficiebantur; dum cuncta decumbentium, atque morientium gemitu perstreperet. vt vbique, vel in mortuos; vel in moribundos incideres, vel cœli intemperies, vel morbi contagio, spatio breuissimi temporis absumpsit ad duo millia capitum. numerus in non maxima ciuitate maximus. atque omnibus metu perculsis, nulli omnino, neq; ipsi parochi accedere audebant ad ægros muniendos sacramentis, aut in morte iuuandos: ex quo Dei beneficio totus labor, idest tota meriti seges in societatem recidit, vt clauso interdum Collegio nostri omnes numero sexdecim, nec certo spatio sumpto ad necessariā quietē, noctes totas, totosque dies impenderent ad varia auxilia animarum, in priuatis domibus, in publicis custodijs, inter pericula, non dubia, & contagionis, & mortis. utque id constaret apertius, tres occumbuerunt. in quibus P. Leonardus S. Angeli

geli Rector, & qui Rectori succesfit P. Francifcus Moranus quorum vterque id morte sua teftatum reliquit. se Rectores debuiffe fratribus fuis, non minus laborum, atque periculorū exemplo, quam munere, atq; dignitate præire: Salerni excitatus Mons eft, quem Pietatis appellant, ærarium pauperum virorum, atque honeftarum Virginum. Ne illi conficiantur fœnore, ne harum pudicitia propter carentiam dotis periclitetur. Hinc fit, vt dum alienæ nos inopiæ fubuenimus, Deus noftræ curam fufcipiat: Alesij in hac fumma annonæ inopia frumentum abunde fuppeditatum. Templo donata luftrale vafculum, cum afpergillo, pixis vna, calices duo, Chrifti effigies ad pacis ofculum, Crux plena reliquijs. omnia ex argento. bina ornamenta, tùm facerdotis, tùm altaris, aliud ex aurea tela, aliud ex argentea. Collati aurei ducenti quadraginta, vt circumducerentur argento reliquiæ, ex capitibus vndecim millium Virginum, quas tranfmifit R. P. Generalis. Legati aurei octingenti, mille attributi ad fcholarum exædificationem. bina templi facella exornata funt inaurato lapide. Nolæ vt bina item exornentur attributi aurei octingenti; donatus lychnus penfilis ex argento. Sapro profefforum veftiario fupellex addita aureorum circiter fexcentorum. Domui vero hoc toto biennio erogati aurei vicies mille, quibus folutum æs alienum aureorum tredecim millium, cæteris prouifum noftræ vitæ necesfitatibus.

Mif-

Missiones.

BArio excursum est in Bituntinos. A domicilio professorum, Policastrum, Tarentum, Aquilam, Algerium olim saldas elaboratum plurimum in ministeriis Societatis nostræ solitis. Quæ patrata sunt Aquilæ, si genus ipsum rerum consideres vulgaria iudices. si vero multitudinem, opportunitatem, vtilitatē, cætera adiuncta, sunt eximia. Cōmune est compositam esse pacem inter duos fratres Germanos ex patre, sed odiorum diuturnitas, multæ; grauesq; cædes hinc inde patratæ, scissa in duas factiones ciuitas, irrita aliorum in iis conciliandi opera; faciunt, vt hanc ego narrationem, iisque persimiles ægre prætercam. Captiui sexaginta liberati pecunia; atque Algerio Neapolim reducti, per vrbem incedentes attulerūt populo magnam uoluptatem, & incitamentum ad illud opus vrgendum. Consentia itum in vicinum oppidum, in quo; vt diuturnior esset populi vtilitas, neue, quod ferè accidit, discedentibus nostris cuncta diffluerent, prudenti consilio institutæ sodalitates; quæ nō suos modo fratres in certo quodam genere piorum operum exerceant, verum etiam alios verbo, atque exemplo doceant. Idem factum in oppidis Policastro vicinis. In quorum vnum, vix credas, sacrarū imaginum cognitio fere nulla peruenerat: cum facultas

cultas non eßet suppeditandi singulis, docti sūt elegantes cruces è lignis componere, collocare in cubiculis, colere mane, atque vespere. quod tanta probatione fecerunt, vt certo die mensis, quo Christi corpus de more oppidorum circumfertur. eas ipsi manu gestarint, dum prosequerentur: laudandum pietatis indicium. ex quo incitantur ad progrediendum modestius, & ad cruces elegantiores, non sine religionis decore, atque vtilitate concinnandas.

PROVINCIA SICILIA.



ENTENI circiter Messanæ, atque Panormi; hic domus Professorum cū nouitijs habuit capita septem, & sexaginta, Collegium quatuor, & triginta Messanæ verò par domui, Collegium. Collegio Nouitiatus. Catana triginta numerauit. Syracusæ tres, & viginti. Calataiero septendecim. totidem Drepanum. Biuona sexdecim. Minium quatuordecim. Rhegium duodecim. totidem Mons Regalis Residentia. Calataneslensis quatuor; Ex quo numerauit hic annus socios omnino trecentos quinquaginta tres, eripuit quindecim, adscripsit vnum, & qua-

quadraginta, addidit bina Collegia ad quatuordecim domicilia quibus Prouincia Sicula continetur, alterum Marſale, quod propediem inchoabitur, alterum Melitæ voluntate, atque opera Clementis Pontificis eoque miſſi ſunt tres è noſtris.

Qui obierunt, & qui in ſocietatem adſcripti ſunt.

PAnormi in domo profeſſa deceſſit P. Ioan. Baptiſta Rugerius imitandus ob æquitatem animi, qua nullo diſcrimine audiebat cuiuſcunque conditionis, atque fortunæ confitentes. E ſodalitio opificum octo ſocietatem ingreſſi, quorum vnum oſtendit ſe elegiſſe viam conſiliorum, cum percutienti grauiter maxillam vnam, porrexit aliam.

In Collegio autem Congregatio B. Virginis quatuor ſocietati dedit, migrauit è vitæ incomodis Ioãnes Baptiſta Tuballinus inſignis ob naturæ dona, inſignior ob virtutes animi; is totũ ſeptenniũ oppugnatus acerbiſſima paralyſi propter neruorum diſſolutionem omni motu priuatus reliquit inuictæ patientiæ documentum; neque prouocatus à ſuperioribus adduci potuit, vt aliquid vnquam ad ſuam voluntatem peteret: in doloribus acerrimis nunquam dedit ſignũ doloris, quin Spiritus ſancti munere tantam lætitiam

titiam

titiam animi, vultus hylaritate præferebat, vt intuentes in eum, viderent faciem eius: tanquã faciem Angeli, nec quiquam ad eum accederet animo ita afflicto, atque perturbato, quin pacatus erectusque discederet. In Collegio Messanensi ex maiori Congregatione studentium adscripti in societatem quatuor, tres è minori. migrauit in cœlum vti speramus. P. Antonius Sardus senex innato candore animi, atque simplicitate dilectus Deo, & hominibus: Illustris erat toto Regno ob insignem peritiam, & quendam quasi principatum artis medicæ. audiuit à Christo Veni post me faciam te fieri medicum animorum, quam vocẽ ita generosè complexus est, vt non modo se suaque animum, corpus, seruos, fortunas omnes, sed vniuersam propè familiam Deo deuouerit. Filiam, & vxorem caram in primis adduxit, vt cuperent, & amplecterentur Monasterium sacrarum mulierum suo magno ære, maiore labore exædificatum, ipse raro exemplo societatem ingressus præmissis tribus liberis, adolescentibus tantæ indolis quantam illorum præclarus exitus confirmauit, & vno facto se multiplex holocaustũ offerret Christo illique nõ vno, sed pluribus animis seruiret, quem habiturus est æternum generis propagatorem in cælo. Calataierone P. Gaspari Satalię Rectori per visum apparuit socius quidam noster, qui obierat priore anno. illumque monuit, se pararet ad mortem; quippe fore, vt intra certos

tos

sos menses migraret è vita. vt credas, inquit, vaticinationem eiusdem generis vaticinatione confirmatam, post dies non ita multos peribit P. Hieronimus Falconus. incidit in morbum hic P. Hieronimus, septimo die perit. tum verò nihil dubitans Rector se diligentissime comparare, aliorum se orationibus etiam per literas commendare, & præstare illa omnia, quæ ad tantum negotium conducerent. nec fuit labor inanis, nã tempore præstituto adfuit febris mortis prænuncia. hanc consequuta decimo quinto die mors est, qualem decebat eum, qui annos tres supra triginta in societate vixerat, & qualem se ab eo exigere illa prædictione ostenderat Deus optimus Maximus.

Quæ in communi fame præstita sunt à nobis.

Communis penuria, communem occasionem caritatis exercendę præbuit; nam in hoc ipso horreo Italiæ vsque eo inopia rei frumentariæ laboratum est, vt passim necessitas corporis in periculum traheret mulierum, virginumque pudorem animas plurimorum. nostro consilio, labore, ære enisũ est, vt vniuersi subleuarẽtur adhibita nostra opera, admota opera aliorũ, idq; tum Biuonæ, in Monte Regali, & aliis ferè Collegiis, tum Drepani; vbi publicum consilium nostrorum

strorum suasu collectum cum ea de re deliberaret; statuit inter cætera vt vir è Societate pro concione diuites, atque nobiles hortaretur ad effusam largitionem eleemosinarũ. quod Deo uerba animante ita succesſit, vt aurei torques, è collo detracti, argentea vasa aliaque eiusmodi in medium collata magna pauperibus auxilia coegerint. Meſſanæ Nouitij virtutem, & ostenderunt, & auxerunt, dum sæpisſimè annona ostiatim emendicanda, & in carcerem suis humeris portanda tulerunt opem captiuis, quorũ inopia vsque eo processerat, vt è Ferreis cancellis grandi hamo vagantes, in via canes expiscarentur, ac summo plausu (argumentum summæ miseriæ) partirentur in alimentum. Congregatio nobilium amplexa inopes est menstruis, & amplioribus eleemosinis: Maior verò Congregatio studiosorum partienda cum iisdem parte proprij panis, qui viritim, & parce distribuebatur, ostendit se opibus quidem inferiorem esse, pietate verò non imparem. Panormitana domus quamquam accesſu Nouitiatus aggrauata non exiguo numero nouitiorum toto illo tempore pauperes ducentos aluit; effecit vt ternis domicilijs haberent separatum famis, & mortis effugium viri, fœminæ, pueri. Nostri ter ad stipem pro ijs poscendam egresſi vna cum Archiepiscopo atque Senatu, quos commodisſimè in partem consilij, atque operis traxerunt. hos conatus Deus ita fortunauit, vt inter plausus

pre-

probantium, admirantium, offerentium sponte qua centenos, qua quingentenos aureos decretum sit de annuo redditu constituendo, cuius caput summam attingeret aureorum viginti millium. sed institutum annona laxata dissoluit; impensa tamen ad duodecim millia aureorum præter eam pecuniæ vim, quæ priuatim donanda fuit ingenuo pudori multorum familiarum.

Nouitiorum Constantia.

NOuitiorum in domo probationis constantiam Dæmon varijs modis per eorũ fortissimos hostes, nempe domesticos oppugnauit; sed continenter victus, & vinci se indignatus quẽdam pro palam aggressus est, qui cubabat, statim post ingressum morbo periculoso correptus vsus occasione induit pij modestiq; adolescentis aspectum. consolari ægrũ, condolere morbi grauitatẽ, insinuare vnicã esse illius curandi rationẽ, vitã laxiorem, blanditias parentum, secularia commoda, atque domestica; longum esse cursum religionis, qui terminatur ijsdem quibus vita spatijs; non esse illi de meta cogitandum, qui propter virium imbecillitatem in carceribus defecerit, adolescens primo commoueri, & contra tentationem identidem inuocare IESV nomen; vbi verò in orationis progressu, non modo pulsari aures, sed


etiam cor accendi facibus quibusdam furialibus animaduertit, suspicatus id quod erat, subeße Dæmonem, prosilit è lecto, eumq; vasculo aquæ benedictæ perfudit, qui tùm se maximè dæmonem ostendit, cum subito diffugiens ab oculis adolescentis euanuit.

Quę nomine æleemoſinę piorum caritas ſocietatem donauerit.

D*Ebemus gratum animum, & orationes pijs amicis. eorum morte ad Drepanitanum Collegium acceßerunt aurei mille ad Monte Regalense fundus, quem octingentis æstimes. Minæi coempta vinea vicina Vrbi, atque percommoda nostris vsibus. Messanæ; quidam integra valetudine testamentum obsignauerat, quo reliquerat nobis decem millia aureorum, & capsam confectam rebus, vt fama est, maximi pretij; ad eius obitum id filijs ægerrimè ferentibus Collegium perfacile cessit iuri suo, qua magnitudine animi ita victi hæredes, vt libentes, & vltro bis mille aureorum obtulerint, quæque probatio consecuta hoc factum est emenda illo dispendio fuerit. Supellectilem, qua auctum sacrum vestiarium est duobus millibus aureorum æstimes.*

PRO-

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



Ocij ducenti duodecim. Domicilia septem. Mediolani fere centum. quatuor & triginta inter Professos ad sancti fidelis. duo supra sexaginta in Collegio. duo & triginta in Aronensi Nouitiatu. triginta in Collegio Genuensi. Augustæ Taurinorum totidem. duodecim inter Vercellenses. par numerus inter Comenses. recepti in Societatem septem decem. Tres dedit Beata Virgo è suo cœtu Brerano. duos Taurinēse Collegiū. vtrumque insignitum laurea iuris scientiæ. alterum etiam in publica Academia professorem. mortui sex.

Ad fidem religionemue traducti.

G*Enuæ Turcæ duo aggregati Ecclesiæ. A socijs Taurinensibus reconciliati sunt Christo hæretici quinque ex his duo in eo cœno nati, atque nutriti; Hebrea virgo lustrata fonte baptismi. Alia item insigni pulcri-*

tudine perdite amabatur a viro potenti: pia matrona rem subodorata, eam in domum suā recipit, vt ab imminenti periculo liberet: sed eum neque se tutam satis videret aduersus im potentis amatoris opes; eam clam Mediolanū amandat, (erat enim in ciuitate proxima) atque Societati cōmendat. O altitudo sapientię, atque scientiæ Dei. alius diuinus amator felices illi tendebat insidias; hominem quasi venaticum canem immiserat, vt eam in suos laqueos salutares impelleret. collocatur in externo tecto honestissimo: docetur de fide Christiana: quam ita auide imbibit, ita constanter amplectitur; vt magis hanc secuta esse, quam fugisse vim appareret. spem procus ostendit legitimi coniugij. quod illa prius cogitauerat quidem, sed ausa non erat sperare, neq; optare. quamlibet monuisset longe impar atque honestissima conditio, non tamē eam, cui se Christus sponsus ostenderat. summa omnium ordinum frequentia atque gratulatione baptizatur, Deoque dicat florem illum ætatis, & monasterium dote comparata per nostros ingreditur. E mulieribus, quæ nostrum templū sacramentorum causa frequentant quatuordecim nuntium remiserunt huic mundo, & vel Capuccinas, vt vocant, vel alia religiosa instituta complexæ sunt.

Con-

Congregationes. Auxilia parata proximis.

BRerana Congregatio secunda celebri pompa, atque apparatu migrauit in amplum, nouumque oratorium Aronæ ad cæteras accessit alia ex indigenis adolescentibus. Genuæ in triremibus, institutum sodalitium est, quod legem suscepit confitendi singulis mensibus, curandi, vt qui in suo ligno animam efflant, suscipiant ante mortem Ecclesiæ sacramenta, demortui vero suffragia missæ, ac funeris. in quę pecuniolam ipsi corradunt ex necessarijs vitæ suæ alimentis. Inde legati duo sunt ad montanos ligures Christianis officijs imbuendos. nouem in pagis institutæ scholæ, in quibus euangelica rudimenta tradantur. vtque sit fructus diuturnior creati ministri, & quasi magistratus operis: Illud Nouocomi, ad legem diuinam promulgandam excogitatū est vtiliter. Publico edicto santitum est, Vt omnes Curiones festis diebus Christianæ doctrinę ludum aperiant. Nemo ad Sacramenta, neque ad matrimonium admittatur, quin e concepta quadam formula profiteatur, memoriterque recitet capita fidei saluti necessaria. Eandemque formulam inter festi sacri solemnia. Parochus audiente populo clara voce pronunciet.

ciet. stipem emendicauimus, qua in publicò carcere erectum sacellum, & ara ad faciendā rem diuinam, sacramque Eucharistiam administrandam ijs, qui neci adiudicati sunt. In Taurinis paratum domicilium, portus naufraganti pudori virginum.

Insignis virtutis exempla.

MVlti leuati peccatis, & ære alieno, quò grauabant conscientiam. Fecit Mediolani Sacerdos e nostris, vt quidam aureos restitueret quingentos. Multi ad virtutem impulsi; vt vnum, aut alterum afferam eorum profectus indicium. Iuueni opulento, & eleganti oblata est ad flagitiosam voluptatem virgo, egena, sed elegantior. Ingentibus machinis oppugnatur animus. sed ratio ita fortiter defendit arcem; vt puellam intactam, deductorem obiurgatum dimiserit, statimque cum nostro sacerdote egerit de illius integritate ab his periculis eripienda. Vt detur, & suus honos fœminis. in simili casu similis fuit fœminæ cuiusdam virtus; nisi tamen idcirco superior, quoniam sexu erat inferior. dolose ab infida comite in suburbanam villam recreationis causa deducitur: post multa deseritur sola in cubiculo; in quo erat impurus adolescens absconditus. prosilit is ab insidijs. fores primum occupat, & claudit. at illa cum se vi-

se videt vndique muro circumuallatam, & imminere sicarium occisorem gratiæ; Deo plena, est, inquit, operę pretium vt corpus etiam discrimine proprio se tueatur a labe, & animum, culpæ pręripiat: se proripit à scelestis manibus, & saltu per fenestram deijcit. Dominus dux eius fuit, nulla ex parte læsa æstuans cuiusdam cælestis solatij magnitudine, extemplo suum confessarium adit. obsecratque pro se gratias agat Deo; cuius ope erepta esset à tam certa cæde animi, deinde corporis.

Aedificiorum, & rei familiaris incrementa.

ARonæ excitatum in templo nostro sacellum perelegans Deiparę Virgini. Domi vero cubicula aliquot percommoda, ijs qui vacaturi sunt meditationibus Societatis. Vercellis in suburbano Collegij erectum nobis ædificium, quod à tectis rusticanis esset seiunctum. Genuæ e veteri D. Ambrosii migratum est in partem noui templi quod dedicatum est nomini IESV Die D. Laurentij, qui patronus vrbis est. Archiepiscopus Centurio præsentibus Duce, senatu, maxima nobilium, & plebis frequentia fecit ibi primum sacrum. peracta res est eo apparatu, pompa, lætitia, qua


conueniebat, vt ita loquar, tantæ ſponſę nuptijs. Sacro veſtario. S. Fidelis argentum atque veſtes acceſſerunt aureorum ſeptingentorum. Vincentius Furnarius nobilis ciuis Genuenſis tantam habebat opinionem de virtute Societatis, vt nulla incideret ægritudo animi, aut corporis, nullum negotium difficilius aggrederetur, quin vel coram, vel per nuntium commendari ſe poſceret noſtris ſacrificijs, & orationibus; nullam tamen habebat nobiſcum conſuetudinem: & confeſſario alterius ordinis vtebatur. incidit in morbum, quem, vt ſenſit eſſe poſtremum, quaſi nos reſeruaſſet in tempus illud, nulli ad ſe fecit aditum ſalutandi, aut viſitandi gratia, non conſanguineis, nō ſorori; vnum accerſiuit, & perpetuo adhibuit Rectorem Collegij. vnum illum voluit in morbo conſolatorem, in morte adiutorem. Deceſsit cum maxima ſignificatione pietatis. Triennio ante cum nobis erat prope omnino incognitus, ſecretum teſtamentum condiderat; reſignatum eſt magna affinium & amicorum expectatione. inuenerunt ab eo Collegium Societatis hæredem dictum, atq; ſua manu præſcriptum his verbis. Admodum Reuerendi Patres ad maximam gloriam Dei, vos ego hæredes meos inſtituo, hanc vnam ob cauſam: quod militatis ſub ſalutari nomine IESV; vos, obſecro, illum deprecamini vt mihi miſero ſit IESVS. ac pro mea anima ad Deum opti-

optimum maximum, nec non ad Deiparam Virginem patronam peccantium eas preces fundite, quas vestra vobis caritas præscribet. quæ vobis relinquo pauca sunt, affectus ingens. & cætera. Dignus plane cui e suis spiritualibus opibus rependat aliquid quicumq; præsentes litteras perlegeret. ne spes eum fallat, quam de Societatis caritate conceperat: sed magnum sentiat se fecisse emolumentum, dum nobis nihil singulare præscribit, nihil certum a nobis exigit, reque tota fidei Societatis permissa nullis conditionibus cum ea transigit.

PROVINCIA

VENETA.

Domicilia, Capita, Aduentus R. P. Generalis; & aliorum virorum Principum.



Tationibus duodecim Prouincia Veneta socios omnino trecentos cõtinuit, quinquaginta Patauij, vnum supra quadraginta Brixiæ, quinque & triginta Venetijs, Triginta Nouellariæ, Quinque & viginti Bu-

ti Bononiæ, Tres & viginti Ferrariæ, Vndeuigínti Veronæ, Octonideni Parmæ, atque Mantuæ, Sexdecim Placentiæ, tredecim in Foroliuij, Decem Mutinæ, Duo denique in Cretæ; Soluti humanæ militiæ vinculis octo; dederũt nomina quatuordecim. Potuit aliquandiu hęc Prouincia noua felicitate numerare inter suos Nostrum Reuerendum P. Generalem, qui à summo Pontifice missus in Cisalpinam Galliã ad pacem inter Parmensem Principem & Ducem Mantuæ componendam, mirum in modum sola præsentia exhilarauit Collegia, Bononiense, Mantuanum, Nouellariense, Parmensẽ. Prohibeor persequi pluribus, quantũ calcar nostris ad perfectionem addiderit, quantũ externis admirationis reliquerit pijs sermonibus, raris mansuetudinis, pietatis, humilitatis, & cæterarum virtutum exemplis, quibus dubium omnino reliquit, vtrum honores, quos illi summos hi principes adhibuerunt personæ potius, an virtuti tribuerint. Præ hoc reticemus Cardinales Illustrißimos Cananum, Sfondratum, & Borromæum; Serenißimos Principes Bauari ducis filios, qui familiarißime inuiserunt ea nostra loca, quæ in eorum iter inciderunt.

Gymnasia.

PArmæ explicare cœpimus casus conscientiæ magno concursu; non minore Parochorum, clericorumque vtilitate. Mutinæ vero duabus classibus Humanitatem, atque Grammaticam primo ingressu numerauimus centum discipulos. Brixiæ scholæ florent, vt cum maxime, ita multi confluunt e vicinis vrbibus; vt sine dubio plures excludantur, quam admittantur. factum est vt Præceptor externus, qui tamen, & ipse e nostra officina prodijt ludum litterarium aperiat prope Collegium, in quo tenuiores pueri tantisper erudiantur, & informentur, donec sint scholis nostris idonei. miras inde capimus vtilitates. eo satisfacimus importunis multorum ciuium precibus, qui suos filios quamuis ineptos, recipi tamen a nobis efflagitant, etiam sæpe recipiendi essent magno magistri, aliorum discipulorum, & gymnasij totius incommodo, eo quasi nouo gradu subiecto altius extitit totius gymnasij nostrarumque litterarum apex; eo denique redduntur quodammodo capaciores vniuersæ nostræ classes, vt longe plures perficiant, atque perpoliant. Inuentum omnino percommodum, dignumque quod collegia plerumque imitentur.

Do-

Doctrina Christiana.

FActa semina disciplinæ Euangelicæ in pagos septuaginta, qui Veronæ adiacent; tanto paganorum studio, vt ante lucem templum cum funalibus peterent. Mantuæ instituta Congregatio, vt inter alia sit quoddam doctrinæ Christianæ quasi præsidium, atque fundamentum. Brixiæ, quo solo eadem, & sci te coli, & vberiore fructu demeti solet, explicata est sex tẽplorũ exedris: Ad eandẽ festorũ dierum pomeridianis horis coguntur nostri discipuli, qui vt eos dies totos virtuti deuouẽt, mane a suis magistris, narrandis religionis exemplis, rebusque gestis virorum illustrium, grata, & spiritali collatione retinentur, & ad pietatem instituuntur.

Templa.

MAntuæ nunc primum templum nostrum in quadragesima conciones, & reliquo anni tempore sacras lectiones habuit. Vidit in maiore hebdomada ducem Serenissimum, quem præferentem Christi patiẽtis imaginem prosequebatur longus ordo hominum supplicantium. Parmæ in solẽni ieiunio profuit, & placuit publica quædam, sed breuis meditatio, in qua Sacerdos capita orationis

ita explicando præibat, ita meditabatur cum Auditoribus, vt eos, & doceret orare, etiam ad orandum alliceret. Deinde extremo quasi colloquio armonico cantu psalmi alicuius reficiebantur animi, & Pater accepta summi sacramenti pixide, quæ patebat exposita, benedicebat populo, omnesque fausta prece, & cum gaudio summo dimittebat. Inuẽtum neque nouum, neque admirabile, dignum tamen quod referatur, & propter facilem imitationem, & propter nouum concursum vtilitatemque singularem, quam hoc loco peperit. Bononiæ inter multos aliena reddẽtes, dignus est, qui commemorentur vnus, qui aureorum duo millia legitimo domino restituit.

Transitiones factæ ad fidem, sacrasque familias.

TRansierunt ad Christum Ferrariæ fœminæ binæ a Turcis, viri tres a Iudæis, a quibus etiam fœmina vna Mantuæ. Veronæ a sæculo ad varios ordines octodecim, ad nostrũ quinque, ad quem etiam alij duo adolescentes ex congregationibus Patauinis. Eorum non reticenda est in societate colenda constantia, cum clausis scholis omnibus, nulla priuata ratione, sed sola beneuolentia ducti diuelli a nostris ædibus minime possint. Quidam sa-

crilegus apostata addens sceleri scelus, vt isti hominum generi plurimum accidit, adiecit animum ad nefarias nuptias, rem transigit, postridie sibi adiuncturus erat vxorem, cum Deus vltor scelerum præuertens thorum, pheretro nuptiales tædas hominis, facibus inferis, atque sempiternis commutauit. Alius eiusdem farinæ vir, & suæ ipse familiæ desertor tam seuera certaque vltione Dei perterritus repente deserit aulam celeberrimi dynastæ, in qua aliquot annos vixerat, aduolat Venetias, adit nostros eorum opera Deo, suæque familiæ reconciliatur. diuinoque consilio fit medicina vni mors alterius.

Reliquiæ, & alia quædam Societati tradita.

PRouocat nos beneficijs Deus Optimus Maximus, vt in eius amore progrediamur. Res familiaris Veneta creuit aureis mille ducentis. Veronensis mille trecentis. Brixiensis mille quingentis. Ferrariæ binæ domus emptæ ad angustias collegij nostri Laxandas. Easdem Parmæ ita admirati sunt quidam dũ magna cupiditate collegium nostrum inuiserent, vt exædificationem promouere statuerint, a nobis multo ante conceptam. Iam aureos plus mille in eum finem sepositos habemus,

mus, quorum quadringentos donavit Dux Ranusius Farnesius, qui paternæ virtutis hæres, ita nos colit, vt in eo viuere credamus Alexandrum. Porro Mutinenses non stabiliti minus annuo reditu trecentorum aureorum, & situ accomodatiore nostris vsibus, quam robore sacrorum ossium, quo templum, & firmatum est, & exornatum. Ea fuere bina capita alterum vndecim millium virginum, alterum ex cohorte Sancti Gereonis, duæ item tibiæ militum Thebæorum, quæ omnia cum Pontificis, & Archiepiscopi litteris Colonia nobis dono sunt allata.

PROVINCIAE
FRANCIA, ET AQVITANIA.





TEMPORVM calamitas, ac bellici tumultus, quibus afflicta est hoc anno vniuersa Gallia fecerunt vt itinera infesta essent suspicionibus, militibus, latronibus, omnia interciperentur. quare & ipsum literarum commercium, aut nullum fuit, aut admodum tenue, atque periculosum. eam ob causam in duabus Prouinciis Francia, & Aquitania, neque mitti, neque colligi de more po-

re po-

re potuit rerum nostrarum commentarius. Peruenerunt in vrbem quędam capita, quæ priuatis literis ad suos Prouinciales direxerant Rectores quorundã Collegiorũ, quę infra nominabimus. ne & illa intereant. ex ijs redacti quasi in vnam prouinciam, nos mutilem illud quidem, & mancum, sed vt potuimus vnum quasi corpus confecimus. Petrocorium & Residentia S. Macarij ad Aquitaniam pertinent, reliqua ad Franciam.

Quare habuit hinc annus in Parisiensi Collegio duos & viginti. adscripsit in Societatem quinque. habuit in Augensi octodecim. decessere duo. in Musipontano habuit octo. obiere Sacerdos, & Socius qui singularis obedientię, qua precellebat fructum in morte percepit. in ea insignem coniunctionem cum Deo præ se tulit, insignem sanctimoniam. illustres eę voces, egredere. defixus in crucis osculo, & magna consolatione perfusus clamabat, satis est domine, satis est. octo item habet Residentia S. Macarij, qui scholis duabus Grammaticã docent, eius rudimenta, atque prima elementa literarum. ex his Gasso Tornerius insignibus documentis patientiæ, pietatisque relictis; cæteri destituti omni humano solatio; cum propter communem temporum calamitatem, atq; itinera varijs infesta latrocinijs, neque conspectu perfrui potuerint ipsius Patris Prouincialis. multos habẽt inimicos, obtrectatores,

inuidos,

inuidos, qui societatis fortunis inhiant, & nouis quotidie machinationibus, nostrarum patientiam vel augent, vel exercent: ex hoc eo maiora experiuntur domi, forisque diuinæ in se benignitatis argumenta. in urbe si quidē solita ministeria cum fructu exercuerunt. & varijs itineribus ab hostibus, vel non inuenti, vel non cogniti, vel non inimicissime tractati, nouit dominus imbecillitatem nostram. In Petrocoriensi vnius obitum suppleuere quatuor.

Noua Collegia.

Rothomagenses octo mensibus arctissimā obsidionem pertulerunt. cum primum ab ea liberati sunt virtute Ducis Parmensis, perfecerunt quod plurimos ante annos de nostris accersendis animo destinauerat. quare de communi Decurionum plebis, magistratuum, & duodecim virum vrbis, aliorumque sententia, deque senatu Rothomagensis grauissima auctoritate statutum, vt ad nos literæ mitterentur, quibus Societatem accerserent, Collegium peterent, & omnia ad illud instituendū necessaria pollicerentur. P. Prouincialis eorum votis satisfaciendum ratus, quod Vrbs frequentissima totius Normanniæ caput, studiosissima auitæ religionis, fructus pollicere-tur vberrimos; accersito iusto nostrorum numero auspicatus est Collegium.

Fundationem Collegij Penocoriensis strenue Ciuitas vrgebat: quoque tempore perfecta videbatur, proxima periculo fuit; cum tota vrbs montuosa sit, & aspero situ, nobis in radice collis partem assignauerant, in qua fuerat ante Gymnasium; & insalubrem esse iudicabat natura loci, & nos hospitij triennalis experientia didiceramus: quare inter cæteras conditiones necessarias, ædium commutatio proponenda fuit; res visa difficilis propter vrbis angustias, & exhaustum diuturno bello ærarium difficultatem augebant aduersarij, nobis vehementer nomine fidei, atque religionis infensi: & ea vsi occasione negotium euertissent, nisi omnium bonorum, & Magistratum in primis liberalitas, prudentia, virtus represssisset impetus iniquorum; & auris mille ducentis coemisset binas quasi insulas collegio proximas, quibus, & laxarentur angustiæ loci, & ædificium altiore loco, salubriore cœlo excitaretur. quare decima quinta Kalendas Nouembris, qui dies Sancti Lucæ atque instaurationi studiorum solemnis esse solet admissum Collegium; & celebrata fundatio carminibus, Dialogis, Orationibus, Præmijs, summa gratulatione Magistratuum, totiusque populi; atque discipulorum in primis, qui, sex classibus quadringenti fuere. tamque felicibus initijs ità similes consensere progressus; vt ipsi hæretici nostram iuuentutis instituendæ

tuendæ rationem admirati, Societatem suis in vrbibus optent: modo concionibus abstineant; hoc est eorum fictam impuram, captiosamque religionem non detegant.

Congregatio, Scholæ, Missiones.

PEtrocorij instituta Congregatio Deiparæ Virginis, in qua nonnulli eximia præbuerunt pietatis, misericordiæ, & castitatis exempla.

Quidam cum iam tres & viginti annos, vt quotidie recitare coronam B. Virginis; eiusque diebus festis obire sacramenta solitus esset, semel incuria quadam piam hanc consuetudinem intermisit; nocte, quæ diē illū consecuta est, homini dæmon manus iniecit, & nescio quo raptabat; cum præsto fuit B. Virgo quæ eum in diuersam partem retraxit benigna, quod inimicum à suo cliente repulit; fortasse benignior, quod inimicum in clientem immiserit; nam eo terrore in eius animo magnæ diligentiæ, constantiæ, pietatis cæterarumq; virtutum semina excreuere.

Frequentant scholas Parisienses septingenti, viginti. plures Mussipontanei, & inter eos Enricus Lotaringiæ familiæ princeps. Virodunenses octo ordinum Nouitij, Cum

certo die lectio habeatur de religiosi hominis officio, magno omnium emolumēto alios multos e cœnobio ad audiendum elicuerunt.

Rogatu Vademontani, Comitis, qui filius est Lothoreni ducis septem mensibus Verodunum secutus est castra noster Sacerdos. illi fuit a Confessionibus, quas obire frequēter solet. fuit magno solatio, ægris, moribundis, militibus, quos ab iniurijs, rapinis, ab ædium & interdum pagorum incendijs auertit.

A Niuernensibus quasi furtim excursum est ad aliquot nobilium familias adiuuandas; cum in tanta rerum perturbatione libere pagos de more peragrare non liceat. Itum in oppida vicina Mussiponto solitis laboribus, & fructu illud insigne. Tulli, (id oppido nomen,) confirmare pax inter duos Duces, qui de singulari certamine serio agebant, nullisq; principum virorum precibus, nullis minis abduci a suscepto consilio poterant. Nomeniacum (id quoque oppidi nomen) pulsandi salutationem Angelicam vsus introductus.

Excurrerunt bini, Rhemos Campatiræ vrbem principem cum potestatem explicandi catechismi, a Cardinali Peluæo peterent; non modo libentissime concessit, commodissimum templum attribuit; sed vt primæ explicationi ipse præsens interesset, eamque publice probaret commendaretque ciuibus; initium fieri voluit post concionem in summa vrbis æde,

Adfuit

Adfuit Princeps puer Ghisianus, qui antea domi paratus, apposita, & prompta respōsione, munus illud ad cęteros puerorum exemplum mirum in modum sua dignitate cohonestauit. ex his alter Anglus octogenarius cum muneribus Missionum solitis totam sibi vrbem deuinxisset, periculoso admodum morbo tentari cæpit: ægrum inuisunt multi, suaque in domicilia, vt migret, efflagitant, sed honestissima, nobilissimaq; matrona tantum apud omnes precibus, atque auctoritate valuit, vt in eius palatium senem, vel inuitum asportauerint. quem ipsa quasi altera Placilla non secus habuit atque patrem; totam in eo familiā occupauit, nullis pepercit sumptibus, nullis laboribus nihil officiosissimæ diligentiæ prætermisit; quoad prorsus depulsus est morbus. cumque Pater discederet ad eius pedes abiecta supplex veniam petijt si quid a se vel a suis negligentius esset admissum.

Erepti ab hæresi, atq; a Dæmone.

MVssiponti cū Ecclesiā reconciliati tres. Verduni iuuenis, qui hęresim cum lacte materno hauserat.

Petracouij mulier quędā pœne ad amētiā peruenerat mærore filiæ, quā mors eripuerat. hac occasione diabolus varias indutus formas,

suadet omnibus artibus, vt ei se tradat: modo se pulcherrimũ ostendit, filiam summas opes, atque diuitias pollicetur, aperit occulta aliorum peccata facta, consilia secretissima, modo strepitus horrificos, atque terrores admouet, tam in sublime ita abripit, vt summa vi tecto percusso in capite plagam acciperet, ferit colaphis, lapidibus; alios quoque domesticos, externos, qui plurimi ex vicinia concurrebãt ad spectaculum petit lapidibus, quosdam sauciat pro signis vulnerum adustiones, ac molestissimum nidorem ignis relinquit; omnibus exaudientibus strepitum, cernentibus volatũ lapidum, auctorem vero nullũ vidẽtibus: magna contentione orationum, atque pœnitentiæ impetrauimus a Deo, vt fœminæ daret sacramenta suscipiendi facultatem. dedit. ijsque susceptis abactus omuino diabolus.

Repressa impietas in parentes.

L*ibet & illa ad multorum documentum adscribere. Filius ibidem dum altercatur cum matre, illam colapho lædit, additque eam imprecationem; Vtinam manifeste Deus ostendat vter nostrum culpam; iniuriamue sustineat. nocte manum vtramque ita arcte sibi ligari atque constringi sensit, ab eo, quem non videbat, vt paulo post abscissum iri. videretur. exprimunt clamores dolor, timor, sed non*

ante

ante destitum est, quam suggerente consciētia, supplex veniam petit à matre, & illa tandem miserata filio condonet. redeunt paulo post ad ad ingenium. dumque simul altercantur musca inusitatæ magnitudinis lumen extinguit; & iniecto terrore, altercationem dirimit; rixantur iterum, redit musca eadem longe molestior, diu noctuque, domi, extra domum, in via, in vrbe, in agro etiam atque etiam vtrūque diuexat omnibus videntibus, atque contremiscentibus ad conspectum tantuli animalis; quod non obscure Dei vindicem esse, aut fortasse diabolum intelligebant. donec de nostrorum consilio, vere pacificari, & confirmari sacramentis, suas vterq; partes implere pietatis, atque caritatis instituit. & abactum est aqua lustrali importunum animal.

Alius magis etiam in matrem viduam impius; eam a sua coniuge, ab ipsa ancilla, ita perpetuo contemni, contumeliis onerari, atque peßundari permittebat; vt misera prope versa in desperationem, cohibenda fuerit a nostris quo minus sibi mortem inferret. filius ab iisdem obiurgatus, & propositis Dei minis exēplisque, officij sui cōmonitus: nihilo melior est factus; sed paulo post ad sūmā delapsus impietatem, magna omnium offensione eam insimulatam neglecti pudoris, in capitis iudicium vocat. hic Deus, vt doceret filium impium, im parentem iniquum adoritur, febri filiolam;

quam ipse vnice diligebat; neue casu factum existimaret, nocte intempesta qua sopor arctissimus omnes habebat, intimi eius cubiculi fores pulsari cœpte sunt tanto fragore, vt tota domus cõtremisceret. de lecto omnes exiliũt: accensis facibus, arreptisque armis singula loca curiose lustrantur: sed omnia inuenta, vti fuerant obserata. clauibus, vette peßulis, nullum vestigium furis, aut hostis. domesticis timor in admirationem conuersus. ipse vero Deum timere cœpit, non homines. illudque nutanti conscientiæ omnem dubitationem exemit, quod paulo post filiolæ ad lumen accensum ridenti, atque alia omnia cogitanti obiectum spectrum, quo ita deterrita, atque vexata est, vt eam nullæ vestes, nulli recessus satis abdere posse viderentur; cumque nulla uis morbi solito maior appareret, illico excessit è vita. tum vero pater accepit vexatione intellectum; vix albescente die, eum nostrum sacerdotem adit a quo fuerat obiurgatus. suum fatetur scelus, seque in matrem commissa flagitia beneficijs, obseruantia, pietate compensaturum pollicetur.

Quorundam beneuolentia, atque liberalitas in Societatem.

C*Ardinalis Peluæus, Episcopus, atque Dux Ghisiæ separatim inuiserunt Vi-*

redu-

redunense Collegium. eos honore debito excepimus.

Quo tempore Cardinalis Placentiæ Summi Pontificis in hoc Franciæ regno Legatus a latere nostrum Gymnasium, Collegium, templum inuisit, apud nos rem sacram facere, atque sumere prandium non recusauit: exceptus est quam magnificentissimo apparatu ingeniorum; quo vndequaque ipsa aulæa circumuestita collucebant: data Tragicomædia, orationibus habitis, poematis omnium generum, diuersorum linguarum, partim affixis, partim dictis summam se percepisse voluptatem; & præ se tulit; & apertissime professus est.

Parisiis adolescens quidam auditor philosophiæ, cum de eligendo genere vitę deliberaret, rem cum Carthusiano monacho sibi familiariter noto communicat. cui ille. tu si quem religiosum ordinem complecti statuis, ne quem, nisi Societatem IESV complectere: a qua tot, ac tanti fructus in Ecclesiam proficiscuntur. ego quidem hoc meo instituto valde delector. me tamen haberet Societas, si illa ante cognita, vel si mihi res nunc esset integra.

Ciuiles bellorum tumultus, qui Galliam vniuersam peruaserunt, petierunt in primis Lutetiam vrbem cæterarum caput. aditus omnes conuehendi comeatus hostes intercluserant. vnus relictus inopia pecuniæ, qua ipsi vicissim laborabant; quare annona commutanda

tanda magno pretio. nostraque res non pecuniosa eo redacta erat, vt inirentur de scholis abdicandis consilia. sed Deus inopinata ratione prouidit. Socij nostri frater collegio debebat aureos octingentos. non persoluebat, excusari belli incommodis. cum ad murum, vrbemque muniendam exturbanda esset magna uis ædificiorum imminentium nostro pomerio; euertenda fuit pars eius ædium, quæ, de more, extimata prius est nongentis aureis. Procurator explicata inopia Collegij petit ab administratoribus ciuitatis, vt ex ea pecunia persoluant summam sibi debitam. ingentibus erat res obstructa difficultatibus, quæ transigi non poterat nisi assentirentur non tantum Præfecti, atq; curatores vrbanæ rei; sed Præfecti rationum, præcipui, cuiusq; ordinis Collegia, Senatus, Consilium magnum. sique nobis assensum semel esset, eadem causa persoluendi fuissent alij aurei plures centies millibus. id quod exhaustum ærarium ferre nequaquam potuisset. diu noctuque orandum fuit; atque circumcursandum. res tandem, annuente Deo, confecta est ijs legibus, vti quod tribuebatur nostris in rempublicam meritis, id ne vocaretur in exemplum; atque aurei centeni, præsenti nobis pecunia numerarentur; deinceps vero in singulos menses quinquageni, donec ad eam summam peruentum esset. opportunum fuit egestati nostræ subsidium: gratum

gratum iudicium ciuitatis. sique statum illius ac tempora spectes, fuit omnino gratissimũ.

Extitit quoque ergà nos Innocent. ix. & opportuna, & prolixa ad eandem egestatem leuandam liberalitas; quando motu proprio & commodissimum Sacerdotiũ à loco nostro non longe seiunctum attribui Collegio Parisiensi voluit. & quanquam ex eo propter potentiam quorundam, qui illud ambiunt sperare vix quicquam audeamus; paternus tamen Optimi Pontificis animus sempiterna nos animi grati memoria obligauit.

Ibidem, ne Sacerdos noster ius suum obtineret in bonis, quæ ad eum fratris vnici morte peruenerant, prouocauit ad Senatum Parisiensem; vtque probaret eum censendum esse tacite professum, cum annos aliquot vixisset in Societate, profert diploma illud amplissimum anni 1584. quo Gregorius xiij. Pont. Opt. Max. humanissimus parens Societatis; nihil proferre poterat nostris, nostræque causæ magis optandum. nam Senatus eo cupide perlecto planè edoctus est de illa distinctione religiosorum, & de tota instituti nostri ratione: quam antè incognitum, vehemẽter probauit; cognouitq; quam falsa essent, quæ superioribus annis contra nos vulgus disseminauerat: quique sedebant indices secundum nos sententiam singillatim in ea causa. dixerunt.

PRO-

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

Numerus, & pericula Sociorum.



N nouem Lugdunensis Prouinciæ sedibus laborarunt e nostris ducenti quadraginta octo. in Lugdunensi Collegio duo de quinquaginta. In Dolano vnus & quadraginta, in Turnonensi duo supra triginta. in Auernionensi duo supra viginti. in domo Probationis sex & viginti. in Billomensi vnus & viginti. in Didionensi, & Amicıensi viceni. in Camberiensi octodecim. Totidem admissi in Societatem. Tres Dolæ. E sodalibus B. Virginis Auenionensis quatuor: e quibus vnum à proposito reuocare non potuerunt, neque parentum verbera; neque oblatæ diuitię. Alter à domesticis inimicis verbera expertus vincula & carceres, à fuga bis arrepta retractus tertio tandem seminudus Auenionem peruenit.

Obijt vnus P. Ioannes Fornerius Rector Camberiacensis. cum peteret Lugdunum de ponte

ponte quodam in profluentem excutitur ab equo. hunc aquis obrutum, equus ipse simili casu delapsus mole sua pene obterit. extractus è flumine, & expiatus a Sacerdote Italo, quem præcipuo quodam numine Dei sibi socium adiunxiße videbatur. in parua, & nuda casa de vita decesſit.

Vnus e nostris in Prædones incidit sitientissimos Iesuitici sanguinis. iacturam fecit vestilum, atque pecuniæ cæterum incolumis, quoniam ab ipsis habitus est pro parocho. Duo item capti & spoliati à latronibus, abducti in intimam syluam in saltu deserto, atque tenebricoso ad arborem alligati sunt vinctis post tergum manibus: eo loco vini futuri erant ferarum esca, sed dominus eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit.

In Proximos.

TVrnoni rediere ad Catholicã fidem hæretici septem & triginta. in his Apostatæ duo, qui Sacerdotes erant: cum transfugerunt ad hæreticos, ab ijs statim sunt nefarijs ligati nuptijs, & præfecti muneri prædicantium. resipuerunt suasu nostrorum. mulierculis illis relictis, habitu simulato, venerunt ad nos, eamque instituerunt vitæ rationem; vt sint omnibus exemplo, aliosque prædicantes mirũ

inmo-

in modum ad veritatem alliciant. Dolæ quoque ab hæresi extracti viri tres, fœminæ totidem Auenione.

Delphinates hoc anno propter bellorum incommoda pressi magna rerum penuria turmatim per familias, ac prope per villulas seminudi fame, & morbis afflicti ad Lugdunensem suburbium trans Rhodanum confluebant: cumque aditu vrbis arcerentur a custodibus, longo agmine totum pontem iacentes occupabant, vbi plurimi miserando sane spectaculo præ inopia exhalabant animam. nostri statim aduolarunt, remque conspectam oculis; ita publicis, priuatisque sermonibus inculcarunt ciuibus, vt ad eos viri, atque matronæ plurimæ, pecuniam, panem, copiosumq; commeatum summa alacritate, atque caritate contulerint, ipsos quindecim dies. Dumque alij corpus alebant; nos non destitimus reficere animos. elementis, fidei, concione, confessione, Eucharistia. quæ Christiani hominis officia in Paschate prætermiserant: donec Magistratus tantam conuenarum multitudinem, cum iam milleni numerarentur; his tumultuosis temporibus ab vrbe longius amouendam ratus; eos dimisit donatos a se larga eleemosyna, a nobis vero pijs libellis, quos hoc anno summa liberalitate piorum impressimus ad centum quadraginta millia, & partim in hac vrbe distribuimus, partim aliis Collegiis,

Mis-

Missionibus, Parochis oppidorum distribuenda donauimus.

Inter multos, quibus moribundis astitimus nominandus est Archiepiscopus Grimaldus qui Auenione & toto ægritudinis tempore vti voluit spiritualibus medicamentis Societatis, et cum se morti proximũ animaduertet, iussit aduocari nostros, vt vltimũ spiritum in eorum manibus exhalaret. Fuit vir erga nostrum ordinem plane beneuolus, ac liberalis.

Eripienda fuit a potestate Diaboli fœmina, quæ se illi deuouerat, si ingressa amplius esset in tectum filij, a quo irata recesserat. Execrationis oblita statim rediit. statim Dęmon mulierem indutus, eam arripuit, in summam tẽpli pinnã adduxit, & dedißet ex eo loco præcipitem, nisi illa ad se reuersa, tremendo nomine hostem à se aliquantulum remouisset, eodẽque telo circum cursantem, quasi canem, iam iamque se immittentem tam diu arcuisset, donec allatum est præsidium, & ab homine societatis reconciliata Deo.

Anicij bini poßeßores iniquæ fidei quingentos aureos reddidere veris dominis, tãtundem Billomi, nostris enitentibus. Camberiaci pene euersa mala consuetudo in monasteria fœminarum contra fas ingrediendi.

Missiones factæ a Dolanis Vesuliũ, Dalnam Vesuntium. Lugduno excursum in vici

nos

nos pagos, Turuntium, quod oppidum est in Burgundia. Albenaci sentiebant nobiles vnam esse viam dignitatis, vel recuperandæ, vel tuendæ singulare certamen. magna contentione, atque prudentia nostri Sacerdotis effectum est, vt intelligerent aliam esse longe meliorem, atque iustiorem principum virorũ iudicium. Ex quo sancita ab iisdem lex est, vt stetur imposterum sententiæ Gubernatoris. quod ille pro sua prudentia, peritia, atque nobilitate statuerit, id habeatur quam honestissimum.

Scholarum, & rei familiaris incrementa.

DOlanum Collegium hoc anno perfectum est omnibus quasi numeris, cum ad cæteros professores adiuncti sint tertius philosophus, alter Scholasticus, explicator sacrarum literarum, & Hebraicæ linguæ magister. Terunt Diuinionense Gymnasium discipuli quingenti. Lugdunense septingenti magnopere ciuitatẽ excitauere, quoties ad supplicationes, quæ pro statu Regni, frequenter indici solent, processerunt candidati, nudis pedibus, seque verberantes in cilicina veste plurimi. Aueniono nobilis hereticus, cum filio apud nos educato persuadere non posset, vt carnes, diebus

vetitis

vetitis ederet, versus in iram cum districto gladio furibundus inuadit. adolescens vero ita prompte iugulum venienti præbuit; vt pater in alium animi sensum conuersus, intellexerit ac prædicauerit apud Iesuitas maiorem illum haussisse constantiam, quam vt ab homine expugnari posset.

Ab hinc tribus annis Lugduni institutum Theologicum nostrorum seminarium; visum est ciuibus valde auctum iri splendorem ciuitatis, si philosophicus cursus accederet. res diu agitata per consilium; statuta tandem est adnitentibus iis, qui Prætorio regio præsunt, quorum primates in nostra disciplina sunt educati. polliciti ciues aureos annuos in eum finem Collegio septingentos.

Magnum in nos amorē præfert Archiepiscopus Lugdunensis. magnum dux Momoransius. hic antequam proficisceretur in Delphinatum in nostro templo vna cum fratre Eucharistiam, in cœnatione, summa humanitate prandium sumere nobiscum voluit. quibus etiam reditus aureorum ducentorum ex Prætura Foresana est elargitus. Coempta domus est finitima Collegio conuictorū, ad quam transitus è nostris angustijs facta breui ambulatione patebit.

Dolanis legauit ciuis libras annuas quadringentas. ex his centū bibliothecæ, totidem sacro vestiario, reliquum assignauit vsibus

excursionum. Donata templo argentea candelabra, & pixis ad suscipiendum Christi corpus magni pretij, atque artis.

Præterita detrimenta Billoniensium compensauit benignitas piorum hominum, præsertim Claromontani Episcopi, eiusque fratris, à quibus supra duo aureorum millia donata sūt Collegio. A nobis instaurata villa, quæ incensa fuerat facibus impiorū. Exædificato Xysto, ad quartum Collegij latus; effectum, vt quaternis ambulationibus, quadratum ædificium vndequaque peruia esse possit.

Cum intelligeret Magistratus Didionensis nos rerum pressos inopia cogitare de imminuendo numero Doctorum, duplicauit aureos ducentos, quos annuos Collegio tribuebat, & statuit alia nonnulla, quibus ære alieno liberabimur. Episcopus vrbis elargitus est Aniciensibus suam bibliothecam, & aureos quingentos ad vicinas ædes coemendas.



PRO-

PROVINCIA POLONIAE.



Vmus in Polonia socij trecenti quinquaginta duo. In Collegio Lublinensi septem & quinquaginta. In Vilnensi quinquaginta sex. in Brusbergensi quatuor et triginta. totidem in Rigensi cui adnexum est alterum Tyrocinium. In Posnaniensi triginta. In Iaroslauiensi vno minus. In domo probationis Sancti Stephani duodetriginta. In Collegio Calissiensi sex & viginti. in Pultouiensi nouendecim. In domo S. Barbaræ octodecim. In Collegio Nesuiziensi sexdecim. In Polocensi quindecim. In Derpatensi quatuordecim. In missione penes Regem quinque. In Residentia Leopoliensi totidem. In Transiluaniam missi duo. Vita functi sex. In Societatem admissi vnus & quadraginta. Brunę quatuor, Iaroslauiæ & Calissæ bini. Rigæ nouitius dum vacabat meditationibus Societatis monitus est vt oraret pro socio, qui posita manu ad aratrum respiciebat retro. Fecit ille ita vehementer, vt concitaret in se iram Dæmonis, qui tota nocte hominem vexauit

acerrime, & aperte expostulans, eius se precibus impediri, agere voluit de fenestra præcipitem.

Auxilia collata in proximos.

PEstis multis locis exercuit nostrorum veram in Deum spem, charitatem in proximos: vbique summa sedulitate consulum decumbentibus, infectis, moribundis in priuatis ægrorum tectis, in publicis hospitijs, in ipsis compitis, in cœmeterijs. Maxime Iaroslauiæ vbi nouē mensibus vrbem depopulata lues à gymnasio discipulos externos, à Collegio nostros expulit: Tum Cracouiæ quibus locis Sociorum nullus morbo affectus est. Lublini tres magnum à Deo consecuti beneficium, vt animam suam ponerent pro amicis suis.

Posnaniæ optauimus diu, diuque laborauimus, vt sodalitatem aliquam erigeremus, cuius argento, atque opera pauperes infirmi curarentur, subleuarentur medicis, medicamentis, atque cibo. hoc tandem anno per nostros magna cum laude Societatis instituta feliciter est, Domino benedicente operi: iam enim collata pecunia est florenorum sexcentorum, testamentis legata quadringētorum; impetratus. Regis assensus ad emendos in eius bonis reditus florenorum mille ducētorum, & quod optimum est, totius negocij promouendi curam

suscepit Magistratus ipse Posnaniensis.

Cracouię adductus est Pagi Dominus, vt pœnam sanciret in eos, qui diebus festis rem sacram, concionemue negligerent, quiue pocu lenta in publicis Hospicijs vltra primam noctis horam propinarent. ex altero magnæ consequutæ vtilitates, ex altero magna materia deleta peccatorum.

Nobilis aulicus multis annis rationem salutis suæ neglexerat, atque obdurata consciẽtia omnes, quas admouimus, suasionum, aut verbi diuini machinas peruicaci animo repulit. sed dum debilem inimicum non reformidat, expugnatus est colloquijs, atque simplicitate nostri coadiutoris: quare deletis superioris vitæ maculis nouam instituit, & laudandarum actionũ exemplo tacite se toti aulæ ducem præstat ad bonitatem. Ab eodem euictus iuuenis custos ouium, qui nunquam adduci potuerat, vt vellet addiscere vel orationem dominicam; quique ita nostros horrebat, vt cum eorum aduentum intellexit, se ad volaturum in syluas diceret deuorandum potius à feris, quam tractandum ab ipsis. eum socius Patris humili charitate ita molliuit, ita deliniuit pijs colloquiis, vt paulo post vniuersum legis nostræ compendium, & multa præterea apprime disceret, ac perbene possideret. ex quo sacramentis, & melioris vitæ proposito communitus doctor in christiana doctrina ma-

gna multorum æmulatione, atque admiratione factus est. Derpati duobus in templis conciones quatuor à nobis habentur Estonicè, Polonicè, Germanicè.

Prælatus religiosus monasterio prępositus à triginta milliaribus Calissam venit, vt nostris consiliis modum reformandi monasterij, & ab exercitatione nostrarum meditationum spiritum eius negocij perficiendi conciperet: voluißet nos ipsos adiutores: hoc tamen impetrare non potuit.

Vir illustris nocturno spectro perterritus, susceptione sacramentorum liberatus est, & accensus ad tantum Dei amorem, vt receperit se in ditione suá restituturum Parochiam, ac templum, quod hæretici ante annos triginta profanarunt. Idem accidit in fœmina, quę mirum in modum agitabatur vmbris poscentibus mißas, eleemosynas, preces, iubẽtibus restitutiones pecuniæ certis hominibus. suasimus vt illa perficeret, perfecit atque sedata est. fuerat enim vxor insignis cuiusdam prædonis, cui nos in extremo supplicio paulo ante adfueramus. Brasbergæ notum erat nomen indulgentiarum, vis ita vel incognita, vel neglecta, vt propter eas neque se loco mouerent homines, ita in concione egimus, tanto eas apparatu promulgauimus, vt neque locus multitudini, neque aures satisfacere poßent, confitentibus, nam à viginti, à quinquaginta mil-

libus

libus passuum confluebant. Vilnæ reuocatæ ad officium pudoris viginti mulieres commemoranda, quæ corpus, cum libidine se nimis efferret, ita seuere verberauit vrticis; vt eius cogitationes in alia omnia deflexerit.

Qui è Synagoga hebræa cognouerunt Ecclesiam.

R*Euocauit ad se Deus Optimus Maximus per Societatis operam liquata eorum duritie, iudæos aliquot. Calissæ tres. Princeps fuit quidam insignis diuitijs, atque scientia, cum egregiè calleret hebræa; atque apprime versatus esset in doctrina Talmudis, & Rabinorum. Deo tollente velamen inspicere cepit, quam luteis fundamentis hebræa expectatio niteretur, quam solidiora essent, quæ de aduentu Messiæ a sacerdote nostro proponerentur. sex totos menses, quos ad deliberandum sumpserat, consumpsit in attentissima meditatione illius veritatis, eam diligentissime ad hebræorum scripta atque doctrinam examinauit; vt neque ab ijs, neque a senioribus, & legis peritis, quos sedulo consuluit, nihil contra eam afferri vidit, nisi perfidiam, odium, tenebras; clam vxore hebræa, & suis omnibus, uenit ad Collegium, confessus dare se manus veritati, cuius splendorem amplius negare non*

 posset,

posset, imbutus catechismo diebus quindecim. ablutus fonte sacro, magna gratulatione totius ciuitatis, magno mœrore iudæorum, cum sua memoria neutri scirent, vllum vnquam à synagoga ad ecclesiam in ea vrbe transiuisse. Hunc deinde imitati duo, quorũ alter ab ipso Archiepiscopo baptizatus est.

Vilnæ quoque Iudææ aliquot fœminę agnouere Christum, quarum conuersio eo nobis videtur admirabilior, quo occultiorem quãdam eius causam suspicamur. Non procul ab vrbe loco remoto, & auio sub ferias Christi Domini existentis ab inferis, a scholastico nostro repertum est cadauer pueri nouẽ annorum, (Simonem parentes vocabant) minutis vulneribus arte quadam concisum ad sanguinem ex omnibus venis eliciendum; ita recens à cæde, vt etiam calere, & penes spirare videretur: haud dubie criminis suspicio pertinebat ad Iudæos, genus hominum in huiusmodi inmanitate versari solitum, quique ipsi pecunia perfecerunt, vt res in quęstionem non adduceretur. effugerunt iudicium hominum; sed pœnas, quas minime voluissent, diuinę iustitiæ dependerunt. Deus enim vnius Christiani pueri iacturam resarciri voluit quinque puellis hebræis, quas opera Societatis aggregauit ad Ecclesiam. duæ fuerunt insignes. Altera cæso puero ætate paulo superior propter egregiam indolem animi, & morum elegantiam

erat in delitijs, tum parentibus, quibus primarijs, atque opulentis orta erat, tum consanguineis prope vniuersis. ędes incolebat, ex quibus patebat aditus in Domum adiunctam christianę matronæ, quæ virginibus erudiendis, & informandis Gynæceum instituerat. ex quo hebræa inter has totum ferme tēpus transigebat, parentibus, propter loci opportunitatem; atque ætatis similitudinem; non modo non abnuentibus, sed etiam probantibus. vt fere consuetudine familiaritatis sequitur similitudo studiorum, quæ prima elementa fidei per piam magistram tradebantur ceteris, hebræa quoque pertinpide hausit; coluit casto pectore, dante Spiritu Sancto incrementum; denique ita confirmauit; vt non dubitauerit prodere se parentibus cruce, flexione genuum, precationibus, alijsque signis, & quod maius est, voluntate christianam: non admodum permoti. quod illius ætatulæ desideria nullam in partem magnum opinarentur habere momentum. sæpe tamen concitata mater alienis illis cæremonijs, quas vsurpare se inspectante non verebatur, omnem stomacum in eam ita vehementer effudit; vt verberibus pugnis, calcibus, male multatam dimitteret. sed his difficultatibus diuinum semen oblimari solet, atque grandescere, quare puella iam flagrans desiderio suscipiendi christiana sacra; suum consilium senili prudentia cum fidelibus ma-

tronis,

stronis, & per eas cum Societate communicat; res tota à nobis constituitur. sabbatho quo familiam synagoga tenebat, puella se domo abripit, & ad christianas ędes, in quas fuerat constitutum, perfugit. re cognita parentes omnia implent clamoribus. subodorati quo se illa recepisset, obtestantur fidem magistratuū, & sibi requirendæ filiæ fieri potestatem efflagitant. fit potestas, non inueniunt; mature siquidem nostri studiosi effracto tecto eam in proximam domum coniecerant; & ementito habitu luce palam eductam in loco tutiore collocarunt. non cessant hebræi. suscipit synagoga negocium, & illud vrget communi cōsilio; studijsque communibus. circumcursant agmina Iudæorum, non pecunijs parcitur, non muneribus. & quod iniquissimum est oppugnatio feliciter ex ea parte succedit; à qua nos esse maxime tutos oportuerat. adeunt primates ecclesiasticos, obsecrant, vt pro eorum imperio sibi detur virginem domum reducendi potestas. vel onerati querelis; vel circumuenti suasionibus, quod teneræ ætati diffiderent, & rem longioris putarent esse consilij; non obscurè assentiebātur. suis tamen studiis in hebræos id vnum effecerunt, vt in puella diuina vocatio, virtutis, iudiciique maturitas, de qua ambigi fortasse propter ętatem poterat, probatiora, atque testatiora essent. vt admirationē ipsis aduersariis excitarent. seuocauerunt

puellam in ædes quasdam ij, qui animum vel flectendum, vel tentandum susceperant. Præsul quidam primarius sciscitabatur ab ea, cur fieri christiana vellet: quoniam, inquit, intelligo solos christianos peruenturos in cœlum; atqui, ait, Præsul è christianis quoq; per multos depressum iri scias ad inferos. non ignoro, respondit, si quidem illi se onerauerint sceleribus. ad hæc ille, si scelera deprimunt, quid ni viuas inter iudæos vitam sine crimine? valde vereor, respondit, vt apud eos id possim; sed quanquam possim, mihi tamen certo scio nihilominus clausum fore aditum ad superos. quærit quam ob causam, respondit, quia cæli atrium est ecclesia. vbi eam hic ita peritam conspicit, ad aliam thesem dilabitur; misella, inquit, non satis percepisse videris te apud tuos fore semper in honore, & copia rerum: christianam fore neglectui, atque contemptui, laturam famem, sitim, & rerum omnium inopiam. ad quæ illa, libẽter despiciar in tenebris, vt exalter in luce, hoc est in conspectu Dei: malo ferre famem breuis tẽporis, quàm æternam; malo ferre sitim, quàm ignes: patieris vero vel in vita, subdit ille, mihi enim certum est parentibus te dedere, qui præstolantur præ foribus, quique te quandiu vixeris maceraturi sunt inopia, contumelijs; verberibus. parentum nomen vehementer perculit tenerum puellæ pectus. quare erumpente flumine la-

crymarum, accidit ad eius pedes: eosque amplexata, non vexationes, inquit, perhorresco, sed periculum. patere, domine tentari me, non obrui. eo denique sensu, eo ardore spiritus deprecata est discrimẽ illud; vt omnes, quotquot aderant, flecterentur in misericordiam, in admirationem, & ipse Præsul admirabũdus exclamauerit, digitus Dei est hic, seque baptismo nullum obijcem positurum promiserit. quare cum nullus alius auderet suscipere eius baptizãdæ prouinciam; Episcopus Samogitię, qui per eos dies Vilnæ degebat, id egregie pręstitit. plurimi mortalium confluxere ad spectaculum. in ipso sacri fontis mysterio tantam ostendit in subeundo pietatem, tantam in respondendo alacritatem, in pronunciandis fidei elementis industriam, vt celebraretur omniũ plausu, atque sermonibus, quotquot aderant; ipsi hæretici vix temperarent à lacrymis, atque discederent perfusi animum diuina quadã dulcedine, quæ etiam in ipsos è diuinis illis nuptiis redundare videbatur. iam vero puella collocata in Niesuitiensi Cęnobio virginum omnibus prælucet ad virtutem.

Altera hebræa puella biennio maior simi lem experta pugnam, similemque consequuta victoriam, nam ablegata in Lituaniam clam à nostro discipulo reducta Vilnam est, & sola vno Deo patrocinante producta ad conspectũ patris, atque matris eiulantium in frequenti

mul-

multitudine Iudæorum, ante magistratū ipsorum patronū, ita causam suam egit; vt profligatis omnibus aduersariis illustriorem victoriam reportauerit. Pultouiæ Iudæus item vnus ad ouile rediit. Niesuiziĳ catechismo reditus instruebatur alteri, qui se profitebatur catechumenum, prope omnia parata ad baptismum fuerant, cum magno mærore nostrorum suam prodidit inconstantiam: sed commodum ad nostram leuandam mæstitiam, episcopatum eius accepit alter, qui sponte nullo expectante; ita se cupidum, atque ingeniosum præstitit; vt celerrime eruditus omnino baptizari alterius loco potuerit.

Disputationes cum hæreticis.

LVblinensium opera in retundenda hæreticorum audacia insigniter enituit. plures cum ĳs disputationes intercesserunt. duæ fuere perillustres. de quarum vtraque breuiter aliqua perstringemus. Leuartouia oppidum est Firlianæ familiæ quarto à Lublino lapide situm, quamquam maxima ex parte catholici sunt, tria tamen inter se diuersissima hæreticorum genera continet, Caluinistarum, Lutheranorum, quos omnes artifices germani sequuntur: & Anabaptistarum, qui hoc maxime habent sectæ suæ seminarium: cum litteris præsit anabaptista errore Ebionis infe-

ctus,

ctus, & eo nobilitas hæretica mittere iuuentutem suam studiorum causa soleat. oppidum hoc donec certa pecuniæ summa persoluatur ab hæredibus, oppignoratum est Nicolao Firleo Palatino Cracouiensi homini perillustri tum senatoria dignitate, tum studio religionis catholicæ promouendæ. is Leuartouiam cùm venisset, è nostris vnum Lublino petijt, qui sibi pro festis natalitijs à sacris, & à concionibus esset. vbi Iesuitam adesse fama percrebuit; oppidani, & rustici ex vicinis circumquaque pagis, quippe qui annis viginti catholicum sacerdotem Romano more in oppido sacris operantem non viderant, turmatim conuenire, concionibus interesse, sacramenta percipere. ea singula grauissimis pœnis hæretici domini edicto proposito prohibuerant; non deerant homines ab ipsis, atque à ministris dispositi in itineribus, partim vt res explorarent, partim vt homines à concione catholica auerterent ad hæreticum, qui rumpebatur ira: cum interim in sua synagoga neque decem haberet capita. sed nihil effecerunt, nam ardore diuinitus concepto perrumpebant per medios apparitores, contempto periculo, contemptis dominis, in quorum se manus reuersuros esse sciebant, statim atque Palatinus recepta pecunia oppido cederet; quare cum tantam multitudinē locus nō caperet, licet amplissimus, ascendebatur ad fenestras, occupabatur quicquid

quid altius eminebat, vt inde Iesuitam concionantem, & sacra peragentem vel audirent, vel viderent. fauit celebritas temporis, & Palatini exemplum, qui cum vxore, liberis, atque familia vniuersa publicè sacramenta subibant; quare vix numerus iniri potuit eorum, qui confessione præmissa Christi corpore sunt refecti, quique reconciliati ecclesiæ, quã leuissimis causis etiam ad gratiam ineundam à Dominis, reliquerant. Facile est cõÿcere quo animo hoc ferrent hæretici. debacchari, furere, nostros, nostramque doctrinam proscindere, quando aliter non poterant, concionibus, sermonibus. omnes pro viribus: præcipue tamen Minister in suggestu, Rector apud scholasticos.

Hac arrepta occasione, Pater, qui vehementer cupiebat cum ÿs congredi, vt ostenderet, se vera docuisse, probante Palatino, ex templo theses duas ad certam diem proponit, alteram pro Ebionita rectore de æternitate filÿ Dei, alteram pro sacramentario ministro de corpore Christi vere præsenti in Eucharistiæ sacramento. næ miseros vehementius perculit hæc inopinata prouocatio, qua se ipsos prope nominatim peti videbant. mallent, etiam si direptum esset a Iesuitis oppidum, tacuiße; tentant omnes vias vitandi congressum. illam eße decernunt expeditissimam, dicere se non eße paratos ad tam subitam disputationem. sed non

succe-

ſuccedit. prorogatur tempus. quare coacti ſuſcipere certamen, dimittunt per totam Poloniam certos homines cum litteris. doctisſimũ, atque potentisſimum quenque nominatim tanquam ad commune incendium extiguendũ euocant, alteri Ebionitas, alteri ſacramentarios, vt ad decimum tertium Ianuarij præsto ſint Leuartouiæ pugnaturi pro aris & Focis, euangelio ſuo laboranti opem extremam allaturi. conueniunt quam plurimi. inter alios fauſtus Soncinas exul Senenſis Ebionitarum anteſignanus, & ſcriptis pro ea hæreſi voluminibus inſignis. vbi ea dies aduenit, conuenitur ad Templum, quod ab hinc viginti amplius annis occupauerant hæretici, atque refertisſimum erat infinitis prope mortalibus pugnæ exitum expectantibus pro catholicis aderant Palatinus, & alij viri nobiles.. pro hæreticis plurimi, cum præſertim prope ſola regio Lublinenſis illorum partes ſequatur. Pater editum locum aſcendit, in quo videri, atque exaudiri poſſet ab omnibus. nullus hereticorum id auſus, quod timerent, ac periculoſum eſſe videretur ſolum dimicare ſeiũctum ab alijs, ſine adiutore, ſine comite: tutius viſũ eſt argumentantem ſedere cum alijs conglobatis qui deficienti opem ferrent, atque ſuggererent. primus certamen init Rector Ebionita. ex ipſo ore apparebat eum in arenam deſcendiſſe non ſua voluntate, ſed coactum, vel nomine

mine rectoris, vel professionis litterarum. nō satis munitus duobus selectis militibus, qui suppetias laturi cingebant latera, accedebat demisso capite, pallidus, exanimis, vt constitutus inter duos illos ministros duci videretur ad laqueum. diffidebat miser causæ, suis viribus, & assuetus priuatæ scholę ferre non poterat summam multitudinis, nobilitatisque lucem, quare in tanta imbecillitate telum nullum contorsit, quod perueniret ad aduersariū, quod non recideret in suum caput, & ab eo ipse vulnus acciperet. omnino pudere Ebionitas, sui disputatoris. mussitare, annuere homini, vt se pugna subduceret, & alicui doctiori locū daret. rectori nihil erat antiquius. obstabat Patris volūtas, qui id fieri posse negabat nisi Rector contra suas theses nihil afferre potuisse publice fateretur. dura conditio videbatur, sed non iniqua: cumque vrgerent sui, & ipse pugnæ pertesus esset, omnibus admiratione defixis edidit confessionem illam ignominiosam sibi, atque vniuersis Ebionitis. hic noster omnibus attentissimis de loco illo superiore dixit ea, quæ ad rem facere videbantur, & exemplo Rectoris, qui à puero versatus in litteris, apud eos eruditus in primis, tamen ita turpiter hallucinatus erat, hæreticos beneuole docuit, si conspici oculis eorum religio posset, visum iri monstrum horredum gnitum, & ortum ex ea licentia, quam sutor.

F   *bus*

bus, Zonarijs, cerdonibus, rusticis, fæminis in fide formanda, & euoluenda scriptura concedunt. Subsequutus est Minister Leuartouiensis Caluinista per omnia rectori similis, quin etiam propter eius exẽplum multo timidior; quare voce semimortua recitauit vnum, aut alterum Caluini argumentum contra Eucharistiam, quæ cum Pater ita dilucide, atque vere soluisset vt ipsi quoque sectarij respõsiones plausu probarent, ne verbum quidem contra hiscere ausus est, locumque cessit pari ignominia, confessione turpiore; nam publicè ipsi Caluinistæ. quando tam turpiter, inquiunt, victus est minister; Superintendenti (qui apud ipsos est quasi Episcopus) aliquid de ea quæstione domine Iesuita in medium proponere liceat. assensus Pater est. ludicrum argumentum attulit, quo facillime reiecto suffusus pudore conticuit. cum vero se collegißet aliquãtulum, subiunxit, cuique in sua fide manendũ esse; atque Deo reuelanti credendum. excepta est risu talis vox, & ab omnibus conclamatũ, Deum mendacia nemini reuelare, qualia sunt, vel Ebionitarum, vel Sacramentariorum, qui doctrinam suam neque probare, neque defendere possent. discessum è templo summa omnium catholicorum gratulatione. statimque nobilissimus adolescens in hæresi educatus, & natus ab hæreticis parentibus, Patrem adijt, & se in catholica castra recepit.

Hæc

Hæc Leuartouiæ. non dissimilem exitum alia disputatio habuit quã ijdem Anabaptistæ, ne se omnino profligatos ostenderent, & aliqua ratione vulneris accepti famam eleuarent audacia, statim nobis indixerunt: sed Lublini, & post quartum mensem: vt conuocare omnino synagogam vniuersam, argumentatores quam peritissimos eligere, eos non modo munire, verum etiam exercere possent ad pugnam, & quam longissime ab hominum memoria præiudicium præteritę disputationis amouerent. per commode accidit, vt eodem prorsus tempore quo Lublini disputandũ erat Leuarjouiensis concertatio typis mãdata prodiret in lucem, & spargeretur in maxima frequentia nobilitatis, in celeberrimo iudiciorũ, tribunalium conuentu. libentissime lectitata non minus ab ijs, qui interfuerant, quam ab alijs, qui fama perceperant. quo scripto cum viderent hæretici suam existimationem vehementer obteri, & excitari expectationẽ persimilis euentus; sunt ita deterriti; vt de congressu quam honestissimè vel declinando, vel differendo diligenter egerint; sed omnis cunctatio longe turpior, instante die, ipsis prouocatoribus, thesibus per nostros affixis ad valuas templorum, aliaque celeberrima loca Ciuitatis. quare vigesimo secundo maij in nostro templo expectatione persimili, cõcursu etiam maiore concertatum. vterque locum superio-

rem ascendit. noster initio præfationem adhibuit, quæ lacrymas per multis extorsit, omniũ animos sibi beneuolos, Ebionitis ita infensos reddidit, vt argumẽtator illa præfatione vim sibi quæreretur inferri. is erat minister quidã nomine Staterius, nam Soncinas excusans Polonicæ linguæ imperitiam, eo se adduci nõ passus est. expectabatur quo nam tandem telo essent vsuri isti gigantes contra cælum. ecce tibi Minister timide, frigide, hæsitanter proponit loca aliquot Scripturæ, ita decantata, atq; trita; vt rustici per sępe solutionem innuerẽt; tum alia nonnulla, quibus vel de humanitate Christi sermo est, vel de Diuinitate, quibus hęretici peruerse declaratis venena sibi conficiunt. Pater mira dexteritate eo ipso interprete singula verba singillatim, ita exponenda demonstrauit; vt miser eorum sensu palam atque aperte iugularetur. exceptus per sæpe risu, persæpe sibilis, obrutus denique clamoribus, vt non se disputationi sed ludibrio expositum videret: magno documento omnium, qui palam ex ea disputatione Ebionitas atheos esse concludebant: magna voluptate non modo catholicorum, sed etiam Caluinistarum, qui ne propter Leuartouiensem disputationem cum iis consentire viderentur, hic publice professi sunt, se infensissimos esse Ebionitarum hostes, quos habeant blasphemos, hypocritas, atheos, vtque id clarius esset, cum Statorius

alte-

alteram thesim de Eucharistia vellet attingere; surrexit è media corona Caluinista vir ætate, nobilitate, atque grauitate præcipuus, omnium nomine, quasi meditata oratione, primũ inuectus in Anabaptistas, in eorum nefariam doctrinam & scelera: tum permittere noluit, vt pro Euangelicis eam propositionem oppugnaret homo stupidus, infamis, suo & suæ sectæ nomine, & illius nota disputationis, qui cum suam confirmare non potuerit, alienã vel inertia deserturus, vel perfidia sit proditurus aduersarijs, qui vel cedendo, vel vincendo parem prope turpitudine sua sit illi thesi maculam allaturus. cumque finito certamine pro tam certa victoria decantandum esset, Te Deum laudamus. petierunt Caluinistæ, vt suo quoque nomine hæc gratulatio Deo Optimo Maximo fieret. Tot telis iugulati miseri Anabaptistæ prodire non audent. ex his minister quidam acri vir ingenio, & magnæ apud eos existimationis à disputatione statim ad Collegium ipsis prope spectantibus accessit: eorumque perfidiam detestatus, amplexus est veritatem. Quare multis locis, vel nomen Societatis modum fecisse videtur debacchantis stultitiæ ministrorum.

Brunæ bini Coadiutores negotij causa missi ad hæreticum oppidum humaniter à Consulibus excepti sunt. vix eos ad esse auditum est, cum se ministri omnes abdiderunt ab amicis

vocati sæpius, vel nolebant esse domi, vel male habebant, vel distinebãtur alijs impedimentis: soloque nomine Iesuitarum deterriti, non satis crediderunt eos illiteratos simplices esse, in conspectum venire, se dare in periculum noluerunt, ciuibus alijs ridentibus, alijs frementibus.

Rigæ quidam Princeps inter ministros sub initium huius anni publicis concionibus patria lingua dictis atque editis, non dubitauit per summum scelus appellare S. Marcum Euangelistam miserum, egenum, claudicãtem vtroque pede, æquiparare Marcolpho, at omnino indubitationem vocare, vtrum is vnquã in rerum natura fuerit. qui dies abrogare ausi sunt sacros B. Virgini, cæterisque cælitibus; neque à Christo domino abstinuerunt, in gratiam cuiusdam Zephirini Caluinistæ, qui hoc anno propè Cracouiam mortuus est, nouum festum effinxere; illudque celebrarunt campanis, organis, cantionibus, concionibus; omni apparatu, atque imitatione catholicorum. at vero vbi pro suggestu explicata à nobis harũ actionum vel temeritas, vel iniquitas priuatis, publicisque sermonibus exagitata; Ministri vix verbum effutire audent, circumspiciunt antequam loquantur: cæperunt Rigenses paulatim oculos attollere, & agnoscere quam turpiter à Pseudoprophetis istis ludificentur, erubescere se ipsos, non ita horrere no-

stram

stram ædem. ex quo cum prius vix tertium, aut quartum auditorem haberemus, nunc in ea sexaginta numeramus, & gratias Deo agimus quod centum in Natali cælesti pane refecimus.

Hæretici, & Schismatici. qui redierunt ad catholicos.

RIgæ hæresim deposuere viginti, Lublini totidem, Calissæ duæ integræ familię alia nobilis, alia plebeia, tum viri septemdecim; quorum aliqui educati in hæresi sacramenta numquam subierant. Niesuitij quinquaginta. Derpati tredecim. Vilnę quinquaginta. Brunæ viginti. Pultouiæ vir, qui septem peruagatus hęreses, cum apud Anabaptistas contionatorem ageret, tandem amplexus est fidē catholicam testis expertus, & oculatus extra illā nihil esse, in quo animus conquiescat Hieroslauię quinque. Posnaniæ centum; & viginti. Cracouiæ triginta: ex his virgines duæ in Arrianismo natæ à parente ministro Arrianorum profugerunt ad Catholicos, & à nostris fidei summam edoctæ in Templo solemni ritu baptizatæ sunt, ipsa Regina eas è sacro fonte suscipiente. Vilnæ à Græcis redierunt ad Ecclesiam Romanam quadraginta, Polocij decem à Ruthenis. Iaroslauiæ viginti. Huc

referendus adolescens, qui Lublini exagitatus conscientia scelerum hereticus esse decreuerat, cum adijt Ministrum ea de re acturus factus est repente mutus, nec verbum exprimere potuit. sentit diuinum numen, atque præsenti pœna deterritus mutat propositum. res mira, statim loqui iterum incipit, sed quæ est hominum peruersitas, diebus aliquot elapsis periculum obliuiscitur, prioraque consilia renouat; vix decreuit, cum præsto est iterum paterna Dei vltio quam prima seuerior: nam loquendi facultatem secundo ereptam nulla mutatione sententiæ nullis lacrymis, nullis precibus restituit, post trigesimum diem cum nusquam appareret morbi causa, nullaque medicamenta succederent, vt fere solent homines, tum demum parentes remedia diuina deposcunt: eum adducunt ad Sacerdotem. ille quasi volente Deo in omnium conspectu suadet adolescenti, si forte sibi sit alicuius peccati cōscius ingemiscat in corde, primamque vocem voueat se illius detestationi daturum. paret adolescens, statimque vox redit, & palam hæreses execratus est.

Scholæ.

Hic vt maxime Optimi Dei beneficio liquidissimè constat quam congruenter scholas ad animorum salutem direxerit noster

B. P. Igna-

B. P. Ignatius, & quã certo, quamque copiosè ijs finem suum consequatur Societas. nam præter eam pietatem, quam nunc inseri videmus pectoribus auditorum, cuiusque semine speramus datura fructus vberiores, cum pueri ad pleniorem ætatem, & ad suos domesticos regendos peruenerint, per eas in præsentia ita multas familias deuincire Societati; hoc est virtuti, atque Deo possumus; quot in ijs pueros, vel adolescentes, quot denique capita erudimus. Posnaniæ aucto numero sunt sex centi quinquaginta plerique nobiles. Calissæ ducenti triginta; qui eo virtutis exemplo vniuersæ ciuitati prælucent; vt sint omnibus admirationi, multis religiosis excitamento, multosque grandæuos etiam sacerdotes ad se imitandos allexerint, quibus videbatur egregiũ spectaculũ, cernere sub Pascha honestos adolescentes in Templo acerbe in seipsos seuire flagellis modeste, atque constanter perpetuare ad sepulcrum Domini meditationes, diebus festis eosdem inspicere in xenodochijs, vel inuicis circunfusos ægris, afflictis, egenis, vt eos leuent eleemosynis, consolentur verbis, instruant ad patientiam, erudiant ad salutem, cibos porrigant, mundent sordes, ipsos pedes abluant. Addit hæc virtus emolumentum litteris & decorem, dederunt comediam Theodosium Imperatorem ita piè, atque concinne, vt passim dicerentur omnia spirasse sanctime-

mo niam, locum, actionem, actores, argumentum, auctorem in primis; qui fuisse dicitur P. Edmundus Campianus Martyr Angliæ; Brusbergæ institutæ lectiones casuum, & controuersiarum, iisque philosophicus cursus adiunctus est, cuius dies quasi natalitius mense Septembri celebratus magna frequentia nobilium, atque Præsulum, magno apparatu Emblematum, carminum, ingeniorum, quæ in Collegij vestibulo collocata sunt; quasi musæ mansuetiores seuerioribus disciplinis obuiam honoris causa progrederentur.

Beneficia Societati exhibita.

Filiæ fundatoris Iaroslauiensis adhuc virgines orbæ parentibus è suo thesauro, qui fuit quondam Ducissæ Masouiæ, addixere nostro Templo cãdelabra argentea, casulas cum pluuiali preciosas, & mappas altaris insigniter elaboratas auro. Niesuiziensi Collegio donauit quidam centum aureos: fundator duo millia florenorum adiunxit ad perficiendam Templi fabricam. Magnificus Polonus capitaneum agẽs in Liuonia ex Prussia Mari Derpatum afferri curauit altare affabre factum, & illud in quodam Sacello templi nostri collocauit. Cracouiæ pius Abbas Collegio attribuit centum florenos annuos daturus quan diu vixerit, totidem persuasit, vt frater suus

attri-

attribueret. totidē Posnaniæ Præpositus quidam nostris studiosus se numeraturum spopendit. Brunæ legauit quidam aureos centum quinquaginta. Significauit Rex suam beneuolentiam erga Societatem; nam vt nos quodāmodo faceret nuptialium conuiuiorum participes toto nuptiarum tempore domum vniuersam aluit, eamque cum Regina, atque Archiducissa eius Matre ab octauo die post nuptias humanissime frequentauit. Die Circuncisionis Præsul Præmisliensis maximam nostri Templi Iaroslauiensis aram solemni ritu cōsecrauit; non dedignatus fratris filium tradere nobis educandum; apud nos sumere prandium; nec defatigatus in nostro templo conferre sacramentum confirmationis vsq; ad vesperā.

Hic libet distinctius, atque certius exponere Diuinam Prouidentiam, quam singularem in Societatem Rigæ conspeximus. post quam inde superioribus annis sumus eiecti, aduersarij Societatis nihil non moliti sunt pecunia; gratia, viribus, vt nostrum reditum vel impedirent, vel differrent. ad spem nostram debilitandam omnino statuerant æquare solo hoc S. Mariæ Magdalenæ monasterium; atque Templum statim vt Sancti Moniales, quæ illud incolebant excessissent e vita. duæ erant decrepitæ ætatis, centesimum annum altera attingebat, altera excesserat. vtque non esset obscurum eas diuino miraculo in tanta ætatis;

atque

atque virium imbecillitate seruatas incolumes, quasi persoluto munere custodiendi loci, vix illud nobis addictum est decreto regio, cũ vtraq; excessit è vita. recepta erat nobis absentibus nouitia quędam. hæc quasi relicta esset à Monialibus, vt locum traderet Societati; octauo die, post quam nostri uenerũt, obijt. Senatus magnam ostendit in nos humanitatem, ac beneuolentiam. refici liberaliter curauit omnia, quę templo nostro prius erepta fuerant, calicem in primis cum patena argenteũ deauratũ, per grãdem, omnino maiorem alio, qui hinc ablatus fuerat. cauit nostræ quieti quantum potuit: ante hac propter hominum petulantiam ne sacrum quidem vnum sine cachinnis, clamoribus, aut iatulatione lapidũ, alijsue molestijs celebrari potuit. quin superioribus annis ob inductum nouum calendarium ciuitate pulsi sumus, seditione coorta in natalitijs Domini festis: porro hoc anno, cum etiam teneat suum calendarium ciuitas, eam diem summa pace, ac tranquillitate celebrauimus multis Rigentium pie, atque modestè præsentibus. quamquam Dei beneficio nõ omnis materia patientiæ deleta est. sunt passim, qui nostros per plateas clamoribus, irrisionibus, conuicijs, luto petulantissimè consectentur. vni Minister in publica platea grauem inflixit alapam, alia maxilla parata percussorem compescuit, & repercussit in animo.


Mis-

Missiones.

Ex omnibus prope Collegijs excursiones factæ. à Iaroslauiensibus, Callisiensibus Polocensibus, Niesuizïensibus. Rigensis missus ad arcem quandam infantes triginta baptizauit, tres adultos reuocauit ad Ecclesiã. Itum à Vilnensibus in Samogitiã rogatu Episcopi. vbi vt laudanda quidem, & magna, sed vulgaria prætercam; tanto studio nostri audiebantur, tanta frequentia, vt cum templorũ angustijs excluderentur ad vitandos tumultus eodem tempore pluribus locis in ipsô cœmeterio verba facienda fuerint ad circunfusam multitudinem, magno lucro animorum, cum prius plurimi viuerẽt more ethnicorum, neque Christum scirent, neque Deum, ita ab essent à cognitione christiano debita, vt baptismum, neque recepißent multi, neque esse recipiendum intelligerent: abluti centum quinquaginta quatuor. tres à græcis, sexdecim reuocauimus ab hæreticis. In alio oppido. ad singula verba Dæmonem appellabant, sublatum malum, multa imposita delinquentibus. institutum præterea Nosocomium.

Quod ad Missionem Leopoliensem attinet; quamuis ab Archipræsule permißum sit, vt in tota Diæcesi exerceamus ministeria Societatis; maxime tamen in Metropolitana, eadem-

demque parochiani ecclesia constitimus. habite toto propemodum anno matutino, atque pomeridiano tempore conciones, magno omnium ordinum concursu, Catholicorum, hæreticorum, quibus permixti plurimi Armeni, atque Rutheni. sed non minore eorundem vtilitate; domi, forisque disputationibus priuatis, atque publicis docti, atque dedocti, persuasa veritas Ruthenis nouendecim, hæreticis octo, & sexaginta,; inter hos Palatinus, qui nunc omnia Russiæ templa, aut deserta, aut profanata feruenter instaurat. restitutiones procuratæ florenorum decem millium. inductus pulsus meridianus, & aliæ multæ, catholicæ consuetudines, sublatæ iniquiores libentissimis omnibus, cum sint mira in nos pietate, atque beneuolentia; & propter innatum candorem animi tantam de nobis habent existimationem, vt nostris ducibus sibi neque errare, neque non cælum consequi posse videantur.



PRO-

PROVINCIA BELGICA.

Sociorum numerus, ingressus, interitus.



Issionibus Gandensi, & Insulensi redactis in Collegia, Domicilia societatis creuere ad tredecim. socij ad trecētos septuaginta septem. Tornaci duo de sexaginta. Duaci vnus è quadraginta. Leodij quinque & triginta. Tres minus Audomaropoli. duo de triginta Louanij. totidem Antuerpię. Traiecti. & Valencenis octoni deni. Burgis, & Ispris vno minus, Cortaci sexdecim, Gandaui quindecim. Insulis tredecim. In sede Bruxellensi, cui missio castrensis adnectitur vnde triginta. in Montensi domo septem. Duo missi in Holandiam, Præter hos numerandus P. Prouincialis cum socijs duobus altero sacerdote, altero Coadiutore. Adlecti vnus & triginta. ex his duos dedit Antuerpia. Brunellæ quinque, Sodalitas Duacensis quindecim. Mortui sex. Inter hos, & inter illos numerandus Balduinus Cuuillonius P. Cuuillonij theo-

theologi, qui obijt in Societate, fratris filius, vnicus hæres parentum diuitum, atque nobilium, qui multos ante annos decesserant, pene ab infantia semina ostendit insignis cuiusdam pietatis, quæ cum ipso creuit. annos natus nouem audita sanctorum aliquot Patrum vita, eam persuasit condiscipulo paris ætatis. quo comite contendit in collem extra ciuitatem, quasi in solitudinem, vt ibi Eremitam ageret. postridie inuctus à suis magno dolore domum reductus est. Habitabat cum ecclesiastico viro. apud eum forte anno sequenti Pater è societate, qui conciones Christo nascenti, atque resurgenti præuias habebat ad populum nouitio comite hospitatus est Balduinus horum vita, consuetudine, moribus obseruatis societatem optare cæpit: quærit à nostris admissionem. non impetrat. contendit à tutoribus, vt nos saltem in vestibus imitari liceat, non persuadet. nihilominus animi, atque propositi tenax post triennium in scholis triuialibus exactum, Duacum venit, vt negociũ suum perficiat. dum differtur, mirum in modum, & magnis in vtroque progressionibus, coniungit cũ studijs litterarum studia pietatis. multa sane in vtroque genere de ipso dici possent, quæ erant in adolescente illius ætatis admiranda. erat insignis pudicitia virginali, eamque, vt vota sancire liceret sæpe, & instanter petijt à patre, quem animi ductorẽ habebat. in signis

contemptu

contemptu mundi, & zelo animarum. pro viribus omnia exequebatur opera misericordię. obibat xenodochia, ægros verbis solabatur, & eleemosynis. Sodales suos spiritualibus colloquijs, exemplo, honesta quadam vi impellebat ad pietatem, pauperes studiosos, maximè qui se deuouerant societati, liberali stipe, & vestibus interdū sibi detractis adiuuabat, sentiebat enim, & quemadmodum suis libris, & aduersarijs; ita cordi inscripserat sententiam illam, quam frequentissimè vsurpabat, Veh vobis diuitibus, quia difficile est post delitias sequi delitias. id circo eas, & vehementer oderat, & quasi inimicas, profuse effundere cæpit in pauperes. ex quo opportune, importune flexis genibus, vberrimis lacrymis obsecranti, vt in Societatem reciperetur, & asserenti, nisi ingrediatur eo anno, se nunquā ingreßurum, respondit P. Prouincialis nobis aliquo modo consulendum Societatis honori, dari amicis querimoniæ, aduersarijs obtrectandi materiam, si adolescentem admittamus inuitis consanguineis, & videamur eius non quæsiuisse salutem, sed fortunas. longum esset explicare quibus artibus, laboribus, prælijs à sorore, atq; à tutoribus profectus Insulas ingrediendi potestatem extorserit, quo gaudio victoriæ nuncium Duacum reportauerit, & iter ad Tyrocinium arripuerit. Vrbē egressus pecuniam quancunq; habebat dedit vni ex no-

G strιs,

stris, & accipere voluit ab eo viaticum non, tanquam proprium, sed tanquam datum ex obedientia, quare paulo post occurrenti sodali, rogantique, vt in sui memoriam pictam tabulam Sodalitati omnium Sanctorum relinqueret, vt ante proposuerat. venißes inquit, citius? modo sum factus pauper in Societate I E S V. *nec habeo amplius aliquid proprium. in domo probationis cum primum propositæ sunt vestes Societatis, vt eas indueret, mira mentis suauitate perfusus, saluete, inquit, augusta eorum paludamenta, qui de mundo triũphauerunt. ex quorum conspectu longe plus haurio voluptatis, quam vmquã ex aliarum vestium pompa degustauerim. genibus flexis imagines omnes, iconicas bullas, ipsas B. Virginis preces horarias, atque rosarium, cætera denique instrumenta pietatis aliud accepturus detulit ad magistrum nouitiorum, vt nihil, inquit, vlla ratione dicere meum possim, vt nihil quamuis diuinum habeam, nisi à manibus obedientiæ, hoc est Dei. ita repente professus est virtutes omnes, coniunctionem cum Deo, custodiam legum, modestiã, reuerentiam, humilitatem, studium mortificationis, charitatis; vt toto eo tempore eas non acquirere, sed acquisitas, & perfectas ostendere videretur, tanti aculei, tantus ardor in verbis plenis grato animo, pietate, feruore, vt quasi Angelus missus è Cœlo alios ad perfectionem cogeret*

geret

geret potius, quàm inuitaret. quare cum consumatus in breui expleuisset tempora multa maturus Cœlo, cuius flagrabat desiderio in febrim incidit. septem diebus ostendit quantū sua virtus in infirmitate perficeretur, atque illustrioribus eius documentis relictis obdormiuit in Domino.

Auxilia proximorum.

Louanij, cum hostis prope esset ad mœnia, vrbs sine vllo præsidio, confugiebant plurimi ad tutiora oppida. constitere nostri freti Deo, quodque intelligerent omnium oculos ita esse coniectos in Collegium; vt in nostro discessu maximus futurus esset metus dissoluendæ ciuitatis. quare inter arma continuatę lectiones, exemplo, atque stationibus in nostras vices obitis, adiuti ciues, nouumque ciuitati cōscriptum præsidium, sodalitas militaris Sanctissimæ Eucharistiæ. iam numerat trecētos. iurant publicè fidem catholicam, seque illi sacramento militari obligant, dum spondent se perpetuo pro auita religione pugnaturos. hoc eorum institutum æquè pium, generosum, per honorificum, illæ vero diebus festis exertitationes: mane tractant res diuinas. post meridiem gladios. & vero primus dies, quo fulgentes armis, & preciosis vestibus insignes ordine processerunt ad ædem summam, fuit popu-

lo gratus, & supra fidem admirabilis. cum sacrum tectum multitudinem non caperet erigendum fuit altare sub odæo à D. Cancellario, qui idem summæ Aedis Decanus, & Vicarius Archiepiscopi Melchiniensis, sacrum peractum, habita concio, benedicta signa militaria, atque arma summa populi probatione, & plausu.

Burgis cum fructu instratę scholæ pauperum, & conciones diebus feriatis habitæ quinque locis. Antuerpiæ viri quatuor, restituerunt partam iniustè pecuniam, quæ summam excedit trium millium. Dęmon spectris varijs Leodij vexabat adolescentem: matronam etiam extractam è lecto Burgis raptabat per cubiculum. ab hac sacramẽto confirmationis, ab illo confessionis expulsus.

Vbique multis plectendis capitali supplicio noster labor, atque sedulitas salutem peperit, dum illo extremo tempore patientiam persuasit, aut fidei veritatem. Ipris hæreticus prædo alias præfractus, victus est charitate Patris procidẽtis ad genua, & cum lacrymis propriam ab eo salutẽ implorantis, propriãq; illi animam commendantis. miser qui inter suos huius diuinæ virtutis, neque adumbratã speciem vmquam viderat, motus nouo spectaculo, cessit, magnumque præmium cedendo retulit, gremium Ecclesiæ, spem cœli. Talia exẽpla fecerunt, vt Senatus Burgensis hoc pri-

mum anno vocare nos ceperit ad suppliciacium.

Cortaci illud fuit insigne. modica scintilla litis magnum inimicitiarum incendium excitauerat inter duo capitula: illi extinguendo boni omnes diligentissime clam, palam, publice, priuatim insudauerant irritis conatibus: hi antiquitatem, & opes, illi iurapatronatus allegabant, & his vtrinque nixi propugnaculis nihil cadere, nihil remittere de iure suo volebant. flamma interim sumebat ex ipso decursu temporis incrementum. fecit Deus, vt intelligerent nostros neutræ parti fauere, fauere tantum veritati, atque paci; quare Gandauo Consiliarium cum actoribus vtriusque partis accersunt, qui Patribus Societatis velut arbitris controuersiam disceptent, atque dirimant. cætus triduum ad ædes nostras cogitur: expenduntur rationum in vtramque partem inclinantium momenta. adsunt nostri, aquam inijciunt flammis irarum, quæ erumpebant interdum ita vehementer, vt oculis etiam ardentibus lacrymas non semel extorserint. denique maxima ciuium gratulatione, & nostrorum studiorum commendatione deposita sunt vtrinque odia, constituta pax, & reuocata charitas.

Erepti à ſæculo, aut ab hæreſi.

Tornaci ab Aegypto in religionem traductæ ſex virgines. Vallencbenæ capitæ ſex, Bruxellis duodecim; Duaci plures quindecim. Antuerpiæ abiurarunt hęreſim triginta, Tornaci quinque, Gandaui filia cuiuſdam Epiſcopi Mammoniſtarum, Bruxellis duodecim. inter hos adoleſcens enutritus in Holando cælo, & hæreſi. conſeruabat exiguas quaſdam catholicæ fidei ſcintillas, quas ab Auo pene infans hauſerat. eæ excreuerunt intantum fidei telum, vt clam parentibus, huc ex Holandia fugerit, quo pleniorem cognitionem eccleſiæ, & eius ſacramenta perciperet. nouit Dominus qui ſunt eius.

Explicatio Catechiſmi.

Antuerpiæ ſeptimum iam annum catechiſmum paruulorum ſummis, infimiſque precibus, ſed irrito conatu apud vtrumq; magiſtratum vrgebamus. nunc tandem conceſſus eſt, & locis octonis inſtitutus, magno concurſu, maiore voluptate omnium. Bruxellis omnino iucundum eſt audire pueros, qui cũ plenè fari non poſſint, illius vniuerſa capita ſumma felicitate recitando balbutiunt. Gandaui tribus locis mille pueris explicatur in

diebus festis, at vero duobus profestis in hebdomada traditur variarum scholarum discipulis, quos certo loco praeceptores ipsi congregant. Cortaci mirum in modum promotus; nam procurantibus nostris, sancitum est è Senatus consulto, vt iuuentus vniuersa ab anno octauo, ad sextum decimum vicatim conscribatur per domos; patres familias diebus festis cogant suos ad audiendum: si semel neglexerint, multentur certa pecunia; ea secundo, & tertio duplicetur, quarto vero cum exilio commutetur. tanta affluxit multitudo, ut pro sexus, ætatisq; discrimine quatuor locis frangatur panis paruulis petentibus. Vallenchenæ semper assistunt senatores duo è magistratu, qui patrocinantur auctoritate, munusculis animant pueros, heros, atque parentes in officio continent, dum statis diebus rationem absentium puerorum ab ijs exigunt, & multant vel etiam plectunt neglıgentes.

Congregationes, & Scholæ.

B*Vrgis Congregatio Deiparæ Virginis, quæ constat ex adultioribus excreuit ad centum sexaginta. Eadem Louanij insigni, atque imitanda vtilitate designauit è suis quinque, qui cuiusque mensis initio in scholis triuialibus pietatem procurent, & pueros confitentes audiant. Ex Duacensi, sodalis occur-*

rentem sibi in platea pauperem, scabieque horridum perduxit in proprium cubiculum, in proprium lectum, & cæteris omnibus charitatis officiis prosequutus est.

Gandauense Collegium hoc anno scholas aperuit. Vallechenense quidem anno superiore, & numerat auditores ducentos. Audomarense sexcentos septuaginta, Leodiense septingentos. Duacense mille ducentos, ex quibus centum creauit magistros artium.

Temporalia quędam augmenta.

PRæter missiones, quas initio versas in Collegia diximus. Burgis exhibitus dialogus ita delectauit ciues, & magistratum; ut is, qui paulo ante florenos ducentos donauerat, se alios quingentos, & in singulos annos assignaturum promiserit. Traiectense quoq; Collegium, cuius alienum æs gubernator soluendum recepit, auctum est à Senatu ducentis florenis annuis, Louaniense vero quingentis liberalitate matronę nobilis, quam ad restituendam supellectilem Collegij, vt imitarētur aliæ non ita locupletes ornatum muliebrem contulerunt, torques aureos, & monilia. Cortaci præter alia munera accesserunt aulæa raræ elegantiæ sacelli paretibus circumquaq; vestiendis. Antuerpiæ in tanta ædium amplitudine scholas, vt explicaremus, vel permutaremus,

taremus, structuræ ratio non permittebat; erant angustæ, eo loco positæ, quo cæteris domesticis muneribus impedimenti non minus afferrent, quam ab ijs acciperent. ijs ipsis non exiguo incommodo erant officinæ tinctorum Collegio aduersæ. has officinas hoc anno creditores oppigneratas sibi prætoris auctoritate occupauerant. Societas supplicauit senatui, nobis, suæq; iuuentuti cōmodaret, ædesq; scholis extruendis assignaret. is paulo ante nostram inopiam duobus millibus leuauerat, tamen grauissimo senatusconsulto eas duodecim millibus emit. ex quo gymnasium magnificè extruitur media vrbe, loco celebri, quem nunquam sperasset aliquis venturum in potestatem Societatis, cum sit à Collegio nostro intermedia frequentissima platea disiunctus; inuentum præ foribus antiqui operis toreuma. Deipara Virgo filium gestans scribenti puero scalprum librarium, graphiarium, & atramentarium porrigebat. mirum Antuerpiæ, vbi contra sacras imagines pugnatum est, ac debellatum ad internecionem, tandiu sic permixerint illæ effigies loco publico præ foribus viri hæretici, in ipso conspectu templi nostri, quo tot annis sacrilegè abusus est minister hæreticus. fecit pia mater, vt intelligeremus locum illum à se conseruatum, & traditum esse Societati.

Miss-

Missiones.

IAmmiscui Collegijs Sedem Bruxellensem ; ad quam Castrensis pertinet. ea quanti laboris fuerit, quantique fructus ex ipso nomine castrorum intelligi facile potest. viuendũ, & agendum inter arma, & cum militibus idest, (vt corporis incommoda præteream, quæ omnem excedunt fidem) vbi licentia suum habet imperium, vbi nulla lex, nulla ad bene viuendum auxilia ; sed contra summa impunitas, omnis turpitudinum, atque vitiorum colluuies: vel animo seruire cupias, vel corpori; vno loco propositas habes omnes functiones misericordiæ, quas alibi sparsim reperies ; in ijs tales nostri se præstiterunt, vt vix illis materia beneagendi superfuisse videatur, vt prudentiores nullum stipendium à summo exercitus ductore melius collocatum dicerent, quã quæ in nos conferebatur eleemosyna. & ipse ductor fænerari se nomine Regis Philippi diceret eam pecuniam, qua alebat in exercitu Patres Societatis. Clausit castrensem nostrorum operam, & morte sua annũ hunc luctuosum Belgio reddidit Alexãder Farnesius Dux Parmæ, atque Placentiæ. Imperator non impar antiquis, ætatis vero suæ nulli secundus. opus non annalium nostrorum, sed grauis esset hystoriæ stylo persequi bellicas ipsius laudes, vir-

virtutes imperatorias, res præclarè gestas, quam multa, quamquam insignia reliquerit vestigia suæ fortitudinis, pietatis, fidei erga Regem, cęterarumque virtutum, quæ deceant eximium Ducem christiani exercitus; amauit certe Societatem in primis, numquam castra mouit sine nostris hominibus, quos summum robur sui agminis appellabat. ijs semper ostendit omnia amoris præcipui argumenta, ijs potissimum suum semper animum credidit, ex quo Bruxellis tertio septembris in eorum manibus mortem obijt, ad quam paulo ante generali confessione vitæ totius, toto hoc anno menstrua perceptione Eucharistiæ, frequenti exercitatione piorum operum diligentissime se cõparauerat: quippe qui mente quadam missa de Cælo indubitanter sentiebat, & cum vacationẽ ardentissime à Rege petitam impetrare non posset, dictitabat sæpe, cito reddendus terræ est saccus corporis mei, vacandum est animo. id quando non licet per Regem Philippũ, oro Deum Optimum Maximum, vt saltem hos meos qualescunque labores numeret pro studijs illis, quibus mihi eßet salus animæ comparanda. assequetur vt speramus à Deo. nam quemadmodum ad tuendam sui nominis immortalitatem contra impetum sæculorum munitum vallum opposuit res, consilio, manuque præclarissimè gestas, ita ad diripiendum cælũ magnas vires attulit, pia opera, telum fidei,

suscepta

suscepta pericula, diuturnas contentiones corporis, atque animi, sanguinem sæpe fusum, ac vitam denique pro catholica religione expositam. Groninga alterius partis Frisiæ occidentalis caput est. regio vberrima, sed vastata ab hæreticis, sed exhausta bello duodecim annorum, quod suis expensis pertulit, etiam circundata ab hæretico hoste, qui quoquo versus omnia prope oppida, & propugnacula occupauit. hic bini Patres ab hinc circiter annos duos, alter in vrbe, alter in vicinis oppidis, & arcibus munera Societatis obierunt solitis missionum operibus, labore, & fructu etiam maiore; quippe inter hostes, & inter hæreticos. est in eadem regione Stemuica oppidum nõ procul à mari ditioni transinsulanæ finitimũ, exiguum quidem, sed hactenus militum nostrorum præsidio munitum. huius gubernator cum imminere sibi obsidionem præcognosceret, impetrauit per litteras, vt eo se noster sacerdos transferret. eius aduentus visus est afferre singulis nouas vires, nouum præsidium, magnumq; commeatum in arcem, celebratus plausu omnium ordinum, quos ille ad seriam peccatorum detestationem hortatus, plurimos audiuit confitentes, & sacrosancto corpore Christi refecit. secuta statim est obsidio, & oppugnatio vehemens. ab hostibus admota grandiora tormenta supra quinquaginta, è quibus ænei globi immissi vno die plures; toto illo tem-

tempore plures septemdecim millibus, propugnacula non modo quassarunt, sed euerterunt, adhibiti etiam cuniculi, quibus muros disiecerunt à radicibus: quare postremo die cominus pugnandum in aggeribus mœnium, iniqua admodum conditione; hæretici siquidē abundante multitudine sæpius fessis, oppugnatores integros suffecerunt; nostris non ad quietem non ad cibum capiendum, non ad liganda vulnera spatio relicto semper consistendum, & pugnandum in eadem statione fuit. iacebant circum quinquageni, & octogeni interdum socij hastis traiecti aut glandibus plumbeis, strati, vel cæsi vulneribus. moribundi interdum à propugnatoribus calcandi pedibus erant. madebant suo ipsi sanguine, neq; tamen loco moti, nullum signum timoris, nulla mentio deditionis, nulla querimonia. sed tātus erat ardor pugnæ, vt quasi cresceret cum periculis animus; arma, galeas, cæsorum capita, & truncos ipsos in hostem conijcerent. fuit, qui ter equallo deportatus exanimis semper vt ad se rediit, rediit ad vallum. donec ibi ad se non rediturus fortissimè cecidit. fuerunt qui cum stupore omnium sublati vi tormentorum in aera, atque delapsi incolumes nihil moti tanto periculo persisterent in pugna. fœminæ, quasi naturam exutæ, non commouebantur prope cadentibus filijs, cadente marito, sed tela ministrabant pugnantibus, ipsæ tormenta explo

debant

debant in hostem. non fuit in tanto numero vulneratorum qui nō Patrem accerseret, qui Patrem, si loqui posset non appellaret, ea erat vox prostratorum, ea morientium, Pater, Pater, se felices arbitrabantur, si ipsum conspicerent antequam efflarent animam. Pater sine cibo, sine quiete circumcursabat, monebat, hortabatur, benedictionem impertiebat, cōfitentes audiebat, interdum non sine admiratione, cum cerebrum efflueret, & spiritus ad plenam distinctamque confessionem superesset. nox oppugnationem opportune diremit. ceciderant è nostris milites præsidiarij trecēti. reliqui propter grauitatē vulnerum, propter fusum sanguinem, aut propter diurnos labores arma non regebant manibus. Capitanei, duobus exceptis, omnes aut interfecti, aut saucij, commeatus fere nihil, tormentarij pulueris vix duæ libræ supererant: strata circum mœnia, patentem aditum hosti præbebant in arcem. quare teneri amplius, neque ad horam poterat. cæsa hostium supra duo millia; chiliarcha vnus, Capitanei decem. quare dux hostium Mauritius deterritus tanta cæde suorum, constantia oppugnatorum, quorū statum meliorem esse putabat, de pace agere cœpit cū oppidanis: non conueniebant, quia ille inter primas conditiones Iesuitam sibi tradi poscebat: quod adfuisset in carcere Reginæ Scotiæ, quod mortem intentasset Reginæ Angliæ:

pro


pro quo capiendo se dicebat non grauatè totũ exercitum fuiße profusurum. hi malle se profitebantur omnes pugnando cadere, quam Patrem prodere. cumque reditum infecta pace pararent; callidus hostis expũxit articulum: nostri vero Capitanei fraudem subodorati, Patris incolumitatem separato articulo sanciri voluerunt. sed nequaquam satis illi cauerũt: nam honestis conditionibus transactis cum ingressi hostes essent in oppidum, & milites nostri discederent cum sarcinis, vbique Iesuita diligentissime perquiritur. ille re audita, vltro se offert quærentibus; nec mora; vincitur catenis, deducitur ad concilium, de rebus varijs, atque indignis interrogatur, sed ita perturbátè, atque confusè; vt cum alio alij errore nomen, patriam, tempora, permutarent, facile omnes eluserit, cumque eum nominatim quærerent, esse tamen alium opinarentur. conijcitur in carcerem apposita custodia lictorum. aduolat minister hæreticus, & quoniam breui Patrem suspendendum audierat, hortatur pluribus, vt nouum euãgelium agnoscat. respondit Pater, quæ videbantur: sed animaduertit Ministrum ita hebetem esse, atque rudem, vt rationes non intelligeret, nihil haberet noui, semper eadem præscripta, atque concepta verba iterando inculcaret identidem. disce à me veritatem. Pater petulantiæ, atque impudentię pertæsus aperto capite suos homini canos ostendit,

ostendit, & voce, magno impetu, elata, tu, inquit, barbatule ignorantissime rerum, vel abhinc, vel disce à me multo saniore veritatem. verborum sonus, & grauitas ita miserum deterruit, vt neque verbum respondere ausus confusus discesserit. gloriabatur tamen quod cum Iesuita disputasset. Vulgato interim periculo Patris, ira ardentes nostri milites affirmabant se sine Patre non egressuros. palam oppidani querebantur, vtrorumque Duces ita instanter egerunt cum Comite Mauritio, vt ad perfidiæ suspitionem vitandam Iesuitam dimitti cum catholico præsidio iußerit. Pater ereptus vinculis, incredibili concursu amicorum eo maiore omniū gratulatione, quo propior periculo fuerat adijt Comitem Mauritium, ab eoque petijt mandaret, sibi restitui equum suum, pecuniam, breuiarium. variè quidem, atque immodestè ab eo consessu lusum in breuiarium, in Societatem. verum ad omnia Pater ita appositè respondit, eos interdum aperta veritate conuincendo, interdum modestè pudefaciendo, excitando interdum risum, interdum admirationem, significatione charitatis; scientiæ, modestiæ, prudentiæ, vt omnibus iam victis, atque obmutescentibus, Comes Gulielmus Mauritij cognatus germanus, pessimus licet hæreticus palam dixerit, ne speret quisquam se reportaturum victoriam a Iesuitis, apud quos vix illitteratum, stupidum

certe

certe nullum inuenies. Ex quo suis rebus recuperatis honoratior ab ijs discessit.

Hoc anno patefactus aditus in Hollādiam, duo missi. eorum alter vix è portu soluerat cum leuatur sarcinulis, crumena, pallio, galero: vix primos euasit, cum incidit in secūdos, à quibus rebus plane omnibus calceis, indusio ipso exuitur & oneratur verberibus, super iniectis scrutis aliquot sordidissimis, quæ quidā ex ijs abiecerat, seminudus deflexit in vicinam patriam. petit à matre eleemosynā: sed ab ea abijcitur quasi scurra, vel amens. discessit gaudens, quod dignus habitus esset ab ipsa Parente pro nomine IESV contumeliam pati. peruenit tamen Duce Deo ad stationem destinatam. sunt hi catholicis magno solatio, atque præsidio. sperantur fructus quotidie maiores, quales etiam à missione Montensi percipiuntur.



PROVINCIA GERMANIÆ SVPERIOR.



N superiore Germania socios vniuersę censuimus ducẽtos octoginta vnum. Domicilia tredecim. ea sunt Collegia nouem. Ingolstadiense, Dilinganum, Monachiense, Augustanum Ratisponense, Oenipontanum, Halense, Lucernense, Friburgense, vna probationis Domus Lanspergæ, duæ Residentiæ Bruntutana Oetingensis, vna Missio Constantiensis. singulorum locorum numerum non adscribimus, quoniam neque explicatus est in commentario, qui inde missus in Vrbem. in Societatem adscripti septẽdecim. vita functi tres. In his Monachij P. Gulielmus Helderer post curriculum annorum duorum, & quadraginta feliciter in societate confectum, primus humatus est in nouo Templo. Ambianum deductus è castris Gallicis cessit è vita P. Georgius Hippius. prope omnes summa pietate sibi deuinxerat. nam proprij corporis oblitus, Deo se totum, & proximis impenderat. surgebat sæpe de nocte, sæpe de mensa, non modo vt milites moribundos adiuuaret, sed vt

ægrotos inuiſeret, vel mortuos ſepeliret. vir planè admirandus propter eximiam hilaremque charitatem, quam in ipſa morte non dubiam oſtendit, nam cum videret ſocium ſuo morbo commotum, & quærentem num illi aliqua re opus eſſet, quid, inquit, opus eſſe poteſt homini paulo poſt Deum habituro? quid mihi mæſtitiam præfers? quin gratularis potius præſtolanti tantum bonum? tum eum arctiſſimè complexatus, vale, inquit, frater cariſſime, & pro me Deum venerare, qui me vocat. deinde ſæpius iterans ſuauiſſimum nomen IESV *ad ſuperos vti confidimus euolauit. Dilingæ obijt ſocius, qui extrema hora ad ſe introduci iubet adoleſcentes quibus erat præfectus; & opinione virtutis, & oratione prudenter habita eo loco, eo tempore vniuerſis extorſit lacrymas, & magnum iniecit beneuiuendi deſiderium. Vir fuit raræ prudentiæ, raræque deuotionis, eaſque in vita, & in morte præ ſe apertiſſime tulit.*

Quæ geſta ſunt in procuranda ſalute proximorum.

M*Vlti exuſti libri, vaſa veneni hęretici. ea labe Deus per Societatem abluit, Lucernę duo de viginti, Dilingæ duo de triginta Ingolſtadij quinquaginta, Auguſtæ trigin-*

ta, Ratisbonę viginti, vno plus Friburgi.

Ratisbonæ instituta Congregatio B. Virginis. Quidam ita æstuabat desiderio Sodalitij Ingolstadiensis, vt quamuis sanguineam pituitam propediem moriturus euomeret, corpore esset ægerrimo, totusque contremisceret; tamen designato die, baculo innixus traxerit se ad conclaue sodalium. receptus in Virginis Matris chorum salubriore ex eius vberibus lacte e poto præter omnium spem cum miraculo plane conualuit.

Variæ factæ missiones præsertim a Ratisbonensibus, à Dilinganis, ab Ingolstadiēsibus, in oppido quodam indignissima superstitio eradicata est: nam die Sancto Parasceues cum imago Christi de Cruce pendentis populo veneranda proponitur accurrebant omnes, præsertim mulieres ouis, caseo, lardo, & id genus exculentis vana religione omnes penitus partes Crucifixi certis vicibus admirabiles quosdam euentus contrectabant.

Ad Galliæ bellum iussu Pontificis missi tres è nostris. vsi tanta charitatis exercendæ materia; vt alia multa præteream, quę pertulerunt quæque effecerunt, ad ouile Ecclesię reduxerunt quadraginta.

Ali-

Aliquorum ſtudia, & beneficia in Societatem.

INgolſtadij laxatæ anguſtiæ domeſticæ per ampla fabrica extructa ad Collegiũ. Brun truti creſcente numero diſcipulorum, Magiſtratus egregiam fabricam ſcholis prioribus adiecit. eandem, cum non ſatis exiccata pondere tecti corruiſſet, iterum hac ipſa æſtate ere xit. piorum munificentia templo Lanſpergẽſi donata munera aureorum plus quingẽtorum; Dilingano plus duorum millium. Auguſtano pro venerabili ſacramento corona grauis auro, gemmis, atque opere illuſtris.

Hic apud nos ad rem chriſtianam promouendam magnum habet momentum videre ſocietatem eſſe in precio apud viros Principes; huc illa pertinent. Duciſſa Auguſta Lotaringiæ cum hac iter faceret, non modo Collegium inuiſit, ſed in tẽplo noſtro publice magna multorum admiratione, magno exẽplo expiationis, & corporis Dominici ſacramẽta ſuſcepit. Illuſtriſſimus Fuggerus noſtrorum opera præparari voluit ad ineundum Sacerdotium, & ad rem ſacram primo faciendam, quam & in templo noſtro ea pompa, eaque celebritate decantauit, quæ tantum virum, tantamque familiam decuit. illuſtris Comes Hieronymus de

Portia per superiorem Germaniam Nuntius Apostolicus in procuranda salute animorum opera nostra, & sæpissime, & libentissime vtitur Dilingæ cum Basiliensi, & Eluuacensi totum diem apud nos egerunt, summamque perceperunt è conspectu litterariæ palestræ voluptatem.

Dux Bauariæ, & eius filij.

GVlielmus Dux Bauarus iamdudum deuinxit sibi, suæque familiæ Societatem; & eximia voluntate, quam semper illi paternam præstitit; & memoria meritorum in eam immortalium, toto orbe Terrarum in nostris mentibus grati; atque memoris animi desiderium altius illa defixit nullis delenda temporum iniurijs, nullis terrarum, aut marium interuallis: in Germania certe, vel nolentibus ver satura sunt semper ob oculos in tot Collegijs; templis, Gymnasiis, alijsque molibus, in luculentissimis eorum fundationibus, atque dotationibus, quæ sui in nos amoris, atque munificentiæ monumenta æterna tanto, tamque pio Principe digna constituit. Decimo quarto kalendas februarij venit in Monachiense Collegium. constitit in Triclinio cum coniuge; cum Ferdinando germano fratre, Maria Anna filio Caroli Austriæ, atque Stiriæ Principis. aderant filij Maximilianus natu maximus, Albertus

bertus natu minimus præclarissimæ tanti parentis imagines. alterum latus cingebat Senatus domesticus viri primarij nobilissimiq; Cancellarius, Aulæ Præfectus, & qui Principi est à secretis. remotis alijs arbitris, nostris in Triclinio stantibus, Cancellarius iussu Ducis Patria lingua onerauit præclarissimis laudibus Societatem: contulit cum præterito florentem in præsentia statum Bauariæ; acceptumque retulit nostris laboribus pro ea iam inde à temporibus Gulielmi iiij suscepti;: pergamus certare pro stabilienda auita religione; quam in Bauariam reduximus. eo labores, ingenia, preces conferamus: habituri homines testes, & admiratores in terris, Deum remuneratorem in Cælis. exposuit quantam ex eo Dux voluptatem accipiat, quantum debere se profiteatur ordini nostro, quamque cupiat eius voluntatis aliquam dare significationem. dilapsus ad Templum, quod tam preciosa supellectile, auro, argentoq; in diuinum cultum locupletauit, ad erectum gymnasium, Collegiũ polliceri propediem assignato ad eam rem in singulos annos certo censu, totum opus absolutum iri: & quinque millium florenorum in Collegij dotem ad scholares in posterum informandos, & alendos. hæc illum nobis vltro largiri omnia, tanquam debita stipendia Castra, armamentaria, delectis Bauari soli militibus: velle nostra esse plenissimo iure, nobis dare, di-

Lauretum in Germania dixeris; magnamque locus præbet opportunitatem iuuandi proximos. id fecit, vt Bauariæ duce poscente, atque suppeditante, quæ necessaria sunt, ibi aliquot è nostris consideant; missi quinque eos colligere fructus, qui expectari poterant ex tam opportuna messe; tam incultum genus hominū ita simplex, & rude; vt non immerito eos tabulas rasas quotidianis sermonibus appellemus. Ne minora prætermittere, aut negligere videamur pro dissoluendo ære alieno Collegij Oenipontani; Dux idem trecentos florenos; & vini plaustrum assignari iussit.

Calcant tanti parentis vestigia digni tanto parente filij. Maximilianus, vt ostenderet suas eße delitias, vel Societatē, vel pietatem; postrema nocte bacchanalium cœnare in Collegio, longius peregrinaturus comitem habere voluit hominem Societatis.

Porro Ferdinandus Archidux, vt cæteros non minus literis, & meritis, quàm nobilitate superet, Ingolstadij tempore studij renouandi; laturis de cuiusque profectu sententiam ita prompte respondit, vt voluptas interrogantium respondentis alacritas, examen ad integram horā protraxerint: declarata illustrius est adolescentis præstantia, atque palmam omnibus eius non tituli, sed merita præripuerint. Mox publice politicis priuatim Mathematicis nauare cæpit operam: Tum ipse tum;

Phi-

Philippus frater in Italiã profecturi sibi e Societate duos adiunxerant. in Templo nostro publicè sumpserunt Eucharistiam, neque vllum admiserunt comitem, qui non se prius leuauerit sarcina peccatorum.

PROVINCIA AVSTRIA.

Nostrorum numerus.



Abemus in Austria octo domicilia, socios paulo plures trecentis. Viennæ duos & sexaginta. Græcij sexaginta: in Brunensi domo probationis vndequinquaginta. Olomucij duo de quadraginta. Prágæ vnum & triginta. Thurocij, & in Transyluania sex supra viginti. Quinque minus Crũlouiæ. Comotouiæ tredecim. In missione Vratislauiensi quatuor. Illa omnia collegia sunt. Bruna excepta. Vita functi quatuor. Adiuncti noui circiter viginti; ex Olomutensibus cõgregationibus duo, ex Pragensi Collegio tres, ex Comotouiensi vnus, ex Crumloniensi quatuor; inde sex in alias ingressi familias. & meditatur societatem probatæ patienitæ, atque fortitudinis adolescens. quoniam triennio

ante

ante desertis castris paternis transierat ad ca tholicos, diuturno bello graues vexationes pertulit à domesticis. sed tamen sua constantia vicit aduersariorum improbitatem. vt hostiam Deo pro parta victoria immolet, suum ipsum caput Societati deuouet. Factus hoc sacrificio, & ipsa pugna fortior; suscipit maius bellum, & periculosius, illudque ingenue patri denunciat, dum suum consilium subeundi religiosi ordinis impauidus aperit. næ pater excandet; sed iram altius premit pectore. versat omnibus artibus adolescentem. vbi ex omni parte constantem in consilio perspicit, iamque meditari fugam intelligit, amens furore pugnis, & calcibus ora prostrati fœdat atque contundit. hoc præludio furoris in miserum effuso, matre in crudelitate socia, atque ministra vestibus omnibus exuit; statutus tenerũ adolescentem flagris concidere, vel vsque ad mortem, vel donec fidem extorqueat, qua iureiurando se ab incæpto destiturum affirmet. atrox spectaculum. carnifices filij parentes: tormenta admouent, vt à virtute, vt à Deo diuellant. non constantia iuuenis, non sanguine, qua nigrescente; quà erumpente leniuntur: à verberando prius defatigatio, quam misericordia reuocat: Sed dum vires tantisper quiescendo recolligunt ad prælium secundum atrocius; adolescens non sine Dei nutu, atque ope, prosilit in viam ex altissimo loco, detrimenti

mento nullo, periculo quidẽ maximo: & transuolat ad Collegium, nullo vestitu, nullo ornatu, nisi vibicum & sanguinis, quod gratissimum Diuinis oculis, humanis admirabile in carne filij paternæ manus effinxerant. Vratislauiæ quoque, vbi tres virgines dicatæ Deo; adolescens, qui aspirat ad societatem, accusatus à matre hæresis desertæ crimine; raptatus ad tribunalia Prędicantium, magna discrimina subijt, sed reportauit ex omnibus gloriam.

Quoddam pœne miraculum.

Afficitur gloria Deus, cũ seruorum eius labores enumerantur, & crescit laborantibus animus, cum aliqua ex parte respondere operę fructus ostenditur. hic solum negotium est in conseruãda fide orthodoxa, in euertenda hæresi. res agitur priuatim, ac publice, administratione sacramentorum, colloquiis, disputationibus, concionibus, quas singula prope collegia diuersis linguis, quaternas, quinas, & senas interdum habent. præsto est laboribus nostris Deus Optimus Maximus, suamque opem rebus persæpe indicat, quæ non longissime à miraculis absunt. prætereo multos, qui cum spectris varijs vexarentur à dæmone, hãc vel illam formam induto, sumptione Eucharistiæ,

ristiæ, sacra confessione, lustrali aqua liberati sunt, illoque signo moniti de vera religione cogitare cœperunt. Rusticus noster die veneris negotij causa hæreticum villæ ministrũ adijt. erat in mẽsa opipare sane apparata carnibus. iubet ille assidere hospitem, vt irridendũ propinet compotatoribus: quippe catholicum inuitat ad carnes: cum ille constanter abnueret, & se, eo die arceri ab ijs religione diceret, arripiunt risus materiam, vrgent, sollicitant, risu, cachinnis, atq; temulentis clamoribus admouent ori, intrudunt prope in oculos. tum egregius minister magnum bolum delicatissimæ carnis arripit, rusticum nomine appellat, & in eius ludibrium cunctis intentis ad spectaculum manum attollit, ac deglutiturus pandit impurissimas fauces. non adhuc esca erat in ore ipsius, & ira Dei descendit super eum. hæsit aperto, atque hianti ore. nullo conatu, nulla vi coniungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus disiunxerat. perducitur Vratislaviã, frustra adhibet chirurgos, aliosque medicos; dumque magni fiunt ad rem nouam concursus; ille, qui contra religionem catholicam os aperuerat, & ore apertissimo verbum exprimere nullum poterat, eo miraculo prędicabat aptissime fidei veritatem, in eiusque testimonium os habebat apertum inuitus.

Non absimili modo, funestiore exitu, petulans muliercula inter catholicos immorans die sabbati,

pati, vt primum carnis bolum in os ingessit, extincta repente in terram concidit.

Traducti ad veram Religionem,

CRumlouij repositi in gremio sanctæ Ecclesiæ octodecim. Comotouię quindecim supra quingentos, Consul primas, quique cæteros dignitate, ac potestate præcedunt. horum auctoritate ita excitati ciues, etiã quos suburbia complectuntur, vt certatim verbo scriptoque promiserint se certo tempore præeuntium secuturos exemplum. Loci Dominus ex hoc progressu religionis tantam voluptatem hausit, quantam animo continere non potuit, Te Deum laudamus solemni symphonia decantari, pulsari campanas, bombardas explodi, & quasi de hæresi debellatum esset, dari publica lætitiæ signa mandauit; quippe qui hoc vnum habebat in votis, hoc vnum diu noctuque versabat animo, eamque ob causam nõ modo posthabuit magna sua emolumenta, spreuit ingentem vim auri, fecit largitiones, dedit immunitates, oppida ita deuinxit, vt futuri imposterum heredes iure cadant hæreditatis, si in illa aduehi religionem discrepantem à Romana permittant; sed multa præstitit dignissima, quæ commemorentur à nobis, nisi

insti-

institutum esset tantum persequi omnino propria Societatis. Pragæ Lutherum detestati sexaginta. abiurauit publice quidam, qui in nonnullis Academijs magistrum, & concionatorem egerat in Saxonia. suo exemplo labefactauit pertinaciam plurimorum, euertit multorum. Græcij sex & viginti, Brunę septem supra triginta, Olomucij quadraginta. Cæteros omnes antecelluit Philippi Melanctonis discipulus. maximam partem ætatis (erat annos natus quinquaginta) consumpserat in prædicanda, atque disseminanda Lutherana doctrina, de qua dubitare tandem cæpit: cum toto illo tempore neque animi tranquillitatem, nec solidi quicquā inuenire potuisset in ea, quam singulis oppidis à se ipsa diuersam, & in eodē oppido singulis propè annis immutari videbat. e Saxonia Olomucium appulit. eò magis fulgorem cōstātiæ catholicæ admiratus, quo ad illam est è maioribus, atq; diuturnioribus tenebris traductus. execratus in templo frequenti populo Lutherum est. iamque nititur quantum exhibuit linguam suam seruire iniquitati ad iniquitatem, tantum nunc seruire iustitiæ in sanctificationem. Viennæ quoque leuitatem Lutheri cognouit cum alijs sexaginta minister vnus: nec non puella nobilis, quæ cum diligentissime à parentibus in Lutheranismo, & in odio catholicorum educaretur, nescio quo casu, (si casu licet appellare, quod

summa prouidentia factum est) in templum nostrum ingressa, dum curiosius cum admiratione munditiem, ornatum, ceremonias, cuncta rimatur, subito imbre lachrymarum oborto, conuertit ad se omnium matronarũ oculos. quærunt gemitus causam. quia, inquit, hęc illa religio (intimis agnosco sensibus) ad quam Deus me pæne ab infantia, quadam animi propensione, & stimulis cælestibus allexit; sed complecti, aut saltem audire per domesticos impostores nunquam licuit. quo audito iubent eam bono esse animo, rem statim cum viro societatis communicant, qui fideli matronæ interprete eam fecit sui voti compotem, adiunxit Ecclesiæ, muniuit sacramentis, & ijsdem in præsentia, communit. Nobilis adolescens natione Vngarus, veritus ne à propinquis, aut amicis infidelibus iterum inficeretur hæresi, à qua se in gymnasio nostro purgauerat, virum societatis adit, cōsulit vtrum probet Romæ petendæ consilium. quærit ille quis sit necessaria vitę in itinere, aut in vrbe suppeditaturus. Deus, inquit, cuius causa iter arripio, & fugio patriam domesticis commodis affluentem. Subiunxit noster; at etiam hæreditate priuaberis; terrena priuent licet, inquit, sic mihi magis obligabunt Cælestem. iuit cum Legato Transyluaniæ. à summo Pontifice benignissime exceptus, & collocatus est in Collegio Germanico. A communione sub

vtraque

vtraque specie dimoti nonnulli, Olomucij sexaginta, Pragæ quatuor & triginta, Græci nouem. ibi vocante Deo Cęlesti doctrina, atq; fonte lustratus est Turca adolescens, magna pompa in templo nostro Archiducissa, & filio Maximiliano excipientibus.

Scholæ, Congregationes.

COmotouium scholas fecit quasi è priuatis publicas. celebrata primum innouatio studiorum summa pompa, nobilitatis vniuersæ concursu. iuuentus in quatuor distributa classes. omnia præmia tulerunt qui sunt è contubernio pauperum. literæ siquidem in solo voluptario non admodum excrescũt. Discipulos Vienna mille numerat, ducentos quinquaginta Cromlouium. Ex his vnus rationibus vicit hæreticum, qui cum victoriam arti sophisticæ tribueret; prouocare ausus est ad emetiendam nudatis pedibus viam stratam accensis carbonibus, & corporis integritate religionis veritatem distinguendam. deterrere fortasse voluit adolescentem, sed is conditionem amplexus, serio se ad nouum disputationis genus oratione, & sacramentis diligentissime comparat. certo tempore maximo cõcursu mortalium descendit in arenam, in qua inanis iactator suæ causæ diffidens apparere non est ausus. Retulit Catholicus Deo, suæque

religioni summam laudem, & sibi honorificũ sine pugna triumphum. Ex eorundem discipulorum quasi floribus sodalitium collectum, & Virgini Deiparæ dicatum. Institutum:, & aliud Brunæ ex opificibus fere Italis sub nomine Virginis Annunciatæ, & primario Romano connexum. Aliud in Collegio Viennensi ex iunioribus adolescentibus; grandiores uero, quibus fuit paulo ante adhibendum calcar, ita excitati sunt, vt fræno indigeant, ne corpus opprimant verberibus, ciliтijs, & ieiunijs diuturnioribus, solo pane, & aqua susceptis.

Progressus ædificiorum, & collegiorum.

BRunense tyrocinium auctum est nouo prædio. Pragense collegiũ proximis ædibus, quas nobis gratiores fecit modestissima priorum inquilinorum vicinitas. Thurocij excitatæ à fundamentis scholæ tres, exædificata nõnulla cubicula, & hypocausta. Comotouij scholæ quatuor. vrgentur cęteræ summa fundatoris beneuolentia, ac liberalitate. Ille fundatũ à se collegium solemni pompa Academiæ titulo, atque priuilegijs insigniuit, impetrauitque ab Imperatore rarum, & illustre diploma, cui nomen vulgo facit aurea bulla, quæ

pendet

pendet. hoc fermè modo xvij. kal. Iulias Pragæ in templo Societatis præsente Hispano oratore, & primoribus regni, atq; aulæ Cæsareę dynastis Patriarcha Alexandrinus Apostolicæ sedis nuncius actionem à rę Diuina auspicatus est. ea facta fundator per oratorem exposuit suum de Societate iudicium, suam voluntatem in nostros, suum de Collegio fundando, firmando, atque exornando consilium; quidque ab eo speret vtilitatis Ciuitati, atq; regno vniuerso. tùm diploma porrexit in manus Patris prouincialis. pater Prouincialis accommodata oratione ad vniuersa respondit, gratias egit, ac diploma Comotouiensi Rectori tradidit. Rector fundatori de more Societatis cereum ardentem in signum fundationis acceptæ, ac eius pro fundatore habiti obtulit, atque fœlix faustumque precatus illi, præsentibus, toti regno actionem clausit plaudente symphonia, & populo.

Missiones.

MIssio *Vratislauiensis eundem tenet cursum laboris, & fructus. abduxit ab hæresi duos & viginti. Ex omnibus locis variæ factę excursiones, Vienna in Vngariam quatuor circiter mensium spatio rogatu proregis. Habitæ conciones in præcipuis regni ciuitatibus, & duobus mensibus in ipso Comi-*

tiorum loco magna omnium ordinũ, & ipsorum etiam inimicorum approbatione. ex quibus sex Principes viri fidei Romanæ subscripserunt. per Pragenses in proximo pago Comotouiensis fundatoris capita triginta reliquerunt hæresim, & communionem sub vtraque specie. Grecio, vnde bini castra sequuntur Marchionis Austriaci contra Turchas, itũ in vicinas villas. Item Crumlouia. ab his docendi fuerunt sacerdotes formam absolutionis, & reuocatum verum pensum horarum, vesperarum, quas in duos psalmos cum oratione, ceteris omnibus mutilatis coarctauerant. extorta à centenario hæresis, & binæ species, à capitibus circiter triginta. Thurocio, atque Olomucio lustrati nostri, vicinque pagi, vbi tantus paganorum animi candor, vt publicè in Ecclesia peccata detegant, atq; sibi ignosci deposcant. In nostro Scilliensi oppido impetranda pace ab inimico, ereptus quidam iuuenis est à mortis supplicio. & orthodoxa explicatione Euangelij decrepita architecti vxor erepta è faucibus inferi, in quas à pueritia suis eam Lutherus nexibus abstraxerat. Noster sacerdos prosecutus Vesprisniensem Episcopum, in parentis arcem Vngaricam reduxit ad viam salutis matrem ipsius, quæ viginti annis nescia quid crederet varijs vsa ministris errauerat; nec non & eius cõsanguineum, qui eo erat difficilior, quo sibi intelligẽ-

 tior

tior esse videbatur & literatior. In comitatu Liprouiensi, malo loco pagi nostri res erant, pagani omnes hæretici sub eiusdem farinæ lupo magis, quàm pastore. neque sermonem audire volebant catholici Parochi, in eius perditissimi locum subrogandi. Auditum est ministrum illum totum esse in datis & acceptis, in venditionibus, & emptionibus, eo quod rem frumẽtariam, & pecuariam exercebat. concionandi, suique muneris præstandi tempore vel aberat, vel ita aliorum negotiorum occupationibus detinebatur, vt reputari pro absenti posset. Rector vsus occasione hominem accersit, enumerat hæc omnia; & graui oratione negligentiam arguit. nesciebat miser quid responderet; vera erant quæ obijciebantur, prouocare non poterat ad paganos, quorũ Rector agebat causam; neq; exclamare id fieri aut odio, aut causa religionis. quare fatetur errorem, deprecatur culpam. mercaturæ causam affert suam tenuitatem, qua etiam impediri se asserit, quò minus alere vicarium possit. præfert Rector misericordiam, & pro summa liberalitate Vicarium se Collegij sumptibus subrogaturũ promittit. agit ille gratias maximas, se tantæ liberalitati deuinctissimum ostendit; & se ratus imposuiße Rectori gaudio cumulatissimus abijt; quippe qui ab omni prope labore, atque cura ad sua negotia futurus esset expeditior. Rector statim eo misit sacerdotem

tatis, qui capellanum indutus, libentissimo ministro totam omnino curam animarum suscepit. obseruarunt statim rustici omnes magnam vtriusque diuersitatem in consuetudine, atque moribus; ministri impuritas, auaritia, ebrietas, scelerum colluuies, hunc reddidit multo admirabiliorem. Cõtra verò huius charitas, prudentia, cæteræque virtutes ita fecerunt ministrum exosum, vt prodire non posset in publicum, & paucis post diebus obduratus in hæresi moreretur. quare consentiente populo sibi noster totius parochiæ curam vindicauit. domo exegit Dominam parocham præteriti ministri coniugem cum liberis; se Iesuitam aperuit, reuocauit vexilla crucis, aquam lustralem, sacramenta, ac ne singula commemorem, quæ plurima sunt, ipsam Ecclesiam, quæ dudum ex eo loco exulauerat. ex quo statim plures quingentis in pristinam filiorum Dei libertatem vindicauit. Diabolus tam prosperos conatus ægre tulit. vsus solitis artibus, & ministris vt eos euerteret. subornant elegantes puellas, vt aditu sibi facto per speciem pietatis ad Patrem itando, salutãdo, munusculis, lenocinio verborum eum alliciant, & sibi plus æquo deuinciant. non successit, quia pater vbi intellexit blanditijs earũ subesse venenum, ita male multatas domum remisit, vt amorẽ omnino ex earum animis excusserit. quando ministri insidias irritas vident,

dent, spargunt toto Liptouiensi comitatu rumores: irrepsiße in suos fines Iesuitam, qui omnia permutet, perturbet, & nisi quàm ocyssime expellatur è finibus, profligaturus omnino sit eorum euangelium. Comes hæreticorum omnium patronus diligentissimus continuo patrem nostrum accersiri iubet. quærit quo modo sit fines Liptouienses ingressus. pater, qui nouerat ingenium comitis, non modo sine timore, sed quandam alacritatem, atque festiuitatem præseferēs respondet, curru vectus intraui. quæro, inquit, à quibus missus. ait à superioribus meis. ait ille, quando? statim atq; iußerunt; quam diu moraberis? donec ijdem reuocent. delectatus comes libertate, ac suauitate sermonis Patrem lauto epulo excepit, & à se summa comitate dimisit frementibus hæreticis, quòd nihil neque blanditijs, neque terroribus proficerēt. iram qua ratione poßunt, effundunt, sexcenta in eum mendacia pro suggestu cōgerunt, & omnibus probris, atque maledictis proscindunt. re pater intellecta proxima concione cuiusdam ex ijs templum ingreditur tacitus, & obseruat multa, quæ pugnantia per summam inscitiam contra Christi in Eucharistia præsentiam euomit. Exempli gratia affirmauit initio Christum in Cælum ascendiße terris relictis, tum media concione probauit Christi corpus esse vbique locorum. vix finem dicendi fecerat; cum pater exurgens

modestissime postulat a præsētibus nobilibus, vt faciant vel nonnulla quærendi à parocho, vel cum eo disputandi potestatem. vt sunt ad res nouas proni mortales, facillime impetrat, cum præsertim ipse concionator audaciā præferens alacriter annueret. Quærit igitur primo pater, num Christi corpus in Cœlo fuerit antequam eo ascenderet; aut postquam ascendit, in terra remanserit. negat vtrumque, & audacter, & irridendo vtrumque se etiam in suggestu negasse confirmat. tum pater statim infert, ergo Christi corpus non fuit vbique, vt falsò populum pro concione docuisti. hic subito tam aperta contrarietate fracti spiritus hominis, hæret, pallet, obmutescit, caput ad solutionem eliciendam confricat, demissis oculis, quasi responsionem huius quæreret; tam diu consistit, donec cachinnis nobilium, & sibilis vniuersi populi explosus est. conuicit ea ratiocinatio concionatorem, sed veram illationem ludi magister intellexit; qui propterea sequendam esse catholicam religionem intulit, & professus est. Acrior alibi instituta disputatio. Comes quidam arte militari, pertinacia Caluinistica; truculentia morum insignis, cum aliquando congrediendum suis esset cum Arrianis, interfuit Caluinistis de disputatione secreto deliberantibus: animaduertit omnes diffidentes suæ causæ, nō veritate niti, sed mendacijs, captionibus, deprauatione volumi-

num,

num, sortiri quodammodo quid in rebus etiam grauissimis affirment, negent, sentiãt, qui denique statuunt fugiendum esse congressum; si agimus, inquiunt, scripturis, Arrianis resistere non possumus: si sanctorum patrum vtamur auxilio; prosternemus Arrianorum sententiam, sed illi vicissim facile alys eorundem patrum telis iugulabunt sectam nostram: Mirum in modum offensus, atque commotus Comes, vix manus abstinuit ab impostoribus.

Sed ira dissimulata ex templo in sua oppida rediyt, quicquid vbique ministrorum erat, conuocauit in arcem, ibidem sacerdotem vnum è Societate conclusit; interfuit, & præfuit diuturnis; atque grauissimis disputationibus. de quibus ipse fine tandem imposito hanc tulit sententiam. Gratias agite immortali Deo Reuerendi patres Iesuite; apud vos residet antiqua, & Germana fides, illi ego me, meaque his omnibus testibus in præsentiæ deuoueo. orate Dominum, vt & preteritos mihi errores ignoscere, & suum diuinum lumen donare immerenti dignetur. Vos prædicantes nouam religionem non habetis, sed effingitis quare nisi ab incæpto desistitis, non modo vos in ditione mea non patiar, sed sumam debitam de impostoris mihi factis vltionem. Consensere his verbis cætera. quare iam vix hominem inuenies, aut in affligenda hæresi, aut in erigenda veritate fortiorem. Dum nostri in spargendo

verbi Diuini semine publice priuatimque laborant, nouus Lutheranæ sectæ Messias exurgit. Rusticus quidam, quem mæror, aut inopia mente dimouerat, affirmat se prophetam delectum à Deo, vt orbem terræ euangelicam veritatem docendo obeat. Pater, qui eo loco rem Diuinam fecerat, opportune adit hominem, reperit lineo solum indusio tectum, humi super nudum asserem subiecto ceruicibus lapide, rigentem frigore, diuturna inedia prope confectum, manus instar mortui iungẽtem, quippe qui prædicationis immemor sibi paucas post horas è vita migrandum esse dicebat. pater adhibet omnes machinas, vt vel eum, vel parentes, quibus idem ille suaserat, ab ea opinione dimoueat. sed re infecta discedit. Interim momento increbrescente fama certatim ad eum accurritur. qui delectatus frequentia, se excitat, vocem contendit, verba facit, iactat scripturas, multa vaticinatur, alijs æternum exitium, salutem alijs pollicetur, auditur cupidissime, & conclamatur Vicarius Dei, propheta. Id vbi delirus animaduertit, nequaquã sibi intra domesticos parietes vlterius latitandum putat, erumpit foras, pagos, oppida, vrbes procursat, magna admiratione magnoque concursu sua deliramenta venditat, penetrat Comotouiam frequentissimo foro; incidit enim in ipsum hebdomadariæ nundinæ diẽ; ascendit in locum editum, ea dicit, quæ expe-

ctari poterāt ab imparato, rudi, rustico, amente; nihil non fabulis, somnijs, insaniæ simillimum. Nihilominus tamen, quod est longe admirabilissimum, non modo auditur, probatur à plurimis, sed commendatur vt præco veritatis à Cœlo demissus. vsque eò vulgus leue est, & procliue ad res nouas præsertim in religione sectandas. & excitaturus fuisset non contemnendum incendium, nisi nostri occurrissent subitò, & effecissent vt perditus abriperetur in carcerem.

PROVINCIA
RHENANA.

Domicilia, atque Socij.



OLLEGIIS vndecim, vna Residentia, Missionibus duabus, socij trecenti quinquaginta circiter. Treueris quatuor & sexaginta, è quibus quatuor & triginta versantur in Collegio, reliqui in Domo probationis. Moguntiæ quatuor, & quinquaginta. Herbipoli septem & quadraginta. Coloniæ quinque supra triginta. Fuldæ triginta. Herlingestadij quin-

quinque, & viginti. Spiræ vndeuiginti. vno minus Confluentiæ. Monasterij sexdecim. Paderbornæ quatuordecim. in Embricensi Residentia nouem. Molshemium habuit primo socios septem & viginti. exorto Argentinensi tumultu diminutus numerus ad nouem decim. ac denique vrbe ab hæreticis occupata nostri omnes cum præsidiario milite (quæ fuit Dei prouidentia) incolumes egressi. deserituq; Collegium. relictum ciuibus desiderium Societatis, relictum militibus, neque enim illi vnquam in pace, neque hi inter arma aliquod à nobis pietatis, aut caritatis opus desiderarũt, quod alteris præstare pro nostro instituto possemus. pro eo euulso Collegio, iacta semina alterius, Embricæ nobili vrbe ad Rhenum in Ducatu Cliuiensi posita. habuit ante paucos annos Gymnasium studiosis mille quingentis florentissimum, quod etiam ipsum in inferioris Germaniæ lapsu cecidit. illud vt iterum erigerent Cliuiæ Dux, vt eius Consiliarij statuerunt adminiculo Iesuitarum vtendum, ex quo Societatis hominibus addixerunt. ipsa Nostri aduentus fama tantus numerus discipulorum affluxerat, vt lectionum initia frequentissima haberemus, subodoratus est hostis humani generis, quantum sibi ex hoc tyrocinio damnum immineret; ex quo per suos emissarios, finitimos, inquam, hæreticos, hoc vno nomine extrema quæque minitatus est

Embri-

Embricensibus, annona, pecore, mercibus abigendis damna ita multa intulit, vt maximo dolore ciuium ad tempus publica munera nobis intermittenda fuerint, speramus lucem post tenebras. Socios quatuor mors eripuit. suffecit Deus in eorum locum quatuor & viginti. Colonia sex magistros artium, vnum studiosum. Moguntiæ quatuor, duos Monasterium. singulos Treueris, atque Paderborna.

Ab hæresi, atque à Sæculo erepti.

Treueris velum Iudaicæ legis ereptum patri atque octenni filio. alijsque duobus Herbipoli. omnes de more vnda salutari perfusi. Nostra item opera ab hæresi ad Ecclesiæ castra redierunt Coloniæ septem, & viginti. Moguntiæ vno minus, inter eos quidā apprime doctus, qui annis viginti modo inter Caluinistas, modo inter Lutheranos prædicantis officio functus, tandem, & ipse è Cardinalis Bellarmini scriptis expergefactus magno aliorum bono, maiore suo auitam religionem publice recepit, atque professus est. Confluentiæ septem, Treueris nouem, Spiræ duo de quadraginta. Heilingestadij duodeuiginti, inter quos septuagenarius senex, qui annis quinq; & vi-

& viginti obsessus à Dæmone cum frustra omnes hæreticorum prædicantes, atque ministros defatigasset; à suis ad nos adductus infinita Dei clementia primo statim exorcismo ab hoste, atque ab errore liberatus est. Fuldæ nobiles adolescentes extranei quatuor: Elephantiaci octodecim. tam certus syllogismus ad eos conuincendos fuit sedula caritas nostri sacerdotis; vt commoti sint alij nobiles hæretici, & miseros præter morem iuuerunt eleemosynis. At vero ex insidijs Aegypti in arcem religionis incluserunt Confluentini virgines quatuor, Colonienses capita octo: inter quæ puella nobilis ac prædiues ciuitatem in sui admirationem rapuit. ibidem ad sua castra reuocati quinque apostatæ desertores.

Congregationes.

Treueris sodalitiū Deiparæ Virginis tredecim monasterijs diuersis attribuit. Moguntino præfuerunt Bauari Principes Philippus, & Ferdinandus. multa fecerunt illustria, ne dicam omnia. nam è serenissimis adolescentibus res ipsæ vulgares tātum splendoris hauriebant, vt viderentur insignes. sæpe illi socios graui oratione ad vitæ, morumque integritatem hortati sunt. sæpius inuitarunt ad Crucis Ecclesiam. præibant pedites, totumq; tempus itineris, quod est vnius horæ tribue-

tribuebant psalmis, aliisque precibus alta voce recitandis. in ipso templo rem sacram audiebant, mox litanias, & alias orationes decantabant, cum ex ara suspendebant munus magni precij cum votiuo carmine eleganter à se descripto. In die Cœnæ Domini duodecim pauperibus suis manibus abluerunt pedes, pararunt conuiuium ministrarunt edentibus, & donarunt luculentam eleemosinam. Dum Vormatiensis Episcopus sacrosanctam Euchariſtiam in eius die festo circũferret prosequuti sunt ad eius latera preciosos ex auro textili pluuiales induti, quæ res quoniam hic raræ sunt, in adolescentibus præsertim ita illustribus plurimum valent ad decus religionis, ad nobilium incitamentum, ad documentum populorum. feliciter D.O.M. sibi, & Ecclesiæ tam præclaram sobolem tanto patre dignissimam.

Scholæ literariæ, & Catechiſticæ.

HIc rursus iidem bini Principes occurrũt, *qui vt scientiam habeant pietati non imparem toto prope modum anno sunt vsi nobis preceptoribus. asſiduitate frequentandi, scholas audiendi, excipiendi, reddendi memoriter, græce, latineque scribendi, ac denique*

Gymnasij legum obseruatione gregalibus discipulis esse voluerũt simillimi. sed hanc ipsã ob causam extra numerum fuerunt & insignes. Monasterij censa capita discipulorum mille centum viginti. Treueris mille; Curatũ vt dicta seminamus tẽporalia, metamus æterna: ex quo multi dum literas docentur, dedocentur hæresim. discipulis cum literis instillata pietas, & veræ religionis amor. quam quidam vt tuerentur bonorum expoliationem, & verbera, & vexationes passi, quę silentio prętereunda non essent, nisi potius pertinerent ad eorum laudem, quam ad Societatem. Adiuti etiam pueri teneriores explicatione doctrinæ christianæ. Spiræ scholis quinque. ad eam Fuldæ cum cætera non valerent, inuitati munusculis gratioribus ętati, pilis palmaribus, globulis, & alijs ludendi instrumentis, cumque illo deessent vacciniis, & per elegantibus fasciculis florum ex proxima sylua collectis. hæc tantam vim habuerunt, vt etiam filios hæreticorum pertraxerint. ex quo factus eorum antesignans notissimi Lutherani filius, qui secum modo quindecim, modo viginti alios adducit eo maiore admiratione omnium, quo notior est parentis alienatio à nobis, & a fide nostra. Deus qui infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat, hoc paruo semine suam interdum veritatem inducit in familias hæreticas. ipse facit, vt parentes alioqui infensissimi

inuo-

inuccādis cællitibus Paderbornæ lætentur, cū filios, qui instituuntur à nobis, ante quam eant cubitum, litanias recitantes audiunt: Vt Herbipoli ijdem cum perperam iurant, aut blasphemant, bonam in partem accipiant, si ab ijs aliquo exemplo de illius errati nequitia doceantur: vt vbique non dedignentur proponi ab eis argumenta pro religione orthodoxa, atque defendi mordicus, etiā cum lachrymis.

Missiones.

V*Arijs excursionibus Moguntini, atq; Herbipolenses lustrarunt vicina oppida. Heilingestadienses pagos duodecim. ibi in monte Adiutorij (loci nomen est) noster aduentus magna populi frequentia, maiore vtilitate celebratus est. Lutheranus templum ingreßus, & suffuratus fulcrum ex ijs, quæ pro valetudine, vel recuperata, vel recuperanda ex voto relinquuntur à fidelibus claudicantem imitatus redijt in popinam querens, & ciulans contra catholicos, quod sanus in montem ascendisset, reuerteretur claudus. sed non diu claudicauit, nam excitato tumultu, subito quasi exortus ad eum puniendum esset, occisus à suis interijt. lustrarunt etiam Treueris pagos decem, & oppida nonnulla. In quodam ad linguæ lapsus corrigendos vtiliter propositum à Nostris, atque receptum à rusticis, vt*


quicunque iurarent, blaſphemarent, detraherent, ſi ditiores eſſent multam pecuniariam inferrent inærarium ob id ipſum in tẽplo conſtitutum: ſi tenuiores certas in eodẽ loco preces recitarent. Inter Erfordienſes, & Hildeſianos bini ſacerdotes verſati pro conſeruandis reliquijs catholicorum, quæ, quamuis ad eos acceſſerint hoc anno ſex, & viginti, tamẽ multo pluribus morte decedentibus, quotidie magis atteruntur. Ex ijs adoleſcens parentem lutheranum interrogauit, poſſet ne catholicè confiteri, atque communicare. per me, reſpondit, id tibi licet. cum non omnes illi damnati ſint, qui ante nos ideo olim factitarunt. Cõtra vero lutherana mulier adoleſcentem à ſe de baptiſmo ſuſceptum omnibus vſa eſt artibus, donec a fide catholica deturbaret. vix perfecit opus, cum ipſa deturbata de ſuprema domus contignatione fractis ceruicibus ruina corporis, atque animi mercedem à dæmone recepit. Ad explicandum quas ibi curas, quæ munera noſtri homines obierint, ſatis erit recenſere ſolos fuiſſe præſidio catholicorum inter hæreticos, quorum petulantia vſq; eo progreditur; vt in ſolemni ſupplicatione ſerta de virginum capitibus detrahant. quamuis compresſi nonnulli; nam cereæ faces, dum in eas petulanter inſufflant, repente ad os admotæ dicto citius, & prolixas corũ barbas, & ipsã comam auidisſimè deuorarunt: ex quo flammas,

mas, quas conabantur extinguere, suis ipsi capitibus auxerunt, neue se ambustos magis exponerent risui, & sibilis omnium, in vltos cooperto capite celerrime subtraxerunt. Peius habiti duo prædicantes, qui nocturno tempore pro Iesuitis habiti, cum neque negando, neque iurando quicquam proficerent, à suis male accepti fustibus, ac pene lapidibus obruti sunt. egerrimè tulerunt huiusmodi vicaria verbera & fortaße æquiores facti, cum sint ipsi experti, quæ Iesuitis exoptant.

Liberalitas in Societatem.

HEilingestadij ad Collegium nō ignobilis bibliotheca optimi viri testamento, & taleri sexcenti munere duarum matronarum adiecti sunt. Episcopus imperij princeps monasterium, quod multos ante annos vacuum in nobilium potestatem venerat, aliquot aureorum millibus redemit, & in Collegij vsum nostris Paderbornensibus attribuit. Fabrica collegij Monasteriensis non sine diuino patrocinio crescit inter sexcentas aduersitates. hinc Cœnobiarca litem de loci finibus intentat. inde hæretici cæmenta prohibent, & minis conuectores absterrent. alij mendacijs amicorum animos à nobis auertunt, alij exorto incendio, quo domus amplius trecentę conflagarunt inutilem impensam gymnasij conuertendam asse-

asserunt ad resarcienda detrimenta flammarum. sed ope Dei, qui facit de tenebris lucem splendescere, tantum pecunię collatum est ad perficiendam structuram, vt opus extolli videatur conatibus aduersariorum. insigniter Princeps, & Archiepiscopus Treuirensis, quippe Collegij fundator, & parens quo tempore Confluentiæ permansit omnibus nos officijs, & beneuolētiæ signis prosecutus est. præter sumptus ad domum extruendam necessarios, templo periſtromata, vestes, aliaque sacra instrumenta, & multa, & magni precij tribuit. Collegio donauit villam vicinitate, & præter fluentis Mosellæ ripis non minus commodam, quam amœnam. Pro nobis Christus debitam gratiam rependat tot benefactoribus, quorum liberalitate nos ad relinquendas cogitationes rerum temporalium, & ad solam perfectionem sequendam excitat.



PRO-

PROVINCIA TOLETANA.

Scholæ & Congregationes.



X auditoribus Belmontani Collegij sex amplexi sunt nostrum viuendi institutum: tres è sodalibus Madritanis. Mirum in modum illi Sodalitio promouendo conducit zelus animarum, qui in magistris elucet. in nouam quandam decuriam, sic illi nominant, aptissimum quemquam discipulum seligunt. vacuis diebus, certo tempore, in proprijs classibus conueniunt: pia lectione, sanctorum exemplis, repetitione cõcionis auditę, sermonibus de virtute, ita erudiũt ad Congregationem, vt hinc ad eam, quasi ex quodam eius tyrocinio, aut vestibulo valde expoliti trãseant. Talabricæ hoc anno in Congregationem Deiparæ Virginis externis etiã hominibus factus est aditus, qui tantum patebat nostris auditoribus. adiere è prima nobilitate viri. Canonici prope omnes. ipse Archiepiscopi Vicarius, tanto impetu ad pietatẽ; vt hic & nouũ, & admirabile fuerit spectare Vicarium, Decanum, aliumque virum nobilẽ,

 & Se-

& Senatorem stipem pro vinctis hostiatim corrogantes. Toleti pariter propter multitudinem, Congregatio in duas quasi classes diuidenda fuit: nouamque constituunt frequentes vrbanæ Academiæ auditores.

Facta pro salute animarum.

SPectra nocturna mirum in modum vexabant hominem; putabat se Deo exosum, & iam prope Dæmoni traditum: impatiens doloris; quo se eriperet saltem ex huius vitæ molestijs, iter cæpit ad turrem altissimam, vt ex ea præcipitem se daret in Tagum, qui subterfluit. prope erat præcipitium, cum præsto fuit elegantissimus puerulus qui verbis amantissimis molliuit impetum, docuit de errore, mentem insolito lumine, pectus dulcedine noua compleuit: tum ex oculis euanuit. non ita multo post eadem reuoluentem animo reuocauit Virgo Deipara cuius ædem frequẽtabat, fecitque vt Talabricam accederet ad nostrum sacerdotem, atque ex eius consilijs acciperet constantem quietem, & perfectam animi sanitatem. Misit Deus Murcia duos sacerdotes in villam suburbanam. inciderunt in fæminam pauperrimam fœmineceam, quæ cum gestaret vterum, statim effudit filium. vix baptizatus decessit è vita. expiratura mater quoque fuisset, ni ijdem confirmaßent misellæ cibo

corpus,

corpus, & sacramentis animam. Agendum sedulo fuit, vt Carabacæ filiæ quatuor abducerētur à cura dicam, an à proditione matris, quæ è prostituto illarum corpore aperiebat officinam impudicitiæ. At vero Madridij elaborandum, vt totidem Mahometani memorandæ, & per nullos expugnatæ pervicaciȩ ante capitale supplicium christiani fierent, & corporis iactura lucrarentur animum.

Temporalia quædam incrementa.

TEmplo Ocananiensi donata Lycnus pensilis, candelabra quatuor ex argento. Angustiæ domicilij Oropesani laxatæ cubiculis duobus, & triginta. Absolutum est templum Sicuranum. Carabacēse Collegium erat in loco sine aqua angusto, ita natura clauso vt latius explicari non posset, vicinum templo cuidam, cuius campanæ importuno, atque absono strepitu omnes fere nostras exercitationes turbabant, vt molestissimè medias interdum conciones abrumperent. parua res in speciem, sed omnino magnȩ difficultatis. migrauit tandem in locum ampliorem, salubriorem, quem pari vtilitate, & voluptate interfluit copiosæ aquæ riuus, & habet prospectū in amænissimos campos.

PROVINCIA CASTELLANA:

Sociorum numerus.



Astellana Prouincia complectitur loca viginti. omnia Collegia, præter Domos Vallisoletanam, Medinensem, Villagarsiensem. illa Professorum; hæ Tyronum. Socios vndecim supra quingentos. Vallisoletum tres habet ac septuaginta. in Professis vnde quadraginta. In Collegio quatuor, & triginta. Salamantica vnum, & quinquaginta, Burgi quinque, & triginta. Mons regalis duo de triginta, Valentia, & Compostella triceños. Medina vnde trigiuta. Legio duo de triginta. Lucronium, & Ouetum vicenos senos. duo minus Numantia, Villagarzia, & Segobia vicenos quinos. Abula duos, & viginti. Pompeiopolis sexdecim Onnata, Bellimarium, Seminarium Anglicanum singula denos, Areualum nouem. Quieuerunt in Domino viginti. Duo minus in Societatem admissi.

Auxi-

Auxilia ſpiritus, atq; corporis collata erga proximos.

VAllisoleti Magiſtratus fecit ampliorem, atque certiorem charitatis exercendæ materiam; cum ſtatuit, vt ad confirmandos eos, qui mortem iudicio ſubituri ſunt, nullus præter Societatis homines accedat. Ex his vnus ita pertinaciter animam obdurauerat contra ſacramenta ad mortem impiam, ad æternum animi interitum; egregia vero opera noſtri Profeſsi, ita inſigniter immutatus eſt ad pœnam exoptandam, ad eius inſtrumenta deoſculanda, ad laqueum pro monili ducendum; vt factum illud dignum commemoratione reddiderit. E Collegio Pater effecit, vt quidam ſuam animam liberaret onere æris alieni mille aureorum. Dæmon indutus hominem nouem annos coram, & pro palam omnes adhibuit artes, vim, ſuaſiones, inſidias; vt quendã reuocaret à voto caſtitatis, quod nuncupauerat: tum demum abiecta ſpe vincendi, ſoluit obſidionem, neque eſt vnquam viſus amplius, cum ille ſe penitus in diſciplinam confeſſarij tradidit quem in Medinenſi domo Tyronum elegerat.

Magnus vbique concurſus ad audienda Sanctorum exempla, magnæ ex eo vtilitates.

æquè

æquè afficiunt rudes, ac literatos, hebetes, atque ingeniosos: quæ documenta percipiuntur ab ijs, quoniam historiæ alligata sunt, memoriæ, & facilè, & semper occurrunt. successerunt insigniter Segobiæ, Omnatæ, Pompeiopoli, vbi post eorum narrationem suaui concentu decantabatur psalmus Dauidis, hunc excipiebat à plurimis sponte suscepta verberatio acerrima. quæ animos audientium vehementer excitabat ad pœnitentiam, & diuinas aures, vt pium est credere, ad misericordiam.

Salamanticæ quatuor homines, quorum nobis innocentia constabat, falso accusati de latrocinio, capitis periculum subibant in carcere. data est opera, vt vinculis, & infamia liberarentur. Vallisoleti morborum grauitas, atque frequentia fecit, vt vno die lustranda fuerint sexaginta interdum Domicilia decumbentium.

Scholæ & Congregationes.

LEgione cœptus hoc anno cursus Philosophicus. idem Burgis institutus, & reuocata schola Theologica, quæ superioribus annis intermissa fuerat. Humaniores literæ Pompeiopoli quadringentos habent auditores. in Monteregalensi octingentos.

Vallisoleti factum est, vt Congregatio soda

les

les Deiparæ Virginis amplecteretur inertes homines vagantes passim,& errantes, quorũ ingens est in hac ciuitate multitudo. curant vt tempore Paschatis crimina expient, sanctum Christi corpus suscipiant; festis diebus rem sacram audiant, alternis hebdomadis Domi nostræ conueniant, vbi de munere Christiano docetur. hæc iam propria est ipsorum prouincia. Iidem cœtum instituerunt ex omnibus Fisci Regij aduocatis, cuius illud est munus præcipuum, vt annonam retentis in custodia publica suppeditent, id quod bini quotidie miro ordine, miraque charitate perficiunt.

Philippi Regis voluntas in Societatem.

CVm Rex esset Vallisoleti ad nos venit per humaniter, rei sacræ voluit inter esse, dum nostro more decantaretur. cupide templi molem, concinnitatem, & ornatum inspexit; ex eorum contemplatione voluptatem, & cepit, & verbis testatus est amantissimis. Hyberni plurimi ex paternis fluctibus hæresum se Vallisoletum receperant, vt ibi tanquam in quodam fidei portu, religionis veræ tranquillitate perfruerẽtur; sed pressi rerum omnium inopia miserè vagabantur. cogitauit Rex de ijs cogendis, atque fouendis, & societatem indica-

dicauit habituram esse parem muneri charitatem, atque prudentiam. ex quo de P. Prouincialis consilio Collegium erectum Salamanticæ, cui nostri sic præsunt per rectores, atque gubernatores externos; vt omnia suo consilio, atque auctoritate moderentur: nulli tamen cũ ijs habitent, nullamque procurationem rerum temporalium susceperint. Optauit quoque Rex, & vehementer optauit corrigere quandam ditionis suæ Prouinciam, cuius homines erant & corruptis valde moribus & idoneis pastoribus destituti. vt in re difficili diu consultatum de remedijs. tria tandem statuit: ex ijs duo depromenda ex officina Societatis. nã post quam iuerit in Prouinciam fortis Præfect, atq; seuerus, qui grauitate supplicidrum compescat peccandi licentiam: duodecim è nostris Patribus per diuersa regionis oppida partiendi sunt, qui plebem euangelica doctrina excolant: tum erigendum Collegium, in quo iuuentus virtutibus erudita, atque literis, Episcopo suppeditet idoneos Parochos, atque Præsides. Hæc nos vrgere debent ad ea paranda præsidia humilitatis, charitatis, aliarum virtutum, quibus respõdere possimus opinioni, quam de nobis homines conceperunt.

Mis-

Missiones.

EX omnibus prope Collegijs excursiones factæ ad oppida, pagos, mõtes proximos: in quibus tradenda Christiana scientia, docenda virtute, vitijs dedocendis obita solita missionum munera, solitique labores. consecutus est pro Dei clementia fructus non pænitẽdus. insignes fuerunt Vallisoletani, Lucronenses, Legionenses, Ouetani, Pompeiopolitani, Numantini, Monregalenses, Compostellani.

Palentia missi Sacerdotes ad vicinos populos religionis præceptis instituendos. ex his vnus, cum ab alio in aliud certum oppidum concionis causa transiret, suo errore viæ, testatus est prouidentiæ Diuinæ magnitudinem: cum enim longissime aberraret, inuentus est ab homine, qui vt eum sacerdotem esse cognouit aduola, inquit, cœlestis Angele misse à Deo, vt ante quam egrediatur à corpore animũ morientis fœminæ reconcilies. erat hæc meretrix, vehebatur uia asperrima, tempore pluuio, cum militibus; reuoluto curru, casu traiecta telo in terram decidit, ibique relicta extremum spiritum reseruauit ad gratiam peccatorum pænitentiæ beneficio recipiendam. qua peracta intimo sensu pietatis statim, Vale patri, vitæque dixit. & obijt. idemque sacerdos eandem opem, non ita multo post, alteri misero at-

ro attulit, qui cornu tauri transfossus iacebat expectans à Deo adiumentum animi, atque corporis. Oppidum quoddam nomine Betanzos, ita intestinis gliscebat odijs, ita diuisum erat in factiones varias, vt identidem iretur ad arma, & quoddam ciuile bellum expectaretur, alterius partis internecione finiendum. Prætor alijs remedijs omnibus frustra tētatis, Compostella sacerdotem Societatis accersit. eius prudentia, sermonibus, exemplo concidit omnis furor, omnia in optatam pacem, & beneuolentiam coaluerunt.

Munera data Templis, & Collegijs.

Domina Magdalena de Vlloa eximiæ liberalitatis fęmina, cū perspiceret ab eiusmodi excursionibus, quam vberes manipuli reportarentur, non contenta binis Collegijs, quę sua eximia pietate, atque liberalitate fundauit, mouit omnem lapidem vt Villagarziæ censum annuum constitueret aureorum sexcentorum ad sacerdotes duodecim in hoc munus alendos. quod cum illi concedi non poßet nihilominus vt aliqua ex parte satis fieret tā pie voluntati matronæ de nobis optime meritæ; hoc ipso anno misſi qui hanc obirent prouinciam, ideo sunt consecuti fructus vberrimi,


mi, quia regio horrida est, inculta, ac prope barbara. hoc discrepant fruges cælestes à cæteris. Eadem Villagarziæ fundatrix Collegij bienno illud liberauit ære alieno quatuor millium aureorum. elargita templo est crucem argenteam magni ponderis in aræ principis vsum, duas præterea vestes altarium, auro contextas, nec non sericum pannum, acu diligenter, atque preciosè depictum; opus valde suspiciendum, Neque vnius, & alterius loci finibus terminatur eius munificentia. absoluit hoc anno structuram, quam cæperat Oueti refectorio, aulis, officinis, duobus, & triginta cubiculis, omnibus denique numeris perfectissimam. Burgis lycnus argenteus coemptus precio centum, & triginta aureorum. Parochus quidam nostro nomini olim infensissimus nobis prædia legauit aureorum trecẽtorum. Segobiensi templo perficiendo donati sunt aurei ducenti, totidem sacris altaribus exornandis. Legionensis Episcopus Collegio sacerdocium centum aureorum perpetuo addixit. Ciues Lucronenses ædificium promouerunt eleemosyna trium millium aureorum. ad sacrum pluteum cuiusdam Sacelli Vallisoleti perficiendum donati sunt aurei nongenti. ad aliud centum quinquaginta.

Collegium Anglicanum.

IN Vallesoletano Anglorum Collegio impositum ædi fastigiũ. numerauimus Alumnos sex, & quinquaginta. difficultates, labores, pericula, quibus egressi de Vr Chaldeorũ, dant illis perpetuum narrationis argumentum, nobis maximũ admirationis quis enim non retineatur, cum præsentes inspiciat patrem, ac geminos filios, alterum annorum quatuordecim, alterum quindecim, vtrumque delicatissimum, atque elegantissimum, eosque cum lacrymis narrantes audiat, quemadmodum propter Christi nomen destituti à consanguineis, proditi ab amicis, direptis fortunis domesticis, rebus omnibus amissis, nè religionem quoque catholicam perderent. coacti sunt matrem amantissimam deserere in vinculis, accipere pro beneficio nocturnã fugam à Patria: & quo tuto traijcere possent Oceanum, vt fuerit illis peragranda tota fere Anglia; longissimo tractu diuertendum in Hyberniã nudis pedibus, sine veste, sine duce, sine comite (aderat præsentior Deus) inter sexcenta pericula bestiarum, fluminum, graßatorum, afflictis fame, lassitudine; vt sæpe quamuis defesso Patri, filij subleuãdi fuerint in humeros; & filijs interdum regenda fuerit Patris pro labentis imbecillitas. vix inter audiendum

tempores

temperes à lacrymis. hi nunc viuunt in Collegio, magnam habent ad pietatem, & ad litteras indolem: Per honorificus fuit Compostellani Archiepiscopi aduentus; illustris apparatus, quo est exceptus. Vtrumque tamen Rex obscurauit, qui insolita significatione beneuolentiæ, cum filijs præsens alumnos inuisit, exceptus est quàm accuratissimo apparatu ingeniorum, orationum, linguarum, carminum, insignium, Emblematum, hyeroglyphicorum. discessit ita contentus; vt quæ de Anglicana indole exceperat auribus iam ipse testis oculatus testificetur alijs. Ex his quatuordecim duce P. Personio ad nouam Coloniam constituendam profecti sunt Hispalim, quo loco aliud erigendum est illi genti Seminarium. Quatuor transmiserunt in Angliam ad fidem prædicandam, & ad martyrium consequendum. voluit eos Rex prius alloqui, & verbis animare ad fortitudinem, quod & fecit: sed vnus aliorum nomine meditata oratione ita respondit, ut Regi, & omnibus quotquot aderant vberes lacrymas elicuerit.



L PRO-

PROVINCIA BAETICA.



Abet hæc Prouincia socios quadringentos quinquaginta sex, diuisos in Domicilia quatuordecim. Hispali in Professus nouẽ supra quinquaginta. in Scholaribus septem & sexaginta. In Collegio Cordubensi duo de septuaginta. in Montellano tres & sexaginta. in Granatensi sex & quinquaginta. in Triguerensi quatuor, & viginti. in Baezano, & Malacitano viceni bini. in Gaditano viginti. in Marzenensi septemdecim. in Terensi quindecim. Ezzizæ vndecim. Cazorlę septem. Vbedę quinque. hæ tres postremæ sunt Residentiæ. Ad literas octo, ad functiones domesticas duplo plures admisimus. Vita functi decem; inter quos Michael Regius, tum pietate, tum amore in Societatem insignis. decennium cum lacrymis institit, vt admitteretur, non fractus repulsis, non aduersante voluntate omnium. dicebat statutum esse à Deo, vt cunctis reluctantibus præter omnium spem sibi importunitas aditum patefaceret in Societatem, quod & fecit.

An-

Auxilia proximorum.

CHristiana catechesis vbiq; ex voto procedit. Hispali initur agmen interdum capitum amplius sexcentorum, honestissimi cuiusque ordinis, qui summam fidei, cæteraque religionis Christianæ præcepta tanta pietate decantant; vt eo spectaculo, & mirentur, & excitentur cæteri ciues.

Palearia sunt ad vrbem secundum Betim, in qua miseri homines etiam tecti inopes cubitum eunt. ex ijs plurimi defecti viribus, cum prodire neque ad stipem corrogandam possint, viuentes fiunt esca vermium, nulla victus, nulla salutis, nulla sacrorum ope, more bestiarũ, intereunt. hæc nostri frequenter obeunt. cum ibi sæpius offenderint non paucos famæ, sitiq; enectos squallore obsitos, odore teterrimos, interdum putrescentes moribundos, & multa sanie manantes, vt ad eorum conspectum omnes per horrescant; hos qua inter manus, qua sublatos in humeros, in publica valitudinaria deportarunt.

Viri nobiles Cordubæ, dum de more vrbem obequitant, forum prætereunt, in quo concionabatur vnus è nostris. consistit alter, atque Deo ita prouidente non retrahitur à comite obijciente nimiam sãctimoniam, leges aulicas, incitante equum: dumque attentius excipit

auribus concionem vniuersam, Deum totis medullis imbibit: inde recta iter ad Nostros arripit, manantibus lacrymis se ad pedes abijcit sacerdotis, qui primus occurrit, vitam corrigit, neque ita multo post in seueriore disciplina monachum induit. Sedatæ inimicitiæ multæ inter viros primarios odijs inueteratis implacabilibus. ex nobiles, Malacæ inter Prætoris filium, virumque principem. Cordubæ inter dynastam, & Pretorem, qui abibat è magistratu, malum irrigatum mutuis vulneribus, & sanguine virorum principum multas tulisset cædes, nisi maturè compressũ esset à nostris. Hispali ad matrimonium ritè obeundum inducti nonnulli. Duo viri præcipui, qui ea spe puellis nobilibus pudicitiæ florem ademerant. Alius, qui viginti annos in pellicatu vixerat.

A Terensibus duo ob Anglicana labe ad ecclesię Romanæ puritatem adducti.

Hi erepti à peccati catenis. Illi à mũdi vinculis translati ad Christi compedes, aut potius in libertatem filiorum Dei. Ex Hispalensi Collegio in nostram tres, in alias familias circiter septuaginta ex Cordubensi quinq; in nostram, in alias decem. Ex Granatensi sex, è Terensi duo in Societatem. Ex Montellano octo in alias.

Carceres

Carceres Triremes.

Ex omnibus prope nostris Collegijs profecti ad carceres captiuorum leuauere miseriam, solatio, consilio, eleemosynis, ope. Cordubæ sacerdos noster ægros offendit, quibus erat pro lecto nudum solum, omnia deerant adiumenta, vel corporis vel animi: iacebat cadauer, cui viuenti sacramenta, mortuo sepultura deerat: re cum magistratu communicata valetudinarium intra cancellos instituit commodo pari animorum, atque corporum.

Vbique prosecuti, eos quos carnifex agebat ad patibulum. multi adiuti, qui desperata vitæ mortalis vsura spernebant æternam. inter hos Hispali quidam nobilis facinoribus ita feroci erat ingenio, vt pro nugis haberet laqueu, ardentesque forcipes, quibus erat excarnificandus, infernos vero cruciatus, qui mortem consequuntur, haberet omnino pro ridiculis. cum Sacerdos è nostris ita mutauit, vt aliquando productus ante iudicem: ego vero, dixerit, quiddam habeo, quod summi beneficij loco vehementer efflagitem, & homini hoc statu, hoc tempore non videatur denegandu. tum Iudex, exposce, quod velis, si per me licebit impetrabis, hic ille erumpentibus vberrime lacrymis. hoc vnum, vt ardentius me lacerari forcipe iubeas, non tam vt fugiam cruciatus

æternos, quàm non audeo ducere commissis erroribus pares, quàm vt Dei gratiam promerear, & meum corpus, quo vsque adeo Deum offendi, Deo persoluat aliquid, & minus animum in extremo die iudicij erubescat. hæc ita protulit, vt appareret non eum fractum timore mortis imminentis, sed illustratum à Deo, diuino sensu magnum illum ardorem animi conuertiße ad cœlestia, vt lacrymas extorserit omnibus quotquot aderant tantam mutationem nō sine magna Dei laude admirātibus.

A Malacitanis nauata operà triremibus, quo vno loco omnia opera misericordiæ exercenda reperias in desertum, ac plane miserandum genus hominum. nauata à Gaditanis, cum eo classis appulit vehementer afflicta, multorum ægris corporibus, plurimorum animis. nauata à Terensibus spatio quinque mensium, à quibus etiam curatum est, vt dimitterentur ij, qui per fraudem detinebantur contra iustitiam.

Scholæ, Missiones.

Scholæ procedunt in dies. Marzenæ, quod non caperent auditores, laxandæ fuerunt tum publico are, tum eleemosynis priuatorū hominum. Hispalis hoc anno Moralia, Græcas, atque Hebræas litteras instituit. Corduba numerat octingētos. certat pietas auditorum

cum

cum sedulitate praeceptorum, nã praeter communia officia charitatis in pauperes praeter consuetas corporis afflictiones, toto prope anno trinis diebus beadomadæ cum aliis ciuibus honestę conditionis voluntaria flagella ad corpus edomandum subeunt.

Excursum in varia loca à proximis domiciliis: ab Hispalensibus Professis in pagos vicinos: Triguti in agrum Ardeualensem. montosa regio, atque syluestris oppida habet raris aspersa domiciliis, habitatores plane barbaros: id fecit, vt vehementer, & cum fructu laboratum sit in eis ad humanitatem, & pietatem erudiendis.

Corduba, Morella, Baeza, Cathazorla in vicina oppida, Fœdum parenti crimen oblati sibi per fraudem vitij, cæca furore filia, delato nomine ad iudicem affinxit: illius dignitatem incertum dedecus, caput in summum periculum adduxerat: nostri Baezani eam ita oratione permouerunt, vt reuocauerit accusationem, seque affictí mendacij ream prodiderit. Iidem a Mahomethe ad Baptismũ, & à pellicatu ad verum matrimonium adduxerunt fœminas duas, quæ oriundæ à Mauris gerebant christianam tantum speciem, ac nomen. A Malacitanis itum ad vrbem Marbellam, & ad Melillam arcem, quæ ad mare contra Mauritaniam sita est: annos quatuordecim diuino verbo caruerant, quare ex maurorum consue-

tudine, familiaritate, habitatione prope degenerauerant in ethnicos. hinc satis patet, quam multæ ijs vtilitates allatæ, quanti pro ijs susceptì labores: non tempus necessariæ quieti, non refectioni concessum: diu, noctuque ministratum quicquid pertinet ad Ecclesiã & Dei beneficio ipsis frequentibus percupidis; & quasi aridum solum quicquid immitteretur diuini liquoris auide imbibentibus, quæ sunt effecta eò videntur magis admirabilia; quò illi egetiores, & ab omni genere vitiorum extrahendi, informandique fuerunt ipsis primis fidei nostræ præceptis. illud certe non est omnino prætereundum. Mauri sex additi Christo; inter hos puella vix annorum tredecim in sexu, & ætate imbecilliorẽ fuit illustrior. re cognita parentes, qui dederat Præfecto obsidem; eo celeriter naui conscensa aduolauerunt. omnes artes adhibitæ, blanditiæ, promissa, munera, minæ, lacrimæ, squallor, eiulatus. quæ in tanta re ad permouendum animum excogitare poterat parentum amor additæ rationes, argumenta, persuasiones, secum enim ob id ipsũ adduxerant Maurum legis ac dissuadendi peritum ex ijs, quos Caciques vocant; nihil effecerunt, nam præ se tulit constantiam verè christianam, ijsque fortissimè dimissis, tanquam alienis, vel incognitis, christiana sacra suscepit.

Elee-

Eleemosynæ factæ Societati.

DOmesticis Professorum vsibus præter certas eleemosynas partim donati, partim legati aurei mille ducenti. Bona, quibus sacrũ eorundem instrumentum auctũ est aureis quingentis æstimes; quibus Malecitanum sexcentis, quibus Cordubense mille ducentis. ijs præterea dati trecenti in Bibliothecam. Montellæ quidam quinque aureorum millia extruendo Collegio spopondit. Baezæ, cum transferendũ; atque ædificandum sit Collegium in area; quã loco illustriore, atque frequentiore coemimus; ciuitas nullo prorsus abnuente, quod admirabile est in tanta multitudine ciuium nobis viã publicam transuersam, & magnam muri continentis partem liberalissime concessit. Ecijæ quoque ad inchoandam scholarum fabricam Senatus elargitus est aureos octingentos. Censibus annuis additi aurei trecenti ni, quos confecimus ex mille; qui ad nos testamento hominis amici venerunt, & ex fructu vectigalium agrorum, quos nobis in quinquennium prorogauit ciuitas.

Anglicanum Collegium.

VTerque virorum principum ordo ecclesiasticus, & secularis; quem appellant, amplexus est pro viribus Collegium Anglicanum

canum, & sua spõte, & propter litteras, quibus illud Rex vehementer singulis, & vniuersis commendauerat. Sæcularis Senatus ædes trecentenis aureis conduxit, viros quatuor primarios designauit, qui ad eleemosynas pro eo cogendas vrbem vniuersam obeant, & singulos in propria tecta ciues adeant: Capitulū mille quingentos attribuit. satisque constat opus esse vehemēter probatum æque summis, atque infimis. Diem, qui diuo Thomæ Cātauriensi festus ducitur, celebrarunt magno concursu, noua pompa, summo plausu omnium; aderat Cardinalis assistens, vterque Senatus, selectissimi quique ciues, pendebant ornamēta literarum; græca, latina poemata: inter sacra solemnia ex alumnis vnus orationem elegantem, atque factam ad pietatem excitandā, ita accomodatè pronunciauit; vt lacrymas etiam ijs extorserit, qui latine non intelligerent; tum prodiere alij duo, qui publicè nuncuparunt iuramentum illud, quo post semestre spatium se Ecclesiæ, atque patriæ deuouent. id quoque de superiore loco explicatum sermone hispanico cæpit animos omniū. quatuor post confecta studiorum curricula remissi in Angliam, ex his duo theses alteras Cardinali alteras Hispalensi senatui dedicatas ipsis præsentibus ita defenderunt, vt non minus omnes in ijs admirati anglicanum ingenium, quam in pietate essent admirati voluntatem.

PRO-

PROVINCIA LVSITANIA.

Noſtrorum numerus, obitus, Ingreſſus.



Vſitanum Societatis agrum hoc anno coluerunt ſocij quingenti, & ſexaginta. Oliſipo in profeſſorum domo quinque, & ſexaginta, in Collegio vero decem minus habuit. Conimbrica in Collegio duos ſupra ducentos. Ebora centum, & quadraginta. Bracara quinque, & triginta. Vnum & viginti Bragantia. Portus quatuordecim. Ad Inſulas hi fuere. In Collegio Angrenſi quindecim, in Funcalenſi tredecim, octo in Angolanam Coloniam tranſmiſerunt: tredecim in Indiam, præclara omnes indole, & ad ſalutem eius gentis procurandam, & ſuo, & communi ſtudio Societatis vehementer incenſi.

Septem obiere virtute diuites, vt conijcere licet è ſtipendijs per multos annos emeritis. Oliſipone P. Ioannes Frerius. Conimbricæ P. Antonius Gonſaluus. Eboræ P. Simon Martinus, ille annos duos de quadraginta, hi ſinguli duo de triginta in Societate vixerant. quibus

bus neque virtute, neque annis inferior, coadiutor vnus qui in Funealensi Collegio post annos duos & triginta in iuuãdã Societate peractos ad cœleste stipendium, vt speramus, emigrauit. Cooptati in horum locum quatuor, & triginta; Septẽ Bracara, viginti quatuor dedit Conimbrica, quæ alios præterea centum in diuinum famulatum variorum ordinum familijs adiunxit; vt de eo insigni Collegio nihil non præclarissimum existimare debeamus; si ex hoc fiat coniectura de cęteris.

Auxilia proximorum.

Video me si astringere singula velim, quæ Lusitana Prouincia domi; forisque pro nostra vitæ ratione cum laude gessit, longiorẽ fortasse futurum, quam in alterius Prouincię rebus enarrandis; & simul nescio, quã ratione liberiore animo institutũ in ea prosequor explicandi res tantum quæ genere, aut nouitate sint illustres: eam fortassis ob causam, quod quemadmodum familiæ, quo sunt de nobilitatis antiquitate certiores, eo minus testimonijs, aut præconijs gaudent; ita eos mihi persuadeo minus de rerum vulgarium commemoratione laboraturos; qui magis abundant earum varietate, atque copia; hic enim Dei beneficio viget in primis studium perfectionis, & spi-

& spiritus nostri B.P. Ignatii, cuius memoria in benedictione est, vtque is augeatur, & excolatur vehementius, nunc etiam magis solito vsurpantur eiusdem Patris meditationes à nostris, vt tãtisper vitatis aliorum colloquiis, congressu, conspectu, huius cęli luce liberius à Deo ad magnitudinem animi, ad humanarum rerum despicientiam, cognitionem cælestium erudiantur, & ab iis in officina domestica melius ex cultis ad omne genus hominum vberiora perfectioraque studia, atque officia salutis emanent. ex his nonnulla perstringam.

In Portu ereptus à morte innocens, cui tormentorum dolor dum falsam cõfessionem exprimebat, infamiam afferebat, & suspendium Episcopus vir illustris, sanctitate morum, doctrina, & historia quam de sua familia Franciscana perscripsit, decumbebat in lecto morti proximus, & ab ea se longissime abesse existimabat, cum natura quo magis erat vi morbi prostrata, eo imbecilliorem haberet sensum doloris, minusquè periculum agnosceret, agnoscebant certe præter medicos domestici omnes, è quibus tamen propter mærorem, aut timiditatem, aut reuerentiam illi significare nullus audebat. Fecit diuina prouidentia, vt salutãdi gratia Rector noster interueniret. re cognita, & incusata familia, Episcopum adit, atq; fideliter de morte iam iam imminente, edocet. ille quamuis subita re nihil perterritus Deo, atque

atque Rectori gratias egit, tẽporis angustias ingenio, atque diligentia vincit, munit impri mis animam, ad alia plurima, quæ expedienda erant, domesticis vtitur. grauissima quæque Rectori imponit, neque enim aliter transigi poterant, ac tum denique vita decedit, in quo fuit operæ pretium, tum vt ille dignam mortem obiret, tum, vt euitaretur offensio lon ge maior, si rebus suis incompositis, nullis munitus sacramentis propè subito obijsset Episcopus tanti nominis, à cuius eximia virtute, atque scientia in eo negotio eximia quædam, atque illustria expectari poterant. Multi capitali odio dissidentes ad cõcordiam reuocati. In his Eboræ duo perillustres, qui alioqui decensuri erant ad singularem dimicationem, atque vt licet coniicere, sanguine alterius non extincta dissensio, sed accensa vehementius esset: iam enim vtriusq; familiæ nobilitas, propinquitates, affinitates, potentia è regno ferè toto non minimam nobilium manum acciuerat, atque rempublicam in duas partes diuiserat: vt insanabilius malum esset, quod pertineret ad plurimos. Sed ope diuina præter omnium spem repente conciliatis duobus principibus, & publicè in templo nostro reuocatis ad gratiam, magna vniuersæ Ciuitatis probatione, atque admiratione ardor cæterorum omnium omnino resedit. Curatum, vt sponsalia dissoluerentur irrita contra morem, atque le-
gem:

gem:ijsque dissoluendis, vt pro lucro animorũ iactura aureorum sex millium negligeretur. Factum, vt Bragantiæ mille aurei alieni redderentur. Olisipone maritus cum vxore studio pietatis ad sacram ædem sitam in ripa Tagi vehebatur in cymba. quidam eodem fluuio nauigantes non tam vectoribus, quam Deo immortali hostes, eos primum contumelijs, & verbis obscenis excipiunt, tum sine vlla causa per barbaram quandam lasciuiam suo nauigio quam maximo remorum impetu concitato in scapham incurrunt, & in alterum latus inuertũt: mulier summersa fluuio est, vir enatando in proximam ripam, ab aquis vitã eripuit, & odium eduxit eo implacabilius, quo periculum præsentius, contumelia grauior, & minus debita fuerat, inexorabilis animo obfirmato in vindictam, vel ipsum veniæ nomen execrabatur; eoque magis obduruerat, quo spes erat cupiditatis explendæ vicinior: nam re, vt par erat delata in iudicium proprius nihil erat, quam vt homicidæ penderet è laqueo. eo fuit illustrior diuina benignitas, quæ nostrorum opera ita hominem flexit, atque emolliuit ad amorem, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Prouisum saluti perditi cuiusdam aleatoris, cuius casum libet hic ad aliorum documentum exponere. Inter ludendum perditę dolore pecuniæ se diris ille deuouerat. Furens domum

è ludo redibat. occurrunt formam hominum indutæ larvæ, quos nummos amiserat, restituunt, benignissimeque sibi devinciunt, conantur avocare in vallem quandam multis cædibus, & latrociniis infamem. Sed non persuadent. domum deducunt, & gurgustiolum ingresso ostendunt repente aulam augustissimam circumquaque fulgentem aureis laquearibus, sericis aulæis, preciosa supellectili, qualis à poeticis auctoribus fingi solet. illarum se divitiarum profitentur auctores. affirmant, si illis perpetuo beatus perfrui velit, vnam esse viam laqueum, eo animam eripiat ex vitæ mortalis ærumnis, homo præsenti spectaculo, argumentorum vi atque copia, penè extra se positus, arripit lineum funiculum, quem commodissimè aptatum porrigebant, ceruices præligat, reductoque à terra corpore obruisset omnino spiritum, ni strepitu ex citata vicinia irrupisset in domunculam; & fracto laqueo vinculis mortis miserum dissoluisset; non tamen à consilio discedit: & quoniam per summā domesticorum vigilantiam alia non patet via; dum decumbit, iisdem vsus auctoribus collum irretit longæ resti, funiculi extrema ad imos pedes alligat, atque ita ad pedum porrectionē labili nodo se cōtrahente anima interclusisset, nisi re cognita familiares disturbassent inceptum, suæque diffisi diligentiæ diuinos accersiuissent Societatis medicos, qui sacris medica-

dicamētis depulerunt Dæmonem, & miserum corporis, animique saluti restituerūnt.

Scholæ datæ, atque acceptę eleemosynæ.

Nauata opera ingenijs adolescentium: Eboræ mille sexcentis. Conimbricę bis mille. nauata corporibus egenorum. Funcali nostris fortunis compressa fames pauperum. in Portu inopia sublevata virginum religiosarum, atque nobilium, ad quas fames extrema de cœnobio relinquendo retulerat. Abbatissa perditum prope Monasterij statum ad nostrum Rectorem eius freta caritate perscribit: ille in subita necessitate victum vniuersis è Collegio nostro suppeditat, agitq; interea cum principibus Ciuitatis ita pie, atque prudenter, vt negocium illi enixè susceperint; eleemosinam ipsi erogarint, à Senatu, Episcopo, nobilibus abunde collegerint tam cupidis vniuersis, vt duce nostro concionatore stipem per totam Vrbem hostiatim mendicarint; atque trecentos aureos collegerint, quibus recreata Monasterij egestas, donec primates, & Rex ipse Philippus ijs præsidio firmiore consuluit, tanta omnium probatione, vt religiosi eius ordinis, qui huic monasterio præerant nobis venerint magna cum animi lætitia gratulatum.

M Hinc

Hinc vt pergamus de aliorum cōmodis cōgitare magis, quàm de nostris; Maria Alarcania fœmina in primis nobilis, & pia, post multos annos in templo nostro diuino cultui datos, migrauit ad superos. facta potestate per P. Generalem corpus templo; tria millia aureorum pro Ecclesia Collegio Eborensi reliquit. Vbique multa ad sacram supellectilem accesserunt. In Collegio Bragantino crux argentea magni ponderis, atq; operis. In Bracarensi theca ex argento sanctis Vrsulæ, & sociarum ossibus tegendis, ferculum asseruando Christi corpori, candelabra quatuor omnia auro tecta. In domo Olisiponensi simulacra tria ex argento à capite ad cingulum, quorū vnò caput Beatissimi Gregorij Taumaturgi, alijs bina episcoporum capita religiosius asseruantur. Ad harum reliquiarum numerum è nostris quidam apposuit communi pietate colendum Sancti Basilij Magni digitum, quem Roma ad priuatam religionem secum deportauerat. Ioannes verò Borgia, qui domum hanc, atque adeo Vrbem diuinam huiusmodi thesauris reddiderat, quasi vt coronidem poneret, suis erga nos beneficijs immortalibus ad easdem reliquias adiunxit, bonam eius coronæ partem, quæ sanctissimum Christi seruatoris caput circumcinxit, & pupugit.

Mis-

Missiones.

POrrò nostrorum ardor neque parietibus domesticis, neque ambitu propriarum Vrbium contentus in remotiores partes erupit a Collegio Bracarensi in proximos pagos. Ab Angrensi in vicinas Insulas. Ab Olisiponẽsibus professis in quadraginta suburbia. A scholasticis in vicina oppida. Ab Eborensibus in circumfusos agros, vicos, oppida. omnes toto animo incubuere in salutem proximorũ, vt delerent vitiosas consuetudines, bonas inducerent; vbique sanata vulnera, quæ erant animis multorum imposita, abdicata periuria; lasciuę cantiones, aut sublatæ, aut mutatæ melioribus, seiunctæ à maribus feminæ luxuriæ participes, testamentorum violatores ad saniora consilia reuocati, recisæ plurimæ lites, occursum consilijs occidendæ vxoris, & infamiæ ferro vindicandæ. Conciliati filij parentibus, oppidani Curionibus, Sacerdotes sacerdotibus, euulsa odia inueterata, multæ factæ restitutiones æris alieni, famæ; liberati innoxij è custodijs, multi denique per summã Dei clementiam à flagitiosa vita, atque à vitijs abducti, habendis concionibus, explicando catechismo, monendo, hortãdo, verbis, ac præcipue exemplo.

Non parum profuere pia munuscula, quæ


nostri peregrinantes fidelibus clargiri solent. Exornauit illa Deus suæ potentiæ signis, quo gratiora essent accipientibus. In Eborẽsi agro nobilis quidam Senator diu vi morbi delirauerat: cum sanus esse crederetur à suis in cubiculo solus ad breue tempus relinquitur. statim ille thoracem induit, in quo duo ex albo plumbo Beatæ Virginis Matris sacra numismata dudum incluserat, maius aliud collo, vt solitus erat, appendit, & instigante Diabolo, qui occasione adhuc imbecillæ mentis vtebatur, se præcipitem è fenestra verso deorsum capite in viam durissimo lapide constratã deijcit, sed perinde atque decidisset in plumam, incommodi nihil accipit: Miratus ipse Dæmõ se vinci, & occasionem eripi è manibus erubescit: ostendit se palam humana specie, hominem suæ mentis impotentem, qua hortando, qua trahẽdo, longa, atque difficillima via ad puteũ perducit in multam altitudinem excauatum. hic ignarus, volente Deo, eorum, quæ gestabat in pectore, suadet primum, vt sacrum emblema, quod pendebat è collo, & cui incolumitatem ex primo casu referebat acceptam, ad os putei deponat, tum se in illud præceps immittat, paret infelix, ad imum deprimitur, nec sanè humilis erat aqua, statim emergit, ad voces, quas B. Virginis opem implorans profundebat extremas, à vicinis occurritur, præsto fuit in primis ipsa mater misericordiæ, suo eum

con-

conspectu recreauit, effecitque, vt quasi icunculæ pro cucurbitis essent, earum tenus extaret ab aquis, & humor in mollissimam sellã illi cogeretur horas duas. post quas prædicãs Deiparæ benignitatem, & vim sacrarum imaginum, extractus est incolumis, cupidissimus placendi Deo, liber ab insania, à pristina ægritudine, à præsenti periculo, quod fuit ita multiplex, vt qui in fundum ad eum eripiendum descenderat, e frigore morbum plurimorum dierum contraxerit.

Omnium in Christo seruus

Io. Franciscus Carettonius.



Errata

Errata ſic corrige.

Primus numerus indicat paginam, ſecundus lineam.

3	18	Tybertinum	Tyburtinum
4	6	Inſtructis	Inſtructus
7	2	Culonem	Culmen
7	6	Collegiis	Collegij
7	24	Congregationis	Congregationes
7	26	Quæ	Quam
8	16	Eadem	Eodem
10	3	Anglia	Angliam
12	3	Ponti	ponte
14	28	Rate	Reate
21	13	Paxeatur	pareatur
24	26	Aleſij	Aletij
24	17	Humero	Humeros
25	30	Occumbuerunt	Occubuerunt
26	25	Sapro	Sacro
29	17	Vnum	Vnus
30	3	Quiquam	Quiſquam
32	20	Eſceſe	Eſſe
38	20	Deductorem	Seductorem
41	7	Perlegeret	perlegerit
44	14	Deuouent	Deuoueant
45	11	Commemorentur	Commemoretur
47	15	Prouinciæ	prouincia
48	7	Mutilem	Mutilum
48	11	Hinc	Hic
49	10	perocorienſi	petrocorienſi
52	23	Campatiræ	Campanæ
55	3	Condonit	Condonat
57	12	Diuerſorum	Diuerſarum
61	10	Veſtulum	Veſtium

Hor-

81	29	Horredum	Horrendum
91	2	Noſtris	Noſtri
128	10	Completi	Complecti
144	19	Illo	Illa
144	23	Anteſignans	Anteſignanus
146	14	Ideo	Id
149	8	Quemquam	Quemque
150	21	aeedem	Aedem
161	4	profeſſus	profesſis
176	9	Superlectili	Supellectili

Ego Virgilius Ceparius Rector Collegij Florentini Societatis Iesu legi has literas annuas eiusdem Societatis & nihil continent contra fidem aut bonos mores.

Virgilius Ceparius.

Attenta superiori approbatione licentiam imprimendi concedimus Florentiæ accedente consensu R. P. Inquisitoris. die 4. Februarij. 1600.

Alexander Caccia Vicarius Flor.

Frater Dionisius Constacciarius Hæreticæ Prauitatis Inquisitor generalis Florentiæ & Florentini Dominij facultatem imprimendi concedit 4. Februarij. 1600.

REGISTRVM.

* A B C D E F G H I K L M.

Omnes sunt duerniones, præter * M, quæ sunt simplex.

FLORENTIAE
APVD PHILIPPVM IVNCTAM.
M D C.

ANNVÆ LITTERAE SOCIETATIS IESV

Anni MDXCIII.

AD PATRES, AC FRA-tres eiusdem Societatis.



FLORENTIÆ
IN TYPOGRAPHIA
PHILIPPI IVNCTE. MDCI.

ANNVAE

LITTERAE SOCIETATIS IESV

Anni MDXCIII.

AD PATRES, AC FRATRES eiusdem Societatis.



FLORENTIAE
IN TYPOGRAPHIA
PHILIPPI IVNCTE. MDC.

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

Anni MDLXXXIII.

AD PATRES, AC FRAtres eiusdem Societatis.

PRÆFATIO.



N tandem nostratium annalium consuetudo, non tam omissa, quàm casu quodam intermissa Sapienti Patrum consilio reuocatur. Etenim cum vnius viribus tot annorum moles sustineri non possit; onus in plures diuidi placuit, vt quod vnius labor non posset, multorum compensaret industria. Ego igitur in partem huius laboris vocatus, pro mea virili parte huic muneri non deero; sed quantum in


me erit, efficere conabor, vt quod tarditate praetermißum est celeritas sarciat. Desideratæ sunt hoc anno annales litteræ aliquot Prouinciarum, quæ siue missæ non sit, siue interciderint, in meas certe manus non peruenerunt. Quamobrem his omisſis reliquarum Prouinciarum capita persequemur.

PRO-

PROVINCIA ROMANA.



Censa sunt hoc anno sociorum capita ad sexcenta. Romæ in Domo Professorum amplius octoginta, totidem ferè in Domo Probationis. in Collegio quinque & ducenti. in Collegio Pænitentiariorum vndeuiginti: vno atq; altero plus in Seminario, In Collegio Germanico quindecim. decem in Anglicano. in Græcanico sex, in Maronitano duo. Porrò extra Vrbem in Collegio Lauretano sex & triginta, vigintisex in Florentino. In Senensi viginti. totidem in Perusino. vno minus in Maceratensi. In Recinetensi quindecim. In Tiburtino duodecim. sex in Setino. vno plus in Monte Sancto. Adscripti in Societatem septem & viginti; transcripti in cælum, vt speramus, duodecim.



Domus Professa.

P*Ræclarè omnino, vt par erat in principe ac parente Societatis Domo, nauata est Vrbi à nostris opera, cum omnibus Societatis muneribus, tum verò concionando, sacramen-*

ta administrando, moribundos, ac vinctos om nj ope iuuando. Verùm etsi vel concursus hominum, vel fructus animorum vrbe omnium gētium hospite, ac religionis magistra dignus fuit; tamen nihil admodum accidit, quod memoria dignum videatur: non quòd par alijs annis, sociorum virtus, industriaque non fuerit; sed quia eximia eis materia defuit, vbi uirtutem declararent suam. Itaque de his, ne communia, ac vulgaria colligam, nihil dicā. Quo æquiore animo aliæ Domus, atque Collegia, quorum eadem causa fuerit, ferre debebunt, si quando res vulgares attulerint, eas à nobis silentio præteriri: cum videant de præcipua Societatis Domo, quæ familiam ducit, quia nihil sit, quod magnopere commemoretur, in hoc genere sileri. Cæterum in subleuandis egentium miserijs, similiter vt anno superiore, nostrorū enituit industria. Et rem per se illustrem perseuerantia illustriorem effecit. Nam cū summa ex annonæ inopia fames, quæ proximo anno plurimos uei afflixerat, vel debilitauerat, pertinaci malo pauperes premeret, à nostris Præpositi generalis iußu ab integro egentiū cura suscepta est. Itaque parato, instructoq; piorum hominum liberalitate hospitio satis amplo, dimissi per vrbem Socij, qui eiusmodi homines conquirerent. Reperti complures in stramine iacentes nudi, squallidi; macie torridi, frigore, fameque confecti, simulacra spiran-

tium

tium mortuorum;Hi statim quàm humanissimè deducebantur, aut si per imbecillitatem ingredi non possent, deferebantur hospitium. Ibi squalore abstersio,recentibus subuculis,uestimentisque opportunis induti cibarijs reficiebantur. Atque interdum vsu uenit, vt Præpositus Generalis aliquot ex his fortè in vijs repertos, iam semiuiuos ad hospitiũ ipse deduceret. Patres item alij alios offenderunt iam fame,ac frigore extinctos, quos quia serum venerãt auxilium,supremis officijs prosecuti, ritè sepeliendos curarunt. Alebantur in hospitio egentes numero trecenti, corrogata ex pijs hominibus pecunia. In quo genere Cardinalis Mõtalti liberalitas insignis fuit, qui trecentos aureos nummos in eam rẽ erogauit. Hisce autem mensæ accumbentibus nostri certatim ministrabant,præsertim verò ex quo Prępositus ipse Generalis id muneris occupauit.Super mensam pius aliquis liber semper recitabatur: & munditię, silentij, modestiæque ratio habebatur tanta, vt complures viri nobiles, ac sacrorum Antistites spectatũ venirent, & admirabundi in tanta talium hominũ multitudine tam insolitam inter vinũ, & epulas modestiam prædicarent.Nec solum tecto,cibarijs,uestitu corpora, sed etiam animi opportunis subsidijs iuuabantur. Quotidie Christianæ disciplinę capita edocebantur. Identidem per vrbem sub vexillo, quadrato

agmine ducebantur, litanias, aliaque pia carmina vicissim canentes. Statis diebus rei diuinæ intererant, & sacramẽtis animos expiabant. Suum quoque domi sepositum tempus erat varijs vel addiscendis, vel exercendis artibus. Quę res vsui fuit. Nam cum noua deinde messis frugum inopiæ, laborique nostrorum finem attulißet; plurimi eorum apud opifices collocati, artificio, quod ante didicerant sibi vitam propagarunt. Idem porro annus generali Societatis conuentu insignis fuit, qui conuentus incredibili Patrum concordia, feliciqueeuentu peractus est maxima omnium gratulatione atque lætitia. In eo multa Societati salutaria constituta. de quibus, quia sunt in manibus, nihil attinet dicere. Per idem tempus Clemens viij. Pont. Max. ędem nostram adijt, sacroque inibi facto, in aula ad Patres, qui ex omnibus Prouincijs Romam conuenerant, breuem sermonem habuit indicem paternę curæ erga nos suæ. Nec obscura fuit Dei prouidentia in tanta hospitum multitudine alenda, subleuandaque Domus inopia. Philippus Rex aureorum millia duo nobis attribuit. Pontifex Max. aureos septingentos: Collegium Cardinalium ducentos. trecentos populus Romanus, totidem alius priuatus, qui vt gratior esset Deo, ignotus hominibus esse voluit. Alij porrò alia ad victum, cultumque suppeditarunt, vt aucta potius tot patrum

hospi-

hospitio res familiaris sit, quàm vllà ex parte imminuta. Institutus eodem fermè tempore Antistitum ac uirorum nobilium cætus, B. Virginis in cælum aßumptæ titulo inclitus. In eo sunt multi Cardinales, complures Antistites, plurimi nobiles, atque illustres viri: Horum plerique singulis hebdomadis conueniunt: singulis minimum mensibus omnes pariter sacræ mensæ accumbunt, Cardinale sæpe aliquo, aut alio Antistite Sacrosanctum Christi corpus ministrante, quamquam plurimi eorum octauo quoque die priuatim idem faciunt; magno vel ipsorum bono, vel ciuitatis exẽplo. Præcipuum Sodalitatis huius institutum est pacificatio dissidentium: quod Deo cordi fuiße breui docuit euentus. Multæ, ac graues contumelijs, vulneribusue acceptis, etiam inter viros nobiles, atque illustres inimicitiæ per Sodales mitigatæ, & ad concordiam amicitiamque conuersæ. Incredibile dictu est, quàm facilè dissidentes Sodalibus per B. Virginem obsecrantibus manus dent, iniurias condonent, redeant cum inimicis in gratiam, vt facilè appareat, totum id secundum Deum B. Mariæ opus esse: Itaque in pacificationum tabulis Sodalitatis instituto perscribitur, pacem Deiparæ Virginis causa datam. Atque vt latius pateat instituti huius vtilitas, Curiones, & Parochi Vrbis omnes præmoniti, vt simulatque in eorum Curijs simultas inter aliquos

extiterit, rem ad sodales deferant. Qui certio- res facti per viros graues, ac nobiles, ac si res postulet, per vnum aliquem ex Cardinalibus dissensiones, & controuersias tollunt, inimicos ad concordiam adducunt. Ac multis, qui ob aliquod delictum comprehensi grauem aliquā pœnam expectabant, pax per sodales ab aduersarijs impetrata saluti fuit, pœnis eadem opera aut condonatis, aut imminutis. Sodalium porrò animi identidem ad pietatis officia non solum Patrum nostrorum, ipsiusque Præpositi Generalis, sed etiam Antistitum, & Cardinalium pijs sermonibus incitantur. Itaque aliàs sacra Vrbis loca piè admodum pariter inuisunt, aliàs se in Oratorio verberibus cædunt, aliàs alia Christianæ humilitatis officia exequuntur. Quater in anno quadraginta horarū supplicationes habent, magno semper ornatu, atque frequentia; ter quidem in Oratorio, semel autem in templo ipsis Bacchanalibus, idque apparatu, concursuque longè maximo. Ex hoc numero sodalium nonnulli Episcopi, Archiepiscopi uè facti, alij honorificis legationibus, muneribus, administrationibus præpositi; cōplures nostri B.P. Ignatij meditationibus exculti, commutata uitæ ratione, admirationi Vrbi fuerunt. Nō pauci ad religiosorum hominum familias, duo in Societatem adsciti, non vulgarium dederunt documenta virtutū. Hæc sodalitas nobilium alteri famulorum sodali-

dali-

dalitati occasionem & initium dedit. Dum Domini in Oratorio versantur, famuli Dominorum egressum præstolantes in alia sede, Christianis præceptis ad salutarem Sacramentorum vsum, ad odium, fugamque vitiorum, ad orationis, ac virtutis studium informantur. ita uno tempore, & Domini commodiores famulis, & famuli fideliores dominis, melioresque redduntur.

Collegium Romanum.

E*Laboratum est maximè, vt disciplina domestica publicè & priuatim talis esset, qualem esse oportebat eius collegij, quod seminarium est magna ex parte Societatis: quodque ceteris Collegijs exemplum, ac specimen virtutum omnium esse debet. Quo in genere quia nihil noui, aut eximij vsu uenit, vt breuitatis institutum teneamus, nihil omnino dicemus. Gymnasium discipulorum vel nobilitate, vel copia longè auctius cum esset, Humanitatis, & primam Grammaticæ scholam geminari, tertiam, atque infimam Grammaticæ classem adiungi placuit. Itaque tribus exedris excitatis, totidem magistri additi, magno studiorum commodo, maiore tum vtilitate auditorum; tum approbatione ciuitatis. In tribus B. Mariæ Sodalitatibus veræ virtutis, pietatisque studia vigent. argumento est, quòd*

quòd vna earum quinque optimæ spei adolescentes Societati peperit: vt taceam alios, qui & ex hac ipsa, & ex reliquis sodalitatibus sese ad alias religiosorum hominum familias aggregarunt. Quatuor hoc anno ita ex hac vita discesserunt, vt magnum nobis sui relinquerent desiderium, ac virtutis exemplum. Ex hoc numero fuit P. Petrus Parra Hispalensis, Professus, iam ętate pariter, ac virtute maturus. Quadraginta ipsos annos in Societate transegerat: maximamque partem in Collegio Romano Philosophiam, Theologiam, Sacras literas, Christiani hominis officia docuerat, magna auditorum uoluntate, atque fructu. Studijs item magna cum laude præfuerat, tum Romæ, tum Mediolani. Vir eximia integritate, summa comitate, at suauitate morum, excellentiq; studio instituti, ac regularum: In quibus omnes virtutes, omnes perfectæ vitæ consequendæ vias reperire se dictitabat: neque enim eas obseruantem vlla in re errare posse, cum his actiones nostræ vel minimæ ad instituti, absolutæque virtutis normam dirigantur. Idem confectus ętate, & si quod supererat temporis diuinæ orationi, ac meditationi dederat, vt sese compararet ad mortem: tamen aliorum quoque saluti, & vtilitati diligentissimè seruiebat. Consulentibus subinde de Christianis officijs respondebat, audiebat confessiones cum nostrorum, tum alio-

rum;

rum; ac sæpe non vocatus in templo conside-bat eos expectans, qui confitendi causa eum adire consuerant. Dei fruendi cupiditatem, iuuandis hominibus inflammari dicens. Hunc secutus est Michaël Herrera Tarraconensis coadiutor temporalis formatus, iam octoge-nario maior. Is iam grandis natu Societati se adiunxerat tædio rerum humanarum. Nam vt erat genere, consilio, authoritate excellens, carus fuerat Carolo Quinto Augusto. Cuius missu primum in Anglia apud Reginam, de-inde Constantinopoli apud Solimanum Tur-carum Imperatorem legationem obierat. Sed bello inter Carolum, & Turcam exorto, diu in vinculis habitus, vt primum euasit, morta-lem cum æterno Domino commutare decre-uit. Erat iam propè sexagenarius, sed corpo-ris, ac virium robore præditus. Is adscitus in Societatem, & si consilio, ac rerum huma-narum vsu longè præstabat, tamen quo magis excellebat, hoc se gerebat submissius; & ad seruilia officia libentius descendebat. Illud autem maximè memorabile, quòd cum P. Frã-ciscus Borgia Præpositus Generalis ei sacer-dotium deferret, atque vt acciperet vehemen-ter instaret, Herrera constantissimè recusauit, se tanto munere indignum prædicans, sibique longè optabilius esse humilem, abiectamq; vi-tam degere. quod quatuor & viginti annos, quibus in Societate vixit, perpetuo fecit, vir

externis æquè, ac nostris propter amabiles mores, egregiamque in omnes caritatem vnicè carus, & scilicet insigni Christianæ humilitatis extmplo memorandus. Tertio loco decessit Leonardus Leonardeus Samnis Coadiutor item tēporalis, iam sexagenarius, homo alioqui industrius, sed quicto ingenio & officioso. Is in ipsis multorum Collegiorum initijs diu grauem inopiam, ærumnasque perpessus, demum multos annos Romano Collegio suā operam nauauit in Tusculano. Et quanquam in omni vita exemplum fuerat innocentiæ, atque industriæ: tamen moriens magnum capere se dolorem dixit, quòd minus diligenter Deo seruisset, & Societati. Postremus obijt Ascanius Sanseuerinus Neapoli summo loco natus. Qui Philosophiæ studium ingressus, cum paulum abeßet à meta, vitæ cursum Deo vocante confecit adolescens non magis genere, quàm ingenio, & Christiana humilitate, mansuetudine, patientia insignis.

Domus Probationis, & Collegium Pœnitentiariorum.

QVoniam accuratius habitus est delectus Tyronum minor solito horum numerus fuit: sed paucitatis maior ad virtutem indoles numerum facilè compensauit. Vnius ex Nouitijs

uitijs eximia nobilitas fecit, vt spectatior esset eius virtus, atque constantia. Marchio is erat adolescens domi suæ in primis nobilis, & viduæ parenti vnicè carus. Qui cum paucis antè annis Societatis studio Romam venisset, & propter concitatas à matre turbas, repulsam tulisset; mœstus reuertit in patriam. Haud ita multo post mortua matre, quæ una eius cœptis obstabat, ad Vrbem recurrit eo consilio, vt nunquam inde, nisi P. N. Generali exorato, discederet. Nec sua tum spes fefellit, & difficultates omnes constantia superauit. Sæpius exclusus nunquam conatu destitit, sed omnia vndique auxilia quæsiuit, ita assiduis precibus, idoneis deprecatoribus, priuatis etiam uotis nuncupatis, denique quod tantopere appetierat, est adeptus. Ergo voti aliquando compos Dei beneficio factus, tam incenso perfectæ virtutis studio flagrare cœpit, vt facilè appareret, cælestes, & æternas opes spectare eum, qui humanas, caducasque pro Christo contempserit. Viguerunt hoc anno, vt cum maxime studia Christianæ humilitatis, absolutæque virtutis. Quæ quidem memorabilis cuiusdam Nouitij mors non mediocriter accendit. Antonius Viuiana Anagnini Episcopi fratris filius fuit sacerdos grauis, ac pius. Is anno fermè in Societate transacto, in morbum incidit, ex quo paucis diebus est mortuus. Proinde cum se pestilenti febri vrgeri

geri sentiret, præsagiens animo id quod euenit, breui se illo morbo euasurum esse prędixit, mortem scilicet sibi adesse significās. Triduum cum morbo luctatus, non modo tolerantiæ, atque obedientiæ, sed etiam volūtatis suæ cum diuina coniunctionis documenta dedit illustria. Nam cum ei á Rectore denuntiatum esset, vt se ad imminentem iam mortem compararet, perinde quasi inuitaretur ad nuptias, maximam ex eo nuntio lætitiam cœpit. Aderat iam quartus dies, cum a cōmuni hominum generis hoste acriter oppugnatus miras edidit pugnas. Nam cum Diabolus explicatis, & in conspectu propositis superioris vitæ flagitijs territare hominem, & summa vi in salutis desperationem impellere conaretur, ille contra cœpit diuinam misericordiam respicere, Christi opem implorare, eiusque ope subnixus hostiles conatus eludere. Itaque cum ad multam noctem vehementius premeretur, subitò exclamauit, Fidelis Deus, & non mentitur. Interroganti sacerdoti, qui ad eius lectulum excubabat, quid nam ille clamor sibi vellet; non uides, inquit, Pater, Satanam id agere, id moliri, id pugnare, vt ego veterum peccatorum conscientia perturbatus, diuinę bonitati, clementięque diffidam? An non verissima est illa Christi Domini vox. Quicunq; fecerit volūtatem Patris mei, qui in cælis est, hic meus frater, & soror, & mater est? Annuente

puente illo, adiecit. Vade igitur retro Satana. Vbi primum mihi cælestis lux oblata est, totum me ad Dei nutum, voluntatemque conuerti. Vel hoc, quod me Iesu Dei filio in eius Societate deuoui, omnia anteactæ vitæ flagitia compensat, ac delet. Rursus excitante illum Sacerdote ad spem diuinæ clementiæ, cum sibi animos offerri, ac superbiæ venenum ab inferna bellua inspirari animaduerteret, postulauit vt Psalmi Pænitentiales, quos vocant, sibi recitarentur. Vbi ad illum primi psalmi uersiculum ventum est, Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Superioris uitæ probra, ac dedecora magno doloris sensu enunciare cæpit. Monere Pater, vt illa in memoriam redacta secum ipse defleret. contra ille instare, vt coram omnibus domesticis prædicare sibi liceret delicta iuuentutis suæ, quo magis erubesceret, ac doleret. Inde Patre institutum Psalmum recitare pergente, vt ad illa verba peruentum est, Delictum meum cognitum tibi feci; ritè confessus ab omnibus delictorum vinculis absolui voluit. Redintegranti subinde Diabolo desperationis pugnam fortiter restitit. de pugna fessus, diuinæque clementiæ fiducia lætus paulisper somno conquieuit. Intermisso vnius fermè horæ spatio expergiscitur, & conuersus ad Patrem admirabundus exclamat. Qui tandem sunt Patres isti, qui tibi assistunt? Miranti illi quos Patres diceret,

(cum

(cum præter ipsum adeßet nemo) & quanam illi facie eßent, sciscitanti respondit, alterum mira oris dignitate, exporrecta fronte, naso aquilino, albicante capillo, caluitioque venerabilem esse; alterũ candidum, viuacibus oculis, barbaque nigra conspicuum. Addebat, eorum præsentiam magno sibi eße solatio: seq; cum illis in cœlum abire omnino uelle. Exinde quinam illi essent diuinitus edoctus, litanias recitari sibi desiderauit. Cum verò implorandis ex ordine cœlitibus, ad illum locum ventum esset, Omnes sancti sacerdotes & leuitæ intercedite pro nobis; æger versus ad sacerdotem, Quin tu, inquit, sanctorum Patrum nostrorum Ignatij & Xauerij mihi spem imploras? Negãte illo eorum nomina cum aliorum sanctorum nominibus esse conscripta, nihilo secius eos sibi deprecatores voluit adhiberi. Ergo cum sacerdos illi morem gerens præiret, B. Pater Ignati, & B. Francisce Xaueri, continuo æger Patres illos, quos adesse dixerat, intuens respondit suppliciter, orate pro me. Ex quo intellectum est, Patres illos Ignatium, & Xauerium fuiße qui Tyroni suo morienti præsentia sua solatium, & auxilium attulerint, quo cæteri, ac præcipuè ueterani illorum uestigia secuti confidant, in tali re, ac tempore, eorundem præsentem opem sibi nõ defuturam. Porrò ille sumpta in manus Christi Crucifixi effigie, defixis in eum oculis, adeò dulces, &

ad rem

ad rem præsentem accommodatos cum illo capit miscere sermones, vt assidenti Patri lacrymas non semel excusserit. Ad extremum cum hora iã instaret vndecima, immortalibus Deo gratijs actis, quòd sibi contigisset, vt in Societate moreretur: quodque se quamuis vndecima fermè hora in ipsius vineam venisset, parem Deus faceret ys, qui portaßent põdus diei & æstus; æquissimo animo, lætissimoque vultu obdormiuit in domino. vt ipsa oris species beatitudinem animi declararet, & felix Tyronis exitus reliquos magnopere ad perseuerãtiam in negotio stimularet. Iam seù loci religio, seù nouitiorum pietas complures etiam Antistites, ac viros primarios ad studiũ pietatis accendit. Itaq; cum alÿ multi viri egregÿ, tum complures ecclesiastica dignitate præstantes cum eò sese colligendi sui causa recepißent, salubribus cõmentationibus ex præscripto B. P. Nostri Ignatÿ operam maximo animorũ suorum fructu dederunt. In his Cardinalis Platus antequam primam Deo hostiam nouus sacerdos immolaret, ad viginti dies pÿs meditationibus mentem exercuit, tanto quidem vel sensu pietatis, vel moderationis exemplo, vt nihil suprà. Vel hoc indicio eße potest, quòd cum per id tempus Parmensis Ducis exequÿs, veteri Cardinalium instituto, interesse deberet, nunquam, ne alio quidem Cardinali hortante, adduci potuit, vt id muneris obiret prius,

quàm eius Patris, à quo excolebatur, accessit authoritas. Omnino omnibus in rebus adeò se demissè tantus vir, atque obedienter gerebat, vt vel ipsis nouitijs esset exemplo: Nec verò priuatis parietibus Tyronum se industria tenuit, sed præter vsitata Nosocomiorum, ac peregrinatiorum munera, in quibus sese egregiè & ad agendum, & ad patiendum paratos præbuerunt, ingenti animi ardore identidem in compitis, ac plateis Cathechismũ rudibus hominibus tradiderunt. Quo in genere qui tertium Tyrocinij annum explebant, præclaram operam posuere, magna cum admiratione, atque approbatione ciuitatis. Missi etiã hinc Sacerdotes duo in Sabinos ad diuulgandum, communicandumque cum illis populis Iubilæum, fructus satis vberes retulerunt. Cæterum cum Nouitij anguстè habitarent, magna accessio facta est ædibus. Nouum quippe, ac peramplum ædificium proximo anno inchoatum, hoc ipso perfectum, atque absolutum est. Continet cubicula septendecim satis ampla, quæ ternos, quaternosue facilè capiant. Accessit cænatio sanè luculenta, amplius centũ accumbentium capax. Adiecta culina, & cella penaria, atque in summis ædibus solarium siccandis vestibus accommodatum. Nõ defuere qui ædificationem impedire conarentur, quominus ad destinatã altitudinem perduceretur: propterea quòd Capuccinarum

Vir-

Virginum cœnobio, quod nostris ędibus propinquum est tantam molem imminere posse dicerent, vt Virgines illas nostri despicerent. Delata res est ad Clementem viij. Pont. Max. qui cum cõtrouersiæ nullus finis inueniretur, in rem præsentem ipse venit: ac demum vbi ædificationem nostram nihil incommodi Virginum cœnobio afferre perspexit, fecit nostris ex ædificandi potestatem: idque publicis litteris consignari iussit. Inde cum nouo ædificio Nouitiorum valetudini esset cõsultum, ęgrorum habitationi consuli placuit. Vetus aula ad vsum valetudinarij cubiculis quindecim distincta est; & sua cœnatio, culinaque nouo valetudinario attributa. Sociorum qui in Collegio Pœnitentiariorum versantur, quantus, quamque Christianæ rei salutaris fuerit labor, hinc facilè intelligi põtest, quòd ex omnibus Orbis terræ partibus magna hominum multitudo ob vnam pietatis causam illuc confluit ac multo cum fructu discedit.

Seminarium Romanum, Collegium Anglicanum & Germanicum.

MVltos iam annos Seminarium Romanum habitabat angustius, quæ res & alumnis, conuictoribusque magno erat vale-

tudinis detrimento. Huic incommodo per occasionem obuiam itum est. Nam cum Pont. Max. Collegium Illyricum iustis de causis, Laureto Romam euocare, & cum Seminario copulare placuisset; nouis alumnis excipiendis noua tecta comparata oportuit. Quamobrem magna Pontificis voluntate, ex veteris domicilij angustijs in ampliores, ac salubriores ædes commigratum est. Sed cum magno conducta esset noua domus, magnusque esset numerus eorum, qui suos liberos in nostram disciplinam, conuictumque tradere concupissent; cum habitatione creuit etiam numerus conuictorum. Sed ne Societatis onus pariter cresceret, (cum satis constaret non sine studiorum, valetudinis, pietatisque damno nostros alumnorum contubernijs præesse) placuit experiri, num per externos homines, graues scilicet ac pios, nostri aliqua ex parte hoc onere leuari possent. Itaque Præfecti clericorum Seminarij, & Illyricorum externi hoc anno introduci sunt cœpti, & adhuc quidem res bellè procedit.

Anglicanum quoque Collegium missa a Rhemensi Collegio noua manus alumnorum auxit ad numerum capitum sexaginta. Cum alumnorum accessione facta est etiam pietatis accessio. Per anniuersarias vacationes maxima eorum pars pijs commentationibus mentes excoluit maximo fructu. Horum vnus diu

mul-

multumque expetierat Societatem. Proinde mortifero occupatus morbo haud ægrè impetrauit, vt in nostrorum numerum reciperetur. Votisque Societatis ritè nuncupatis, cessit e vita, magna vel lætitia sua, vel aliorum exemplo. Moriens trecentos Collegio nummos aureos reliquit. Melior etiam alterius alumni conditio fuit in Anglia. Iosepho Lansonio nomen erat. Is proximè superiore anno hinc in Angliam reuectus, cum egrederetur e naui, deprehensus primo aufugit. deinde paucis post diebus ex fuga retractus in tuenda religione egregiè constantem se præbuit. Ergo vltimo supplicio mulctatur, quod sua sponte atrox carnificis imperitia atrocius fecit. Carnifex lectus erat infimæ sortis homo e numero damnatorum; Qui carnificinæ rudis cum suspendisset Lansonium; resecto fune detraxit e patibulo semiuiuum. Quem de more exenterare aggressus, cum res minus procederet, denique abiecto cultro, se se proripuit, misero illo semiuiuo relicto. Itaque crudelitatis ministri chirurgum pecunia perpulerunt, vt negotium conficeret. Quo atrocior, ac diuturnior cruciatus fuit, hoc magis martyris uirtus enituit. Quamdiu illa carnificina durauit, oculis, manibusque sublatis in cœlum, Deo gratias agere, diuinasque laudes canere nunquam destitit. ita ipsa quoque carnificis inscitia in martyris decus & gloriam cessit.

Dispar Collegij Germanici, & Anglicani conditio fuit. In Anglicano ob accessionem nouæ manus, auctus est numerus alumnorum; ut in Germanico ob superiorum annorum difficultates, ac penuriam, imminutus. Incredibile dictu est, quanta sit opinio Principuum, atque Episcoporum Germaniæ de huius Collegij disciplina: quantumque alumnis hæc commendatio prosit ad famam, opinionemque virtutis. Nimirum plerique eius alumni, qui Romæ satis exculti domum reuertuntur, ita in Catholica religione, Ecclesiasticaq; disciplina vel tuenda, vel augenda se gerunt, vt illis locis auitæ religionis columina videantur. Horum vnus natione Hungarus hoc ipso anno reuersus in patriam, eximiæ virtutis commendatione factus est à Rodulpho Cæsare Archiabbas S. Martini. Alter Pontificis Max. iussu cum Legato Pontificio in Germaniam profectus, magnopere illi probauit doctrinam, virtutem, atque industriam suam. Quantos autem alumni vel in litteris, vel in pietate, ac disciplina ecclesiastica progressus faciant, documenta habemus nec parua, nec obscura. Doctrinam declararunt publicæ de Philosophia, ac Theologia in magno Cardinalium, Antistitum, doctorumque hominum consessu disputationes habitæ, ingenti omnium approbatione: Pietatem testatur creber, ac pius sacramentorum vsus; studiumque veræ germanæq; vir-

virtutis. Disciplina porrò Ecclesiastica, cultusque diuinus maximè enituit in sacrorum cærimonia, ac supplicationibus publicis. Testimonio fuit, quòd complures sacrorum Antistites ad nos ventitabant, vt ipsi dicebant; ecclesiasticæ disciplinæ perdiscendæ gratia. Itaque summa nobilitatis frequentia eorum templum celebratur. Quadragenarum horarum supplicatio bis hoc anno, insigni splendore, ac religione habita, maximoque populi concursu, & Cardinalium, Episcoporũ, aliorumque virorum illustrium præsentia, ac precibus cohonestata. Nocte autem Natali Christi Domini; tanti ad Matutinas multitudinis concursus ante constitutum tempus fuerunt, vt impetu facto valuæ effringerentur; tantus erat omnium ardor sacri concentus audiendi, locique opportuni ad eam rem occupandi. Porrò Cardinalis Ab Altaemps cum B. Mariæ effigiem antiquissimam, ac religiosissimam in nouum Sacellum ab se in æde S. Mariæ trans Tiberim magnificè exornatum transferre moliretur, postulauit, vt Germani Collegij alumni destinatam ab se supplicationẽ honestarent. Et alumni eximio cærimoniarum, simphoniarumque apparatu ita pro sua parte celeberrimam supplicationem ornarunt, vt summam apud omnes religionis, cultusque diuini commendationem habuerint: Cardinalis verò ipse amplissimis uerbis, & alumnis, & Patribus

gratias egerit. Vnus item ex alumnis cum die omnium sanctorum sacro, in Vaticano Sacello ad Cardinales, & Pontificem Max: de more sermonem latinum habuißet, adeò Pontifici quoque ipsi probatus est; vt occasione legatorum Heluetiorum, alterum alumnum latinè in eorum aduentum dicere ex eodem loco iusserit, quod quidem hoc maius, atque admirabilius fuit, quòd non erat ignarus, id negotiũ iamdudum alteri non contemnendo oratori datum. Sub Ferias Epiphaniæ Philippus, & Ferdinandus Ducis Bauariæ filij solemni sacro excepti in Collegio cœnarunt. Super mensam sex linguarum, Hebraicę, Græcæ, Latinę, Italicæ, Vngaricæ, Germanæ sermonibus ex superiore loco habitis non minus quàm epulis oblectati. Epulas suauis, & ad rem apta symphōnia excepit, quàm libri Musici, recens confecti, Præcentoris opus, ac donum cumularũt. Maximilianus deinde Bauarię Princeps magno nobilium comitatu vnà cum ijsdem fratribus Collegium Germanicum adijt ipso Dominico die Palmarum. Egregia igitur palma de more donatus sub sacrum in aulam processit: ibi in maximo & suorum, & alienorum, & nostrorum hominum, aliorumque conuentu, latina oratiuncula salutatus est, non sine honorifica gratiarum actione: cui statim ille in hanc sententiam respondit. Simul atque Romam attigißet, nihil se antiquius habuisse, quàm

quàm vt diuturnam visendi Collegij Germanici cupiditatem expleret. cui officio quoniã satisfecisset, in posterum sibi curæ futurum, vt tantæ alumnorum, ac Patrum erga se beneuolentiæ responderet. Ventitarunt deinde minores eius fratres in Collegium, & eousque progressa est optimorum Principum humanitas, vt Collegij Rectorem ægrotantem magnis cum amoris indicijs viserent.

Collegium Lauretanum.

F*Vnestus hic annus fuit improuiso interitu vnius e nostris, qui inusitato quodam mortis genere decessit. Frater erat Gallus, qui cum cæteris sacris ordinibus ritè susceptis, propediem sacerdotio esset initiãdus, subitò interijt. Et tempus, ac locus terrorem mortis auxit. Cœnauerat cum alijs sine vllo plane sensu vel vrgentis, uel aduentantis mali; sub cænam medius inter duos fratres inambulabat in aula, hilariter, iucundeque colloquens de suo sacerdotio, quod iam adesse credebat, ignarus supremam sibi horam adesse. Ecce tibi improuisa oppressus apoplexia repentè corruit moribundus. Confestim ad opem pro se quisque ferendam Patres omnes, Fratresque accurrere; breuis videlicet temporis exanimationem ex angustijs pectoris ortam existimare. Cæterum remedijs, quæ tale tempus postulare videba-*

debatur, frustrà adhibitis, sublatus inter manus ad proximum cubiculum defertur, & in lectulo collocatur maximam sanguinis vim profundens e naribus. Accersitur extemplo medicus; sed tanta fuit morbi vis, ac violētia, vt nec medicamentum, nec medicum expectaret. Quippe intra quadrantem horæ, ex quo exanimatus ceciderat, prius etiam quā propere sacro perungi oleo posset, efflauit animā, ingenti cunctis, qui aderant, incusso metu. Et quidem, (vt sub examen conscientiæ nocturnum res accidit) horrenda illa species modò viui, mox mortui fratris mentibus, oculisque obuersata adeo pectora omnium perculit, vix vt quisquam illa nocte, vllam somni, quietisq; partem caperet. plerique verò varios, repentinosque humanæ vitæ casus perhorrescētes ita secum statuerent; enimuerò mortales aduersus mortis insidias nunquam imparatos esse oportere. Fuerunt etiam qui cum relaxationis, & colloquiorum hora id euenisse reputarent, ita in animum inducerent, ac prædicarent: diuino vtique consilio tam horribile spectaculum illo potissimum tempore præbitum, vt mortis omnibus horis impendentis memores, linguam, rem adeò lubricam, in officio continerent, ita vnius casus multis documento fuit. Sed vt a tristibus ad læta veniamus. Tanta est Laureti Societatis existimatio, vt omnes ferè Cardinales, Episcopi, ac Principes

viri,

viri, qui salutatum B. Virginem Lauretanam veniunt (veniunt autem quamplurimi) aliquem e nostris confessarium (cum aliorum copia non desit) potissimum exoptent. plerique etiam eorum ædes nostras perfamiliariter visant. Magni Hetruriæ Ducis vxor cum egregio comitatu, regijsque donis Lauretum cum venisset, vnum ex antiquioribus Societatis Patribus, qui per id tempus, eò fortè diuerterat, enixe rogauit, vt sermonem in templo de B. Mariæ Lauretanæ laudibus haberet. Morem gessit ille lectissimæ fœminę tam pia postulanti: ac de pręscripto argumento tanto animi sensu disseruit, vt ipso collacrymante, Dux ipsa, Episcopique multi, qui aderant, lacrymas tenere non possent. Cardinalis porrò Galli Lauretanæ Ædis, atque Vrbis patroni tanta in Societatem nostram liberalitas extitit, vt Patribus Generalis Congregationis causa Romam petentibus Laureti per triduũ, vt fit, diuersantibus, cibaria, vinum, aliasque res necessarias ex publico suppeditari iusserit. Iam quanta sit in egentium, ægrorumque paupertate, ac miseria subleuanda caritas nostrorum, ex vno conijci de cæteris licet. Iacebat puer grandiusculus in via publica, quę fert Lauretum, fame ac morbo, vt videbatur oppressus. eius vicem miseratus vnus e nostris Patribus Lauretum fortè rediens, substitit: ac sublatum in humeros per mille ferè, ac quingentos

gentos passus ad Lauretanum Nosocomium detulit, sudoris ac meriti plenus. Nostris rebus expositis, vetus huius Collegij consuetudo postularet, vt quædam recentia B. Mariæ Lauretanæ miracula exponerentur. Sed quoniam ea Lauretanæ historiæ nuper editæ illigata sunt, hoc labore supersedebo.

Collegium Recinetense, & Maceratense.

Recineti fatalis illa vniuersæ Italiæ caritas annonæ, atque inopia nostrorum studia excitauit. Egentibus largius solito subuentum est, etiam si tempestas prædiorum Collegij prouentum imminuerat. Nec egentium corporibus modò cõsultum, sed etiam animis, christiana doctrina, salutaribusque monitis subinde tradendis. Complures etiam puellæ, quarum pudicitiam necessitas in summum discrimen adduxerat, in tuto locatæ. Multæ mulieres a meretricia vita abductæ, ex quibus vna cum sacramenta deinde magno cum fructu suo, & aliorum exemplo frequentaret, multa incommoda, verbera, rei detrimẽta, vitæ denique discrimina subire maluit, quàm ad pristinam vitæ turpitudinem redire. Nec minorem bene merendi materiam odia, quàm flagitia dederunt. Quatuor e nostris Sacerdotes ad

tes ad finitima Piceni oppida dimissi, cũ alia multa præclare ex Societatis instituto gesserunt, tùm verò multos ad pacem, & concordiam reuocarunt. Erant in oppido quodã fratres germani duo, qui de re familiari disceptantes, inimicitias inter se gerebant. Iamque irritatis animis eò res adducta erat, vt armis litem dirimere, & per fraternam vterque cędem controuersa bona occupare conarentur; cum mira opportunitate Sacerdos noster interuenit. Itaque illo interprete, atque internuncio, vtriusque animo mitigato, discordiarum causæ tolluntur, fraterna inter eos beneuolentia reconciliatur, magna lętitia, & gratulatione omnium, maximè verò propinquorum. In alio item oppido multorum ex intestinis odijs ad arma spectantium iræ sedatæ, & simul multę domus cędium periculo liberatæ. Porrò alius e nostris Episcopum cũ alio sacrorum Antistite reconciliauit. Erat is magnæ in primis inter ciues authoritatis, qui diuinis rebus maximo vel adiumento, vel detrimento esse posset, prout aut consentiret cũ Episcopo, aut dissideret; ita vna opera & incommodum vitatum ciuitatis, & commodum ex reconciliata inter eos gratia quęsitum. Nec verò Recinetensium erga nos liberalitas obscura fuit. Sexaginta nummi aurei templo adornando attributi, quibus aræ maximæ ornamentum egregiè inauratum est. Fuit etiam

qui

qui Collegio nummos aureos centum legaret, opportunum angustæ annonæ subsidium.

Maceratense autem Collegium egregiæ supplicationis celebritas decorauit. Nostri sacras Treuirensis Martyris reliquias nacti, quàm maxima pompa eas in templo collocare, ac proponere statuerunt. Dictus est huic rei dies S. Luciæ sacer. Interim templum Societatis magnificis peristromatis, & cuiusque generis carminibus conuestitum, ara maxima ad magnificentiam exculta: feretrum Damascena veste rubra, auroque pulcherrimè exornatum est. Huic feretro imponitur caput martyris inaurata inclusum theca, torquibus aureis insigne; ad hæc vnionibus, gemmisque distinctum clarissimis. Vbi constitutus dies adfuit, hæc, quam dixi, theca ornata vt erat, ante lucem in præcipuum Vrbis templum defertur, ibique ante aram maximam collocatur. Cuius rei fama simul increbuit, tanti vndique ad spectaculum concursus facti sunt, quantos nemo meminerat. Instituta deinde supplicatio, in qua supplicatione religiosæ omnes familiæ agminibus, vexillisque distinctæ, itemque sacerdotes templorum omnium ex ordine processerunt. Postremi ibant Canonici quatuor, & Sacerdotes e nostris octo, omnes sericis amiculis rubris induti, qui in orbẽ quaterni subibant feretro, quoad ad ædem nostram ventum est. Sacrum feretrum prosequebatur magi-

stra-

ſtratus, atque vniuerſa nobilitas cum facibus accenſis. Excipiebat infinita incondita turbæ multitudo, quę pietatis ſignificatione reliquis nihil cedebat. Demum ſacro capite antè aram maximam locato, hymnus Te Deum, lectisſimi Symphoniaci decantarunt. Supplicationē ſolemnis Archidiaconi precatio clauſit, qua ſancti martyris auxilium implorabatur. Poſt meridię refertisſimo hominibus tēplo, ipſoq; veſtibulo, Magiſter Humanitatis breue quidem, ſed luculentum carmen in Martyrem dixit; quod Concionatoris noſtri ſermo de cultu ſacrarum reliquiarum excepit. Sermonem veſperæ ſuauisſima ſymphonia inſignes ſecutæ. Poſtridie manè ſacrum, a prandio veſperas per cantus ſuauitas celebrauit. Quo biduo tanti fuerunt ad ædem noſtram ciuium concurſus, vt opinio eſſet, tota vrbe neminem omnino domi remāſiſſe, qui ad id ſpectaculum venire potuiſſet. Et tempeſtas ipſa, aut potius Deus huic celebritati fauit, nam cum quotidiani penè imbres nos ſollicitos haberēt, præſtitutus ſupplicationi dies ita lætus, & apricus extitit, vt vernus dies in media hyeme videretur.

Collegium Peruſinum.

L*Ætus hic annus fuit bona fruge multorum. Sodalitas vtraque B. Virginis viguit,*

guit, vt cum maxime. Ac minor quidē duos Benedictinis, totidem Societati nostræ dedit. Maior autem non solùm nobilibus discipulis, sed etiam Doctoribus, Iurisconsultis, alijsque honestis ciuibus perutilis ad honestam, piamque vitam extitit, Et eorum pietas in aliorum salutem redundauit. Adolescens nobili loco natus in custodia asseruabatur, propterea quòd capitalis facinoris particeps fuerat. Hic vnius e Sodalibus B. Mariæ oratione inductus, Patrē, qui Sodalitati præerat accersiit, cuius opera tantum profecit, vt mortem, cuius antea nomen horrebat, vehementer expeteret. Itaque cum fortè vnum e nostris deinde conspexisset, ratus eum nuntium suæ mortis afferre, Si mihi moriendum est, inquit, nihil moror, dū liceat prius animi delicta confessione delere. Nec toto illo spatio, quod ante supplicium intercessit quicquā aliud egit, quam vt animum penitus expiaret. Denuntiata deinde morte in proximum diem, sustulit oculos, manusque in cœlum, & gratijs Deo impensè actis, Sacerdotem nostrum, cui primum confessus erat, accersiri voluit: neq; eum passus est ab suo latere discedere, nisi rei diuinæ faciendæ gratia. Ipse autem reliquum illud vitæ spatium posuit in canendis Deo laudibus: gratijsque agendis, cum de cæteris diuinis beneficijs, tū præcipuè de suo supplicio, quod in maximi beneficij loco numerabat.

Proinde

Proinde supplicij socio, qui author sceleris fuerat, veniam petenti, quòd causa illi calamitatis, & interitus fuißet, immo verò, inquit salutis, ac felicitatis. In spem enim venio fore, vt hæc mihi mors propediem æternam vitam pariat, ac beatam. Etenim cum multa & varia mihi mortis genera impenderent, quæ simul corporis, & animi interitum afferre possent, an non feliciter mecum actum putem, cui hic potissimum vitæ exitus obtigerit ad salutem animi longè tutissimus? Hinc orationem ingressus de noxis supplicio libenter luendis, socium illum sceleris plane a morte abhorrentem, vehementer hortatus est, vt quando pro commißo scelere moriendum esset, lætus ac lubens moreretur. Tanta porrò existebat in hoc adolescente mortis cupiditas, tanta æternæ uitæ spes, fiduciaque diuinæ clementiæ, vt ipsemet interdum subuereretur, ne nimia quadã, ac vesana confidentia eum diuinæ fiduciæ specie falleret. Sic enim Sacerdotem affatus dicitur. Ego verò, mi Pater, tanta animi lætitia gestio, quanta nunquam anteà in omni vita; metuo ne nimia sit, sed eam ego vt maximè velim, cohibere non poßum. Quid multa? Supplicij horam differri ęgrè ferebat, & conquerebatur; obstupescentibus sodalibus mortis (sic enim Perusiæ appellantur) qui de more eum consolaturi, & ad suppliciũ deducturi conuenerant. Auxit idem deinde admirationẽ

cunctæ ciuitati, cum non modò lætus, ac gestiens, sed identidem Deo gratias agens, ac veniam peccatorum petens graderetur ad mortem. Vbi verò ad carnificinam ventum est, ceruices securi fortiter præbuit, parique virtute, ac pietate in Deum ictum excepit. Omnino ita alacriter, pieque ab eo mors obita est, vt omnes vnum aliquem ex antiquis illis martyribus videre sibi viderentur. Ergo exauditæ uoces circumfusæ multitudinis, beatum illum, ac sanctum virum prędicantis, eiusque preces apud Deũ exposcentis. Par fuit alterius exitus in causa non dispari. Miles quidam gloriosus ob certum facinus morti addictus custodiebatur in vinculis. Is cum suspendio damnatum se crederet, adeò abhorrebat a morte, vt nomen ipsum ferre non posset: cumque postularet, vt si moriendum sibi esset, certe securi feriretur; profitebatur se quiduis facturũ, passurumque potius, quàm vt suspendi pateretur. At confessionem vni ex nostris sacerdotibus facta, adeò eius conuersa mens est, vt sua sponte se coram omnibus nudaret, & publicè flagris cæderet omnibus qui aderant stupore attonitis, Deumque qui obstinata quoque pectora emollit, collaudantibus. Deinde verò vt ei nuntiatum est, non suspendio, sed securi moriendum, prædicare cœpit, nullum esse tam turpe, & ignominiosum mortis genus, quod non sibi pro suis sceleribus, ac flagitijs deberetur:

tur: & simul orare institit ne primi sui illius postulati ducerent rationem; se iam exploratũ habere, & quale supplicium meritus esset, & quantum Deo Optimo, ac benignissimo parenti deberet. Ad extremum cum ad supplicium duceretur, tam effusa lætitia exultans vadebat ad mortem, vt cum magna populi sit admiratio, & misericordia consecuta. Multa eiusmodi commemorari possent, sed satis sit selegisse pauca de multis. His rebus adeò nostrorum opera Prætori Vrbis, & Iudici capitali probata est, vt etiamsi non desint alij viri boni, quorum institutum sit, iuuare eos, qui morte mulctantur; tamen ad eam rem, nostri potissimum adhibeantur. quippe qui in miseris illis, & afflictis ad spem salutis erigendis se magno cum fructu impendant. Porrò ipse Vrbis Prætor ita conciliatus est Societati, vt persæpè in nostro templo, Eucharistiam populo impertierit; ac deinde consecratus Episcopus, quoties sacrum fecit (fecit autem sæpius) nunquam nisi in nostra æde facere voluerit. Adolescens quoque e prima nobilitate vna cũ alio contubernali studiorũ socio apud nos pijs commentationibus se se exercuit, nec sine fructu, & cum significatione propensæ erga nos voluntatis. Tanta porrò est omnium de nostra doctrina, prudentia, fide, opinio; vt non solùm mercatores, ac tabelliones, alijque ciues, sed etiam ex varijs religiosis familijs plurimi nos

de rebus ad vitæ officia pertinentibus consulant. Valuit etiam authoritas nostrorum in multorum odijs, atque inimicitijs sedandis, quas graues contumeliæ, ac vulnera exacerbauerant, sed ea, ne longum faciam, silentio præteribo.

Collegium Florentinum.

Conciones in tēplo nostro habitæ sunt maxima lectissimorum hominum frequentia, pariterque ipsorū fructu, & subsidio pauperum. Ad quos subleuandos multa submissa à multis, ab alijs vinum, triticum ab alijs, ab alijs vestimēta, sępè etiam preciosa, vt eorum precio egentiū inopia subleuaretur. Hæc omnia per certos homines pauperibus verecūdis distributa. Quorum tanta vis fuit, vt singulis hebdomadis octogenorum numerū summam excederent. Supellex quoque templi multis, ac preciosis altarium, ac sacerdotum sacrificantium amiculis aucta. Mercatores duo prædiuites, ac principes ciuitatis, conscientiæ stimulis agitati res omnes ab se contractas litteris mandarunt, sic animo parati, vt eorum iudicio starent, & perperam contractus rescinderent, malè parta restituerent. Cœnobium sacrarum Virginum, lapsa paulatim disciplina, iam inueteratis vitijs, ac discordijs laborabat. Quod nostri salutaribus monitis, ita instituerunt

hunt, vt malis moribus, odijsque sublatis, disciplina reuocaretur ad pristinam seueritatē. Ea res aliorum Cœnobiorum Curatores excitauit ad vtendum opera nostrorum in extraordinarijs Virginum confessionibus: & simul magnam nobis conciliauit beneuolentiam ciuitatis, præcipuè verò eorum ciuium, qui cum illo cœnobio erant cognatione, ac propinquitate coniuncti. Tres ex veteribus nostris discipulis cum ex præscriptio B.N.P. Ignatij pijs commentationibus operam dedissent, in pietatis studium toti incubuerunt, alijsque vt idē facerent, exemplo fuerunt. Præcipua vero eorum cura fuit, vt lubricam adolescentulorum ætatem ab improborum consuetudine prohiberent, & in Christianæ virtutis, ac pietatis viam inducerent. Horum duo religiosam vitā amplexi sunt, ex quibus alter diuitijs affluēs, cum propter infirmam valetudinē à nostra Societate exclusus esset, nō exiguæ pecuniæ subsidio suam erga nos beneuolētiam declarauit. Ciuis quidam insanabili implicitus morbo, eò desperationis uenerat, vt statueret se e fenestra, aut in puteum præcipitare. Sed diuina ui tactus, ad nos, vt cunque potuit, reptauit. Animo ritè expiato ad patientiç studium, & spem salutis erectus, confessionis, & Eucharistiæ sacramenta frequentare instituit. In his solatium mali, ac remedium inuenit. Affines duo controuersia super dote exorta, atro-

cibus contumelijs inter se contenderant, eorumq; alter in iurgio iurarat, nisi alter quod deberet, ad certum diem persolueret, necem se illi vtique illaturum. Id cum rescißet vnus Sacerdos e nostris, facinus præuertit, & debitore ad soluendum, quod deberet, adducto, pacem inter eos, ac beneuolentiam confirmauit: Pecuniosi ciuis filius ob cędem in ciuitate factam, exulabat, Patrique malum minitabatur, nisi eum restituendum curasset. At Sacerdotis nostri opera perfectum est, vt pace cum occisi cognatis facta, Patri non difficile fuerit soluta pecunia reditum filij in patriam redimere. Ea res & Patri, & Filio saluti fuit. Vterque sacra confesſione reconciliatus Deo, conciliatus nobis nostram ædem frequentat cum familia vniuersa Mulier, quæ ex meretricio, uel ui se Deo consecrarat, cum ex religiosa vita ad meretriciam redire studeret, ab vno e nostris sacerdotibus in veteri proposito confirmata est. Quoniam insignis planè, ac memorabilis diuina benignitas extitit in huius salute tuēda; operę pretium duco rem pluribus explicare. Hæc quam dico mulier florēte adhuc ætate, cum intrusa in cœnobium esset eorum opera, qui verebantur, ne suæ familiæ notam inureret, si ab vno eorum in matrimonium, vti moliebatur, duceretur; grauia multa ab ijsdem pertulit. Cognatus enim perditi amatoris (dum illa sæculum meditatur)

ma-

maximum mulieri periculum creauit. Is rem odoratus, statuit eam, priusquam e cœnobio egrederetur de medio tollere. Aegrotabat tum forte mulier. Itaque bonus ille vir mercede perpulit, qui ægræ pro medicamento venenum deferret ementito medici nomine. Defert ille ad cœnobium mortiferam potionem, quam ægra mulier ex præscripto, scilicet, medici antè somnum hauriret. Sed cum ægrotę ante id tempus nescio quid grauius accidisset: placuit mulieribus, quæ illi præsto erant, in posterum diem differre potionem. Mora saluti fuit. Postridie accedit ad ęgram de more medius, qui vt non datæ potionis præscriptæ causam accepit, negat ab se medicamentum vllum præscriptum, missumuè, & tamen id quidquid esset, afferri iubet. Quod diligenter contēplatus facilè sensit, id non medicamētum esse, sed venenum. ita mulier illa præsentem pestem fraude patefacta, vitauit. Aliàs præsentius etiam periculum singulari Dei beneficio euasit. Missus deinde est ab eodem illo sicarius, qui incautam mulierem confoderet: A quo ad cœnobij ianuam euocata, dum se ad res quasdam capiendas inclinat, multis accipitur plagis. Et nefarius ille negotium confecisset, nisi contubernalium mulierum intercursu prohibitus esset. Ceterùm fęmina illa, cuius caput petebatur, aliquot alijs, quæ facinori interuenerāt, saucijs relictis, profugit. Erat sica præ-

senti veneno illita. itaque cæteræ mulieres, quamuis leui vulnere perstrictæ, alia super aliam perierunt; vna illa, quæ & plurimis, & grauissimis plagis confossa erat, persanatis vulneribus, mortem euasit. adeò præsens Dei benignitas, ac tutela fuit. Nihilo secius illa post tot, tantaq; diuinæ beneuolentiæ indicia, paulatim Dei, suique propositi oblita, pristinæ vitæ licentiam respicere cæpit, & de cœnobio deserendo cogitare. Et quoniã pudicitiæ professio obstabat, subornauit, qui se eius virum esse simularet; negaretque illam se inuito consecrare corpus suum Deo potuisse. Is cum falsis testibus rem Episcopi Vicario probasset; effecerat, vt mulieri fieret exeundi potestas. Ecce tibi dum vesana mulier sarcinas colligit, repentè graui occupatur morbo, qui tanquam dissuasor perniciosi consilij, eam in cœnobio retinuit vel inuitam. Ad extremum longa iam tabe confecta, Deum aliquando respexit, quem sacrilegij vltorem aperuisse oculos videbat. Ergo sæpius expertæ diuinæ benignitatis memor salubriora consilia cepit, nostro sacerdote adiuuante eam in consilio suscepto cõfirmante. Veram fuisse pænitentiam docuit euentus. Ex templo mulier, fraude sua sponte patefacta, Vicarij sententiam irritam fecit, ac ne qua deinde leuitas animum eius mutaret, publicis litteris, ac iureiurando suam fidem obstrinxit. Ad hæc splendidiore cultu, victu-

que

que, quo ad eam diẽ vsa erat, repudiato (nam cubicula sericis peristromatis, mensam argentea supellectile ornatam habuerat) communi cultu, victuque contenta fuit. Et Deus, ne qua deinde res eius constantiam attentaret, insanabili eam morbo constrinxit, atque in sanctæ vitæ proposito stabiliuit. Ita illa malo docta tandem magna dedit documenta virtutis, ac patientiæ suæ, vt facilè intelligas sæpenumero morbum insanabilem vinculum esse diuinæ amicitiæ, & pignus ac segetem gloriæ sempiternæ.

Collegium Senense.

HOc anno Senis vehementer, & exagitata est Societas, & adiuta. Quidam leue offensione adductus falsis criminibus ad ius ditionis pertinentibus nostros apud Magnũ Hetrurię Ducem onerauerat, maximamque in inuidiam adduxerat. Summò in discrimine versabamur Principe infenso; cum Deus pro sua bonitate nostram innocentiam declarauit. Primores Ciuitatis nostram causam susceperunt, egeruntque apud Principem diligenter. Ita atrocia illa crimina diluta, Principi suspicio omnis exempta, Societatis nomen illustratum. Constãtia Piccolhominea fœmina lectissima, Dux Amalfetana mille aureos Senensi Collegio legauit, quanquam certis de causis, ea sum-

ea summa ad trecentos quinquaginta, hoc est fermè ad tertias redacta est. Nec aliorum ciuium in Collegio subleuando benignitas desiderata est, vt in tanta caritate annonę nihil admodum æris alieni contractum sit. Templū tabula egregiè picta, multis ac varijs altariū vestibus adornatum. Nec sacris concionibus modò, & exercitatione catechismi, sed etiam explicatione officiorum recens inducta, longè plus solito frequentatum. Vinctos non solum vsitatis officiis, sed etiam corrogata stipe nostri subleuarunt. Sacrarum Virginum Cœnobia tum audiendis interdum confessionibus, tū etiam pijs sermonibus ad pietatis studium excitarunt. Primariorum Ciuium grauiter inter se dissidentium, pacem a multis frustrà tentatam, Deo bene iuuante confecerunt. Excursum etiam est in Castella huius diœcesis in montibus sita; vbi Sacerdos vnus e nostris cū socio sermonibus habendis, confessionibus audiendis, Christiana doctrina tradenda, incolas, accolasque excoluit maximo fructu. Inimicos aliquot ad pacem, & amicitiam reuocauit; effecitque vt (quod nunquam anteà illis locis visum erat) omnes ad vnum per Ferias Paschatis, Sacræ confessionis, & Eucharistiæ sacramentis vterentur. Alter sermone ad populum de Virginitatis laudibus habito, adeò plerasque virgines permouit, vt viginti numero puellæ iam nubiles eodem tempore

palam in templo ante aram virginitatem dicauerint Deo, summa omnium admiratione, ac lætitia. Ex hoc numero vna fuit forma, ac diuitijs longè præstans, & iam primario illis locis viro desponsa, nuptijs quidem de more in templo denunciatis. Hæc cum ad aram accederet nomen datura, fortè in socerum incidit, quem appellans, ego quoque, inquit, tua bona cum venia Deo virginitatem dicabo meam. iamdiu hoc mihi deliberatum, & constitutum est. Stupere ille, & hærere primò; denique vrgenti puellæ respondit; per se quidem licere illi facere, quod vellet. Huius exemplum Soror pari specie virgo secuta: ac deinceps aliæ; quarum vna etsi vnica domi suæ, patruo denique expugnato, voti compos est facta. Ita ex vno Castello plurimæ vno tempore Virgines celesti sponso nupserunt.

Collegium Montis Sancti.

PRo *exiguo nostrorum numero fructus satis magnus fuit. Duo præcipuè perditæ nequitiæ homines nostris authoribus ad bonam frugem se receperunt. Quidam à puero ex impudicorum librorum lectione deprauatus voluptati se totum, ac flagitijs dederat. Huic in tenebris ruenti ira cœlestis numinis viam salutis ostendit. Cum varijs casibus à Deo castigatus, perseueraret in errore, deniq;*

malo

malo dæmoni ita permissus est, vt eum dormientem de nocte strangulare conaretur. Itaque ille Diabolo vrgente, Deum respicere aliquando cœpit; & inuocato salutari IESV nomine, periculum in præsentia vitauit, atq; in posterum salutis præsidium inuenit. Nam vt eum suffocaturus quotidie sub noctem illa bellua inuadebat, semper eodem IESV nomine fugabatur. Dedit vexatio intellectum. Tandem homo ad se rediijt, & vitam penitus mutauit. Ex eo enim honestum, piumq; vitæ genus instituit, suas fortunas, quas in delicias conferre consueuerat, egentibus dispertire decreuit. Mulieri malus dæmon pulcherrimi hominis specie se ostendebat, seque Christum Iesum esse simulans varias precationes, confitendiq; rationem (bonus videlicet innocentiæ Magister) eam docebat. Ratio autem hæc erat, vt peccata nemini præterquam sibi, eaque generatim confiteretur. Hæc igitur a nobilibus fæminis eius familiaribus ad Concionatorem nostrum adducta, rem illi omnem aperuit. Sensit illico Pater fraudem communis hostis, sed non æquè facilè mulieri eripuit errorem. Quippe Pseudochristus ille vera falsis miscendo fidem ei fecerat; eiusque animum rectè factorũ specie, quasi præstigijs quibusdam tenebat obstrictum. Nam & de cognatorum, notorumque animis in Purgatorio cruciatis multa miseræ illi commemorabat, & eam ad paupertatem

colen-

solendam, ad pœnitẽtiam, Deique vltoris iram mortalibus denunciandam inuitabat. Verùm Patris nostri admonitione, minisque cœlestibus victa tandem errore deposito rediijt in viã. Alia porrò mulier adeò exagitabatur a Satana, vt planè insaniret. Nolebat esse apud virum, a quo perhumaniter tractabatur: a sacramentorum vsu penitus abhorrebat; aliaq; multa dabat indicia insaniæ suæ. Hæc nostri Sacerdotis oratione adducta reuertit ad sanitatem. Iamque sacramentis confessionis & Eucharistiæ frequenter vtitur, & cum viro ac domesticis concordissimè viuit.

PROVINCIA NEAPOLITANA.



VERVNT omnino in Prouincia Neapolitana socij trecẽti sexaginta quatuor. In Domo Professa duo, & sexaginta. In Collegio Neapolitano centũ & octo. In Domo Probationis vndequinquaginta. In Nolano Collegio sex & viginti, In Catacensi duodeuiginti, Totidem in Consentino, Itemque in Barolitano. Vno plus in Aletino, In Barensi, & Salernitano quinideni. In Theatino domicilio quatuor. Aggregarunt se So-

se Societati quatuordecim, Diem obierunt duo.

Professorum Neapolitana Domus.

CVm Romam indicta esset Patrum Cõgregatio Generalis, mirum extitit domus huius studium in Deo Societati conciliando. Nullus omnino in ea fuit, qui non assiduis precibus, frequentibus ieiunijs, alijsque pęnis voluntarijs diuinum ad eam rem auxilium imploraret. Ciuitati quoque vsitata Societatis nostræ officia sunt vtiliter præstita. Sacræ Cõciones non modò in tribus præcipuis Vrbis templis; sed etiam in Prætorio habitæ Pro regis ipsius rogatu, magnaque eiusdem approbatione, ac uoluntate. Fructus labori par. Octo pellices, atque vna meretrix, corrogata a pijs hominibus dote in matrimonio collocatæ. Remiges in triremibus (vt de alijs taceam) catechismo imbuti, Vnus qui ad Mahumetem desciuerat, ad Christum reuocatus. Mulier vnico filio orbata, vt interfectori veniam daret, adducta. Egestati etiam plurimorum in maxima annonæ inopia consultum. quippe sępius in hebdomada mendicis amplius ducentis stipis data, magna cum admiratione ciuitatis. Sed nobis, quod erogauimus, a pijs hominibus

minibus magno cum fœnore redditum. Prȩter pecuniam templi ædificationi attributam, ad eiuș ornatum, tanțum donorum eſt collatum, vt ſummam mille aureorum excederet. Illuſtrium feminarum, quæ ad noſtrum templum ventitant, virtus ſanè illuſtris fuit. Earum nonnullæ Bacchanalibus, cum iuſtis de cauſis intereſſe ludis publicis, cogerentur a viris, ita paruerunt vt D. Ceciliæ exemplo, extrinſecus ornatæ, occulto corpora cilicio domarēt. Aliæ Noſocomia ſubinde adeunt, ibique linteo ſuccinctæ ægrotis mulieribus cibos miniſtrant; Nec niſi ſtratis omnium lectis, inde diſcedunt. Fuit quæ pellices ſeptem ad vitȩ honeſtatem ab ſe conuerſas cœnobio includeret. Et Deuș gratam ſibi eſſe illius pietatem cuidam alienorum factorum ſpeculatrici mulieri declarauit. Hȩc ex ſe alias æſtimans, vnamq; ex illiș obſeruanș, apud ſe ſimulatæ pietatis arguebat. Sed ipſa iuſtiorem reprȩhenſionem non effugit. Viſa eſt illi in quiete B. Maria irato vultu, ac minaci, increpans eam, atq; ab ſe repellens, quòd cum pridie eius diei (qui dies fuerat B. Virgini ſacer) Chriſti filij ſui ſacroſancto corpore abſtinuiſſet, eam tacita cogitatione inſimulaſſet, quæ frui maluiſſet; contraque illam alteram (nam adeſſe videbatur) B. Virgo ad ſe alliciebat, & ſimul collaudabat, quòd pie, caſteque, filium ſuum accepiſſet. Noua hoc anno Sodalitas Sacerdotum incboata bel-

ta belle procedit. Procerum, ac nobilium altera est sodalitas florentissima, de qua scriptũ est alias. Huius hoc anno, & benignitas & virtus uel maximè enituit, Aureos mille octingentos ad subsidium pauperum Sodales erogarunt, multisque, qui necessitate adducti filiarum pudicitiam prodere cogitabant, subuenerunt, in quibus subleuarunt etiam egestatem vnius, qui desperata salute se orco deuouerat: eumque ad spem salutis erexerũt. Duæ item meretrices a turpi quæstu eorum opera abductæ; & altera cũ viro reducta in gratiã, altera Deo in conuersarum cœnobio consecrata. Horum liberalitatem Deo esse gratam acceptamque, & ingenti cum fœnore redditũ iri, quod dedissent, memorabili documento intellectum est. Pater qui Sodalitati præest, Sodales ad benignitatem in pauperes inflammans, trito, vulgatoque vsus erat argumento, benignos centuplum recepturos. Sub sermonem unus e sodalibus aureum nummum in arcam coniecerat, huic postero die sacerdos quidem vnum & centum aureos ex restituta in confessione pecunia numerauit. Visus est Christus Patris illius, aut suam potius uocem cõprobasse. Tertia item Sodalitas opificum & plebeiorum uirtute & pietate auctior fuit. Ex uno fiet de cæteris coniectura. Lanista erat quidam nobilis, & quidem uitæ liberiori assuetus. Is sodalitati adscriptus, incredibile

dictu est,

dictu est, quàm sui dissimilis extiterit, quantosque breui fecerit in virtute processus, longum esset singula consectari; ex multis pauca perstringam. Cilicio assiduè corpus affligebat; Flagris ad sanguinẽ sæpius in hebdomada cædebat; ternarum quotidie horarum precationibus animum ad pietatem excolebat. Nec tamen nobilibus adolescentibus, qui se illi in disciplinam dederant, in armorum ludo vnquam deerat; sed artis suæ quæstu verecundam honestorum hominum inopiam subleuabat. conuicijs, & cõtumelijs malè acceptus gestiebat. Nullis imbribus, aut tempestatibus deterrebatur, quo minus sacras ædes obiret. Diuorum omnium, qui ei Calendis cuiusque mensis per septem annos (tãdiu enim in Sodalitate fuit) patroni obuenerant, memoriam, & clientelam diligentissimè custodiebat. Ad extremum cùm in morbũ incidisset, ex quo est mortuus, nunquam a mulieribus, quæ ægrotanti præsto erant, attingi se passus est. Orantibus Deum domesticis, & amicis, vt sanum illum redderet, bonum potius, inquiebat. Quamdiu cum morbo, ac morte luctatus est, cum Deo, sanctissimaque eius parente, quam velut præsentem alloquebatur, identidem ingenti animi sensu sermocinabatur. Funus eius à Sodalibus maximo honore celebratum est. Cilicium summis omnium studijs expetitum, præmium in virtutis stadio currentibus propositum diceres.

Iam verò nostrorum secundum Deum beneficio, multi qui nocturnis, diurnisque spectris miserè agitabantur, facta totius vitæ confessione, illam molestiam depulerunt. Septem ad varias religiosorum hominum familias se aggregarunt. Sexdecim mulieres a meretricia vita ad honestam traductæ. ex hoc numero sex viris recõciliatæ, quatuor in cœnobijs Christo dicatæ. Puella, quæ fratri in suspicionem violati pudoris venerat, vitæ, famæque periculo est exempta. Mulier, quę natalem Christi diem execrata corruerat exanimis, admoto sacro globulo, & IESV nomine implorato restituta est sanitati. Alia quæ se energumenam simulabat, ad sacram confessionem perducta, & simulatione destitit, & vitam instituit meliorem. Adolescens nobilis periculosè ęgrotãs vllam sibi sacræ confessionis mentionem fieri vetuerat. is ab vno e nostris denunciatione imminentis mortis perterrefactus, & ritè expiatus, paulò post fiduciæ plenus excessit è vita. Sicarius magna vi pecuniæ ad facinus impulsus, dum equitem ad cædem quærit, in nostram ædem forte diuertit; Ibi sacerdotis nostri, in quem inciderat, oratione ad confitenda peccata inductus, non modo cędis consiliũ deposuit, sed etiam facinoris socios, quos ad struendas equiti illi insidias præmiserat. a scelere reuocauit. Flagitiosa fœmina mali dæmonis sibi eam vindicantis aspectu conterrita,

S.Ni-

S. Nicolai (cuius oblata in illo discrimine species erat) admonitu, sacerdotem nostrum accersiri iussit, eique ritè confessa honestæ vitæ consilium cepit.

Collegium Neapolitanum.

MAgnifica Stiliani Principis sumptu præmia cum eleganti dramate data mirum in modum, & auditorum nostrorum studia inflammarunt, & Gymnasij nomen illustrarunt. Vtraque Academia Parthenia tum litteris, tum virtute præstat. Ex maiore octo ad Societatem nostrã, duo & viginti ad alias religiosorum hominum disciplinas se contulerunt. Maior octo, Minor tres adhuc peperit Societati, plures parturit. Complures eorum, vt præcipuo studio B. Mariam colunt, præcipuum eius sunt patrocinium experti. Vnus cum a Sicario per errorem vulneribus conficeretur, aduersus ferrum, quo identidem petebatur, B. Mariæ nomen opposuit. Mirum dictu. pro mortuo relictus, vestimento pluribus locis perfosso, ipse intactus euasit, ne leuiter quidẽ cute perstricta. Alter ruentis impetu plaustri prostratus B. Virginem inuocauit. Nec frustra; alterum crus, quod Rota obtritum crederat, incolume subtrahit. Ex eodem numero alius, qui septimum iam annum ex oculo grauiter laborarat, deniq; humanis remedijs fru-

ſtra tentatis, ad diuina confugit. Ergo dum enixè Deiparæ Virginis opem magna ſpe erectus implorat, globulum inſtar ciceris, ex oculo eijcit: ac repentè optatam recuperat ualetudinem. Porro alius cum in uinculis haberetur, propediem, ut credebat, morte mulctãdus; B. Mariæ, quam vnicè colebat, auxilium implorauit, Nec fruſtratæ eum ſunt preces. Subinde anxium cura animum ſomnus occupat. Per quietem Virginis eximia pulchritudine ſpecies offertur, quæ illum bono animo eſſe iuſſum Iudici commendaret, imperans, vt eum quàm primum crimine abſolueret. Viſum euẽtus comprobauit. Haud ita multo poſt ab illo ipſo Iudice, quem in ſomnis uiderat, abſoluitur. Opificum Sodalitas incredibiliter eſt aucta. Sodales ſunt ad octingentos, quatuor in claſſes diuiſi. præter cœtum ſexaginta pueros, qui ſeparatim chriſtianæ doctrinæ rudimentis inſtituuntur. Dici vix poteſt, quantos in virtutibus progreſſus faciant. Illud egregium, quod plerique eorum alios ad piæ vitæ inſtitutum alliciunt, duces, magiſtrique virtutis Bacchanalibus quadraginta horarum ſupplicationem bis nõ modo aſſiduis precibus, ſed etiã tergorum verberationibus celebrarũt. Quippe vtraque ſupplicatione ſodales facilè ſexageni lintea veſte de more induti flagellis terga ſtrenuè ceciderunt. Ex hoc numero quindecim hoc anno religioſæ vitæ genus amplexi. Cui-

dam

dam ex his mirabile quiddam euenit. Graui morbo afflictus iacebat; iamque eius salus a medicis penè desperata erat, cum visus est illi in quiete eximia forma puer, qui manu eius prehensa; bonumque animũ habere iusso, fore prædicit, vt breui conualescat. Visum fuisse, non somnium ostendit euentus. Simulatq, somno experctus est, morbo leuari primum æger, deinde sensim liberari, quoad breui planè conualuit. Alius Turcam moribundum, & in auita superstitione obstinatum adortus, peruicit denique, vt Mahomete deserto ad Christi signa transiret. Ita baptismo lustratus euolauit in cœlum. Iudæus item vnus à nostris ad Christi ouile est aggregatus. Turca quidam malo doctus tandem christiana sacra suscepit. Is luce veritatis oblata, ad Christi fidem se cõferre cogitabat: Sed ueteris uitæ licentia eum a salutari consilio deterrebat. Dum incertus animi hæret, in ipso portu e puppi delabitur in mare. Gurgite haustus cum ne multo quidem tempore intermisso existeret, pro mortuo habebatur a nautis. At ille dum in profundo demersus hæret, B. Franciscum a Paula, quem sæpe numero in periculis a Christianis inuocari solitum meminerat, fidenter implorat. Repente ille adfuit periclitanti, & manu præhensum in tuto collocauit. Ibi Turca admirabũdus cælum suspicere, cæleste auxilium prędicare, baptismum flagitare. Igitur a nostris

christiana mysteria satis edoctus baptizatur. Tantus autem in illo adhuc catechumeno christianæ perfectionis studium extitit, vt Christianos ipsos, si quos aut rixantes inter se offendisset, aut impia verba iactantes, grauiter obiurgaret. Adeò hæc illi uitia christiano homine indigna videbantur. Nec nostris domesticum virtutis incitamentum defuit. P. Andreas Viuus Theologiæ Doctor magnis cum in omni vita, tum uerò in curatione morbi datis egregiarum virtutum documentis, est mortuus. In morte autem quiddam memorabile accidit. Dum moribundus animam agit, repentè oculos, quos diu compressos habuerat, aperuit: exhilaratoque vultu, intuenti similis aliquam speciem, qua mirificè delectaretur, iucundissimè efflauit animam, non secus, ac si in pace, in id ipsum dormiret, ac requiesceret.

Domus probationis.

SEnsit hæc domus diuinam prouidentiam haud leuibus argumentis. Eius inopia a Prorege Neapolitano quadringentis, à matrona primaria ducentis nummis aureis sublenata est, & miserabile æquè, ac memorabile Tyronis vnius exemplo reliquorum constantia confirmata. Adolescentulus is erat nobilis, qui tribus ferè mensibus in Societate nō sine laude exactis, repente commutata uolun-

tate

tate discessit. Itaque haud ita multo post, voluptatum illecebris irretitus mulierculæ cuiusdam rogatu in conspectu domus nostræ interficitur, vt locus ipse exitij omnes de exitij causa admoneret. & morte horribilior vitæ exitus fuit. ne confessione quidem expiatus interijt. Et si enim illicò sacerdos e nostris vocatus adfuit; tamen animam iam efflanti non quantum voluit, sed quatenus licuit, opem tulit. Cadauer tamen in templum nostrum illatum ad sepulturam; ita qui nobiscum incolumis perseuerare noluerat, ad nos relatus est mortuus, non sine famę, ac fortassis etiam animæ iactura. At Turca præclara indole adolescens apud nos Christianis mysteriis imbutus, egregia in nostris suspexit exempla christianæ uirtutis. Christianus igitur factus, & a Proregis filio in numerum suorum aßeclarũ adscitus, omnibus est innocentiæ, ac sanctitatis exemplum. Ad hæc commemorare alijs solet; ea se apud nos obseruaße argumenta singularis cuiusdam humanitatis, caritatisque christianæ, quæ facilè poßent Turcas omnes, si ea experirentur, ad Christi fidem adducere.

Collegium Nolanum.

TEmplum hoc anno duobus est auctum sacellis, & quidem ornatis opere marmorato. Sacra item supellex, atque instrumentũ

vasculis argenteis, & altarium vestibus auctius redditum. Concionator noster non viuis solùm, sed etiam mortuis praeclarè consuluit. Eius hortatu matronae aliquot hoc susceperũt, vt bina quotidie sacra pro ijs, qui purgatorio igni expiantur, facienda curarent, & quo id subsidium praesentius foret, electa ad eam rem ara Pontificali beneficio praedita, ad mortuorum animas subleuandas. Ex Sodalitate B. Virginis duo se Societati adiunxerunt. In alijs quoque opera vtiliter collocata. Res omnis ex vno exemplo intelligetur. Virgo erat, quae, & si dotis expers incredibili nuptiarum amore flagrabat: neque ab ea sentẽtia cuiusquam opera abduci poterat. Haec cum B.P.N. Ignatij meditationibus per aliquot dies animum excoluisset, repente ita mutata est, vt Deo virginitatem deuoueret. Ergo corpus suum volũtarijs poenis afflictare, precibus instare, pietatem ex animo colere coepit, in eoque vitae instituto perstat non sine opinione sanctitatis.

Nostrorum autem industria manauit etiã foras. Sacerdos e nostris Stabijs (oppidum est Nolae proximum) ad reconciliandos inter se duos fratres profectis, incidit propè in summum ciuitatis illius certamen, atq; discrimẽ. Episcopus de coenobijs quibusdam Sacrarum Virginum cum Ciuitate vehementius disceptabat, iamque res eò erat adducta, vt perpetuae inter eos inimicitiae, magnaque ciuitatis

incom-

incommoda timerentur. Hic ille noster ita se gesſit, vt non modò fratres illos, quorum causa venerat, ad priſtinam caritatem reuocaret; ſed etiam epiſcopum & ciuitatẽ ſublata controuerſia in concordiam adduceret. Ea res ita grata omnibus accidit, vt pacificationem feſto campanarum omnium ſono celebrari placuerit.

Collegium Catacenſe, & Aletinum.

IN *Collegio Catacenſi B. Mariæ Sodalitas, quæ maximo ſodalium numero extincto, interciderat hoc anno reſtituta eſt. Egregia in templo ornando liberalitas primariarũ fæminarum extitit, quæ ingentem pecuniam contulerunt ad B. Mariæ ſacellum quàm pulcherrimè exornandum. In templo Vrbis maximo Doctrina Chriſtiana ab vno e noſtris explicari cœpta magna Epiſcopi voluntate. Quæ res, vt ſit conſpectior, ac celebrior, inſtituitur diebus feſtis puerorum ſupplicatio ab æde noſtra, prælato de more vexillo. luſtratum itidẽ eſt propinquum oppidum, vbi cum alia multa piè vtiliterque geſta; tum verò complures mulierculæ a flagitioſa uita ad honeſtatem traductæ. Itum etiam Cardinalis Sanctæ Seuerinæ rogatu, ad Abbatiam huius regionis: paræciæque*

ciæque eius omnes, quas plurimas habet, obitæ, curatumque vt cum nonnullis locis sacrosancta Eucharistia lignea pixide asseruaretur, deinde includeretur argento. Parochi etiam multis rebus adiuti.

In Collegio Alctino insignis nostrorum in odijs, simultatibusque tollendis industria extitit. Complures a destinatæ cædis consilio deterriti. In his vnus, qui magnam a viro nobili pecuniam acceperat, vt communem inimicum de medio tolleret, nostri Sacerdotis hortatu, nō modo argentum illi restituit: sed etiā cum inimico rediјt in gratiam. Ad ægrotos ac moribundos vel interdiu, vel noctu tam crebrò nostri vocantur, vt una nocte eadem penè hora deni sacerdotes euocati ad ęgrorum domos adirent. Tenera ętas christianæ disciplinæ rudimentis adeò diligenter excolitur, vt tota penè Vrbs talibus carminibus personet. Multa etiam mancipia, quæ a Mahomete ad Christum se transferre statuerant, christianis mysterijs instituta. Aethiopissa quoque mira prorsus ratione ad Christum adducta est. Hæc Mahometi addicta a Christiana Religione penitus abhorrebat, vt ne uoces quidem hortantium æquis auribus ferret. Sorte quadam diuinitus euenit, vt Sacerdos noster cū eius Dominum cōuenisset, in seruam illā incideret, qui eam conspicatus, benigne rogat, velit ne fieri christiana. Illa diuinitus tacta, repentè submis-

sis

sis ante sacerdotem, quem nunquam antea viderat, genibus, & libenter quidem se uelle, respondit. Ita breui instituta est, baptismoque lustrata. Nostrorum industriæ ciuitas pari liberalitate respondit. Multi frumentum, alij alias res ad victum, cultumque corporis necessarias submiserunt. Pia mulier nummos aureos mille legauit. Ad templi ornatum bina candelabra argentea perfecta: bini item cum pollubro vrceoli ex argento; velumque aureũ calicis permagni pretij accesserunt. Gymnasium strenuè ædificatur. Tres adhuc exedræ absolutæ sunt, & pecunia ad sumptum suppetit. Ciuis, cuius filius nostræ disciplinæ alumnus e vita decesserat, aureos ducentos nobis attribuit. Sodalitas B. Virginis christianarum virtutum laude præstat. Sodalis erat quidam nobilitate pariter, ac dignitate inter cæteros eminens. Is contumeliosis improbi hominis litteris notatus, tantam moderationem animi præ se tulit, vt neque ipse iniuriarum ageret, & Iudicem magnopere rogaret, vt nullum super ea re verbum fieri pateretur. Sacerdotum quoque sodalitas floret in dies magis. Ex his vnus Societati nostræ nomen dedit. Alter morti proximus bina candelabra argentea, sacerdotalemque ornatum (quę facilè octogintá aureis æstimantur) Collegio nostro reliquit. Nec domi solum res benè gesta, sed etiam foris. Sacerdos ad oppidum satis magnum ac no

bile

bile profectus, tãtis oppidanorum studijs exceptus est, vt eum vulgò diuinitus missum esse prædicarent. Nec spem eorum fefellit. Populus duas in partes diuisus de creandis magistratibus per viginti fermè annos dissidebat. omnia odijs, simultatibus, inimicitijsque plena erant, sic vt bellũ ciuile geri videretur. Noster ergo a bene sentientibus de Republica ciuibus edoctus, in concionem ascendit, & cõcordiæ commodis commemoratis, oppidanos graui oratione ad pacem, concordiamq; reuocauit, incredibili omnium lętitia & gaudio. Ad Vrbem aliam sacerdos alter accersitus, vt viro nobili animam agenti in vltimo illo certamine præsto esset, & simul eius parẽtem, qui paulò ante alterum filium amiserat, consolaretur: vtrunque Deo iuuante egregiè præstitit. Nam moribundus ille ita alacer è vita discessit, vt diceret per nostrum sacerdotem patefactum sibi iter in cœlum. Pater autem senex, etsi per idem tempus duobus orbatus filijs, ita sacerdotis nostri oratione confirmatus est, vt magna omnium admiratione se in publicum daret. Porrò alius sacerdos in alia Vrbe sanè nobili, obeundis Societatis nostrę muneribus ita se gessit, vt ciues de excitando Societati Collegio magnopere agitarent.

Colle-

Collegium Bariense, & Bariolanum.

NOuus Barij Archiepiscopus ab vno e nostris in maximo Vrbis templo oratione pereleganti exceptus, paucis post diebus Collegium sua presentia cohonestauit, familiaq; vniuersa dimissa, solus apud nos familiariter est pransus. Itum a prandio ad scholas. Ibi post breuem Magistri salutationem ecloga data est sanè festiua. Hanc epigrammatum, aliorumque carminum vis ingens consecuta. & Antistes grata sibi omnia accidiße affirmauit. Sodales B. Virginis sedem suã magno sumptu adeò eleganter ornarunt, vt ipsa species ad pietatem inuitet. Sacramentorum fructus etiam in cæteris extitit. Mulier horrendis Dæmonum spectris agitata Sacramentorum beneficio quietam iam vitam agit. Domus occursu & importunitate mali Dæmonis infesta, sacerdotis nostri opera est liberata. Fæminæ cuiusdam nostro Sacerdoti confiteri assuetæ non pudor solùm, sed pro pudore animus virilis enituit. Ab impuro homine ad flagitium vehementer sollicitata, ità illum calcibus, ac pugnis accepit, vt ex eius manibus malè mulctatus aufugeret, illum fæminam, hanc virum eße diceres. Curatum etiam, ac per-

perfectum est, vt externi Magistri discipulos ad nos singulis mensibus confessionis causa mitterent.

In Bariolano Collegio maleuolorum calumnijs laboratum est, sed infamia in gloriam vertit. Erat Ciuitas falsis quorundam criminibus a nostris ab alienata. Commodissimum visum est factis dicta refellere. Nec occasio defuit; Aestas excepit frequentibus, & grauibus infesta morbis. Ergo nostri ægris plebeijs æquè ac nobilibus nullo tempore, nullo loco deesse, afflictos excitare, confitentes audire, morientibus præsto esse, nulli labori, aut incommodo parcere. Et hæc nostra tam difficili eorum tẽpore sedulitas hoc erat illustrior, quòd cæteri se subtrahebant. Itaque his rebus non modò aduersariorũ impudentia refutata est, sed magna etiam nostris conciliata opinio sanctitatis, prorsus vt eos vulgò patres sanctos appellarent. Benignitas quoq; in nos excitata multorum. Nostris alendis magna vis tritici, hordeique donata, templo ornando lychni argentei, candelabra inaurata, aliaque ornamenta minimè contemnenda. Sodalitas interim B. Virginis duplex instituta. Altera discipulorum, ac nobilium; opificum & rusticorum altera. Vtriusque & numerus, & pietatis studium crescit in dies. Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ in oppido frequentari sũt cœpta: Maximè verò ab adolescentulis; parentum

tum enim socordia pueri etiam senum demū. annorum ab Christi corpore abstinebant. Iamque non solum a ludis, & compotationibus, quibus aßueuerant, abhorrent; sed piorum sermonum frequentia, sacrorum mysteriorum vsu magnopere delectantur. Aegros, uinctos, honestas mulieres inopia laborantes omni opera, atq; opera iuuant. Hæc & alia Sodalium benignitatis officia, & quia per se illustria sunt, & quia proficiscuntur ab ijs, qui prius alia omnia cogitabant, oppidanorum in se oculos, animosque conuertunt. Et eorum admiratio in Societatis, Deique laudem redūdat. Duo oppidani primarij capitali odio inter se dissidentes, nostrorum opera condonatis ob Christi amorem iniurijs, in gratiam redierunt.

Collegium Consentinum.

A*Rchiepiscopi, Clerique rogatu de christianis officijs instituta prælectio auditoribus floret. Duo noua sodalitia inchoata sunt; Clericorum vnum, Alterum honestorum ciuium. Vtriusque constitit fructus. Summa ad sacram Concionem ventitantium frequentia fuit: & omnium propemodum auditorum. totius vitæ confesßiones auditæ, maximo quidem sacerdotum nostrorum labore; sed laboris assiduitatem fructus magnitudo superauit. Confluentium ex vicinis locis ad*

nos exonerandæ conscientiæ causa tanta vis fuit; vt non nulli vix octauo post die voti compotes fierent. Concionatoris uoce malis ciuiũ moribus occursum est. Perfectum etiam vt Virgines festis diebus ex præscripto Ecclesiæ intersint rei diuinæ: ne mulieres in suorum funere faciem lacerent. Iniquæ præterea pactiones tota ferè Vrbe rescissæ: male parta pecunia restituta. Reconciliatæ familiæ duæ, quas cognatione coniunctas odium non modò distraxerat, sed in mutuam cædem armauerat. Multorum etiam inimicitiæ in amicitiam versæ. Sacerdos in finitimum oppidum profectus sermones habuit ad populum; catechismumque rudibus tradidit incredibili plausu, fructuque. Idem instituit primorum ciuium Sodalitatem ad officia pietatis. Implacabile multorum odium, quod in grauem cædem erupturum videbatur, Deo benè iuuante sedauit: efferata oppidanorum ingenia mitigauit, atq; ad christianam normam direxit. Vir nõ ignobilis ab alio in multorum conspectu percussus, alapam osculo vltus est. Huius exemplum sequutus est alter e prima nobilitate. Cognati duo, quorum alter alteri pestẽ moliebatur, in pristinam caritatem restituti. Fœneratores non pauci ab instituto reuocati: res, quæ mala fide possidebantur, dominis redditæ. Alter Sacerdos in alia finitima oppida digreßus paucis diebus tres sodalitates piorum constituit:

fuit: meretricem ad honestam vitā traduxit; effecit, vt tres mulieres a flagitiosa vita abductæ (in quibus illustris fœmina erat) in matrimonium ab amatoribus ducerentur. Itemque vt puella, cuius causa riuales ad arma venerant, dote ab Archiepiscopo, alijsque curata, honestè collocaretur.

Collegium Salernitanum, & Domicilium Theatinum.

AD tria B.Mariæ Sodalitia, quorum vnū nobilitatis, discipulorum alterum, tertium opificum, hoc anno quartum accessit eorum, qui Iuri ciuili, & Philosophiæ in publico Gymnasio student, Et in sodalibus excolendis fructus extitit labori par. E sodalitate discipulorum vnus ad nostram, alter ad Capucinorum disciplinam se recepit; Idem expetunt plurimi. Ciuitatis erga nos beneuolentiam dona ad templi ornatum complura, eaque opulenta declarant: Sacrarum Virginum cœnobia duo Archiepiscopi rogatu, confessione a nobis expiata: nec sine fructu. Vnus a consilio cædis reuocatus. Fœmina primaria morte iam vrgente cum impetrasset, vt uiaticum a nostro Sacerdote acciperet, continuo melius habere cœpit. Dux Nucerinus cum graui morbo vrgeretur, sacerdotē nostrum Salerno Nu-

ceriam accersitum apud se habuit, quoad illo vltimo certamine ritè defunctus ad cælestia præmia euocaretur. Theate vrbs est samnitiũ in primis nobilis. hic Domicilium Societatis a Donato Alucio ciuè Theatino institutum est. Collegium futurum, vbi vectigal septingenorum aureorum ab illo ad eam rem testamento relictum ad idoneam summam peruenerit. Interim pauci e nostris, qui inibi versãtur, operam ciuitati nauant. Ciuitas porrò ducentorũ aureorum accessionem in annos singulos futuro Collegio destinauit.

PROVINCIA
MEDIOLANENSIS.



N Prouincia Mediolanensi summa nostrorum fuit ad ducentos triginta tres. In Domo Professorum versati sunt sex & triginta. In Collegio Brerano sexaginta quatuor. In Genuensi vnus & triginta. Vno minus in Taurinensi. In Comensi duodecim. Vno plus in Vercellensi. In Domo probationis Aronensi quadraginta quinque. Cæteri in Domicilio Alexandrino. Extincti sunt omnino duo. horum detrimentum sarserunt in Societatem asciti viginti.

Pro-

Professorum Domus.

Nostrorum opera (vt missa faciam vsitata, ac minus illustria) in multorum salute procuranda insignis fuit. Abbas cuiusdã Monasterij cum monachis compluribus se nobis excolendũ salutaribus meditationibus tradidit, cum suo & Monasterij fructu minime vulgari. Mulier minus pudica e viri sui manibus, ac ferro elapsa profugerat, quam vir insectans fortè in sacerdotem nostrum incidit; ab eo delinitus est, adeò vt coniugi parceret; ita ambo bona fide inter se reconciliati diuina in nostro templo mysteria frequentant. Fæminam honesto loco natã, nobilis eques adamabat; quam cum nec prece, nec precio ad flagitium pellicere potuisset, denique furore captus amorem in odium vertit. ergo per vias, & cõpita multis audientibus eam contumelijs appetere, probris onerare, atrocibus minis territare cæpit. Cęterum nostri Sacerdotis interuentu, atque opera equitis furor compressus est: pudica mulier omni molestia ac probri periculo liberata. Adolescens virginis amore captus frustrà eius pudorem per menses facile decem oppugnauerat, cum mater puellæ egestate cogente ad eum confugit. Ibi tum ille ita mulieri opem spondet, si filiam ad eum perducat. Pacta pecunia, dies flagitio dicitur. Sed

 Deus

Deus interposita mora, & virginis pudori, & adolescentis saluti consuluit. Eo ipso die, quo res constituta erat, interuenerunt nonnulli, quos ille verebatur. Interim adolescens diuina vi permotus ad sanitatem reuertitur. Tantum ergo flagitium exosus mulierem de vendito filiæ pudore grauiter accusat. Virgini, vt honestè nubat, partem dotis assignat: repentè ex virginitatis oppugnatore vindex. Nec domi solum, sed etiam foris vtiliter laboratum est. Sacerdos noster in Nouariẽsis Diœcesis oppidum missus, ibi paucis diebus nobili viro persuasit primum, vt concubinam dimitteret; deinde ut dimissam in matrimonium duceret. ita vtrique peccandi occasio in posterũ adempta. Idem aleatorem a ludo ad sacramentorum frequentem vsum adduxit. Alter sacerdos ad Episcopum Sedunensem profectus rem Christianam benè gessit. Causa profectionis hæc fuit. Vallesij populi sunt Heluetijs, & Mediolanensi ditioni finitimi. Hi christianã Religionem egregiè semper coluerunt. Nuper hæretici homines eò cum penetrassent, prauas, atque impias opiniones spargere cœperant. Mediolanensis igitur Gubernator veritus, ne longius serperet malum, egit cum Præposito Domus, vti aliquem e nostris sacerdotibus ad Sedunensem episcopum mitteret, qui id ageret, vt Vallesiorum episcopus idem & Dominus pro authoritate, atque imperio pestilentes homi-

homines eijceret. Venit igitur ad episcopum noster, cum mandatis ac litteris. Ab Episcopo humanissime exceptus in eius familiaritatem se insinuauit, breuique ei persuasit, non modo vt hæreticos, qui eò irrepserant, exterminaret, sed etiam vt illiusmodi hominum pestes graui edicto in posterum excluderet, & Vallesiorum finibus graui pœna proposita prohiberet.

Collegium Breranum.

Breranum Collegium & discipulorum numero, & nominis fama etiam apud exteros nobilitatum est. Archiepiscopus Taurinensis hac fama adductus Roma Taurinum rediens ad nos diuertit, & apud nos quamdiu Mediolani fuit, iucundissime est diuersatus. Huius exemplum secutus Dertonēsis Episcopus, cū ad eum Mediolani ex itinere diuersantem uenisset salutatum alter Antistes, qui in hac Vrbe commoratur, hominem sic accepit, vt ad Breranum Collegium inuitaret; nullum iucundius spectaculum esse posse, quàm tātam lectissimorum adolescentium spectare multitudinem litteris, ac pietati studentem. Itaque ille postridie gymnasium adit; exedras omnes obit; a magistris, discipulisque excipitur omnibus obseruantię, atque honoris indicijs. Quid multa? eo spectaculo ita recreatus discessit,

steſsit, vt ſe operæ pretium feciſſe exiſtimaret. Bauariæ item Ducis filius domum ab Vrbe repetens, cum Mediolanum vrbem Italiæ maximam viſeret, noſtrum Gymnaſium ſibi viſendum putauit. Coneſtabilis etiam Caſtellæ cum Mediolanum Gubernator huius ditionis veniſſet, noſtri Procuratoris inuitatu ad Collegiū venit: totumque illum diem vna cum filio, & alio nobilisſimo viro nobiſcum egit ſumma cū animi voluptate. Gymnaſij atrium cum periſtromatis, tum verò diſcipulorū carminibus, atque emblematis exornatum erat. Ipſe pereleganti oratione in maxima nobilitatis frequentia ab vno e noſtris magiſtris totius Collegij nomine ſalutatus. Et ille vtranq; B. Virginis Sodalitatem (erat quippe dies feſtus) inuiſit; ab vtraque illi tum breui oratione, tū carmine gratiæ actę. Ingreſſus inde in impluuium Collegij, maiorem etiam apparatum offendit. Erant porticus omnes precioſis aulæis ornatæ mira carminum, emblematumque varietate diſtinctis. Excepit deinde prandium, non tam epularum, quàm eruditionis delicijs opiparum. Super menſam concio multiplex linguis vndecim inter ſe disſimillimis habita, & fercula cum ſuo quæque diſticho appoſita. A prandio feſtiuum drama in maxima exedra habitum. Drama diſputationes Theologiæ cōſecutæ diem, celebritatemque clauſerunt. Nec ciuitatem noſtri litterarū ſolum ſtudijs iuuerunt,

runt, sed etiam officijs pietatis: Ab Epiphania ad Ceneralia, quo maximè tempore stultorum insania his locis erumpere consueuit, in celebrioribus Vrbis compitis, ac plateis ad circumfusam multitudinem verba fecerunt, frequenti, ac secunda concione, & sæpè magna nobilium virorum, ac fœminarum corona. quippe cum vel honestissimi equites ex equis, & matronæ nobilissimæ ex carpentis ad finem vsque dicentes nostros attenderent. Nec defuit labori fructus: multorum totius vitæ expiationes testimonio fuerunt. Discordia quoque inter duos primarios ciues, quæ non leue malum parturire videbatur, per sacerdotem nostrũ sublata. Feminę duæ nobiles grauibus inter se odijs dissidentes ad concordiam reuocatæ. Qua in re alterius earum Christiana humilitas extitit: nam oratione nostri sacerdotis adducta, illam alteram multis, qui simultatẽ nouerant, inspectantibus, conuenit, demisseque, & amicè admodum affata ad amicitiam reuocauit.

Domus probationis Aronensis.

Q*Vàm Deo cordi sit nostra Societas multorum Tyronum virtus ostendit, quos Christus mirabili ratione vel elegit, vel exer-*

cuit. Nobilis adolescens paternam miratus felicitatem (is quippè ad summos honores, gradibus quidem, sed quasi cursim ascenderat) vereri secū cœpit, id quod vsus docebat, ne præcox ille fructus minus esset diuturnus: neu qui ad summum dignitatis gradum subitò euaserat, inde subitò præceps rueret. Itaque humanæ fragilitatis admonitus in eam cogitationē venit, sibi nitendum non esse tam fluxis bonis, sed his vera, sempiternaque bona redimenda: ita ad Societatem animum appulit. Patrueles fratres duo nobilitatis præcipuæ adhuc adolescentuli ad nostrum cœtum se aggregarunt mira quadam ratione. Horū uterq; inter germanos fratres natu maximus erat, quo ægrius vocantem Christum secuti sunt. Obstabat salubri consilio non modò spes luculentæ hæreditatis, sed etiam ætas aduersus domesticas delicias minus firma. Illud contra negotium iuuabat, quòd erat vterque alterius consilij conscius. Itaque Dei benignitate vicissim alter alteri saluti fuit. Nam cum alter eorum cunctantem alterum ad propositum a Christo decus incitaßet, ipse factus deinde languidior, ab illo, quem modò inflāmauerat, ad exequendum aliquando tàm salutare consilium est inflammatus; ita tandem vterque domesticis laqueis expeditus ad nostrum numerum accessit. Aliorum insigni cum parentibus certamine egregia est declarata constantia. Adolescen-

scentulus erat, ac pene puer nobili loco natus, qui relicto patre, cuius vnicus filius erat, ad nos se contulit; sed ita vt prius de tota re parentem faceret certiorem; nec tamen responsum expectarat, vt si qua pugna instaret, pugnaret ex tuto. Nec sua illum fefellit opinio. Confestim parens Aronam aduolat; cumq; impetrasset, vt cum solo ageret; multis ei rationibus persuadere conatur, vt domum tantisper redeat, dum ægram tam tristi nuntio parentem consoletur, & satis appareat, hanc illi mentem diuinitus iniectam. Cum nihil verbis proficeret, paternam authoritatem interponit. Hærebat puer, neque quomodo paternum imperium eluderet, videbat. Denique diuina lux oborta, quæ & ipsum molestia, & parentem maiore pœna liberauit. Quo tandem, inquit, vestitu domum redeam? vtrum hoc, quem hic modò indui, an illo, quem exui? hunc vt exuam neque mea voluntas fert, nec nostræ dignitatis ratio patitur. Hoc verò indutus qui possum inter domesticos, & notos honestè versari, qui nondum quemadmodum hisce vestibus vtar, didicerim? Ne multa. Senem puer hac ratione conuictum vltro perpulit, vt se ipse aliquando respiceret, salutaribusque monitis ita instituit ad studium pietatis, æternæque vitæ, vt eum ad opes, quas vnico filio parauerat, in pauperes erogandas incensum dimitteret. Alterius in maiore certamine ma-

gis

gis etiam constantia enituit. Is nobis se magno animi ardore adiunxerat. Cuius pater simul ac quid factum esset vnico filio, quem fortunarum hæredem, & stirpem familiæ destinauerat, cognouit; scilicet improuiso malo exanimatus Aronam accurrit. Facta alloquendi cum filio potestate, omnes machinas admouit, vt eum domum reduceret. Sed frustrà. Cōstans, & Deo fretus adolescens, omnes eius artes elusit. Ergo ille dolore ardens, cum re infecta domum reuertisset, planè furere, insanire, furorem suum in coniugem, in domesticos, in notos, a quibus se de filij consilio celatum dicebat expromere: Ciuitatem turbis miscere, episcopum, & ciues in nos incitare. Nec furori modum nisi filio recepto adhibiturus videbatur. Proinde & insidiosis cognatorum litteris, & doctis cœnobitarum nobilium sermonibus (qui sui instituti penè obliti, ut posita manu ad aratrum, respiceret retrò, ei persuadere nitebantur) adolescentis sæpius est tentata constantia. Ad quæ omnia eius animus inuictus perstitit; quin etiam ex crebro, grauique certamine, vt fit, nō modò illustrior euasit, sed etiam firmior. Cæterum haud scio an memorabilior etiam fuerit Taurinensis pueri animus minimè puerilis, qui cùm sibi aditum in Societatem vndique clausum videret, quod & vnicus esset, & patris iam confecta ætate filius, facinus edidit memorabile. Religiosissima

ma

ma oppidi Taurini templa adire, Deum, Dei parentem, Diuosq; omnis enixè orare instituit, vt alterum parentibus suis filium darent, quo sibi liber, & expeditus in Societatem pateret ingressus. Nec sua illum pietas, ac spes fefellit. Haud ita multo post pater sexagenarius ex coniuge filium genuit. Vbi puer se voti cõpotem factũ animaduertit, mirè lætus instare parentibus, vt quando eis Deus nouum hæredem dedisset, priorem filiũ Deo consecrarent. At illi nihilo minus pio filij consilio obstabant: & aliàs Mediolanum, alias Papiam per studiorũ causam ablegabãt, vt ibi per certos homines ille ab ea mente deduceretur. Sed tandem omnes parentum conatus ad nihilum reciderunt. Puer vbicunque esset per litteras summopere nostros vrgebat, vt quoniã a Deo impetrasset, vt vnicus non esset, impetraret ab eis, vt impedimento, quod vnum erat, sublato, in Societatem adscriberetur, & per idem tempus pater est mortuus. Itaque puer matrẽ omni artificio aggreditur, vt se Christi vocantis signa sequi patiatur. Contra illa lacrymis, maternisque blanditijs filij animum attentare, nuptijs pellicere, bonorum illecebris irretire, idemque vt facerent, cognatos, & propinquos magnopere rogare instituit. puer omnium certaminum victor, ad extremum cum satis pietati fecisse uideretur, ad salutis perfugium relicta matre profugit.

Illud

Illud quoque diuinæ erga nos prouidentiæ indicium non vulgare. Aronensis cœli grauitas fecit, vt æstiuis mensibus Nouitij in rure propinquo satis amœno, & commodo domicilium haberent. Hic igitur in æstiua de more cum concessissent, placuit Rectori ad relaxandos Nouitiorum animos, cœnam eis in prato propter amnem, qui fundum interfluit, dare. Aberat is locus a villa. Itaque eo supellectilem, instrumentumque necessarium delatum oportuit; cœna hilariter in illa præterfluentis amnis amœnitate celebratur ab ignaris, quantum mœroris, ac luctus ab eis tum Deus auerteret. A cœna quorum id muneris erat, supellectilem in tecta referunt. culinæ parietem offendunt paulo antè collapsum: intellectumq; est ex puluere, alijsque indicijs, eo ipso tempore villæ parietem corruisse, quo cœnabatur in pratulo: quæ vtique ruina ministrantium aliquot oppressura fuisset, nisi Deus hanc Rectori dedisset mentem, vt per id tempus cœnę locum mutaret. Nec nihil est a nobis operæ foras deriuatum. Cardinalis Sfondratus, cum se pijs meditationibus excitare vellet, secessit ad larium lacum, ibique Rectorem Aronensem sibi dare operam uoluit. P. . . . . Donius Procurator feruido ingenio, ardentique iuuandorum hominum studio, laborum suorum mercedem tulit Is vicinum oppidum sępius interuisens exemplo probitatis, morum-

que

que suauitate præcipuum parochum sibi deuinxerat, & appositis commentationibus ad omne officij munus instruxerat. Inde oppidanos tum publicis, priuatisque hortationibus, tū cæteris Societatis nostræ muneribus ad honestę, piæque vitæ studium inflammarat. adeò vnus obibat munera multorum. Itaque cum consummatus in breui complesset tēpora multa, in ipso ætatis flore ad laborum suorum præmium euocatur in cœlum. Mors ipsa ante actæ vitæ testis fuit. Grauis, diuturnique morbi molestias incredibili semper animi æquitate pertulit: tantaque vultus hilaritate, mentisque lætitia decessit, vt eum ad æternam quandam, beatamque vitam migrare sentires. Tantum porrò non nostris modò, sed etiam oppidanis illis, quos tanto studio excolebat, sui desiderium reliquit, vt cuncti eius tanquam parentis mortem lacrymis, ac laudibus sint prosecuti.

Collegium Genuense, & Taurinense.

GEnuæ in ciuibus iuuandis insignis fuit nostrorū industria. Testimonio est, quòd vnius nostri sacerdotis opera adulteri sex a flagitiosa consuetudine abducti; pellices, quibus diu assueuerant partim dimiserūt, partim

sibi

sibi in matrimonio stabili collocarunt. Puellæ duæ, quæ pollicitationibus, ac minis ad flagitium incitabantur, periculo exemptæ sunt, & in tutum receptæ. Duorum nobilium cædes impeditæ. Alter qui infamiæ notam consciscẽda sibi morte effugere constituerat, a perdito consilio reuocatus. Duo qui mutuis vulneribus accensi ad cædem ruebant, ad pacem, atque amicitiam adducti. Sex huius vrbis Sodalitates, quę nostrorum consiliis reguntur, & frequentia, & pietatis studio excellunt. Archiepiscopus Diœcesim obiens vnum atque alterum Sacerdotem e nostris postulauit, eorumque opera vsus est ad dissidentium pacificationes, Parochorum institutionem, informationemque rudium populorum.

In Collegio Taurinensi mirus sacrarum concionum fructus constitit. Indicio est, quòd cũ Concionator de confessione totius vitæ instituenda verba fecißet ad populum, tantus auditorum motus fuit, vt ad trecentos vniuersã vitam apud nos retextam expiauerint, præter alios complures, qui apud alios Sacerdotes idẽ fecerunt. Iam mulierculis compluribus peccandi occasio sublata est; multæ etiam in tutum receptæ: non nullæ a voluntariæ mortis proposito abductæ. Complures earum, quæ ad nostrum templum ventitare consuerunt, quantum frequẽs, ac pius sacrorum mysteriorum vsus ad absolutionem virtutis poßet, magno

gno

gno fuerunt documento. Ex hoc numero vna a sempiterno piorum hoste de gradibus deturbata, totum mensem fractis membris, atq; artubus, alteroque insuper capta oculo iacuit. Sed virtus enituit in malis. Quamdiu ægrotauit, gratias Deo agere nunquam destitit. Alteri mulieri Diabolus pulcherrima specie Christi crucifixi effigiem præferens sese obtulit; eiusque quamuis pia, & salutaria facta Deo inuisa esse, ipsamque olim destinatam inferis denunciauit. Hic illa ad Christi imaginē, quā in cubiculo habebat, conuersa paulisper orat; tum præsenti animo ita respondet, se verò nec præmiorum spe, nec suppliciorum metu adductam seruire Deo: & eius causa vel sempiternos inferorum cruciatus paratam subire. Mox arrepto baculo insidiatorem inuadit: ille concusso vehemētius cubiculo ex oculis elabitur: teterrimoque odore in tectis relicto, quis, aut vnde esset facilè declarauit. Vnus qui infamiæ maculam sibi impositam multorum cæde eluere meditabatur, ad saniora consilia traductus est. Inter duos fratres capitali odio dissidentes pax constituta. Pecunia malis artibus parta Dominis reddita. Curatum etiam, vt ægri milites, quorum erat maximus numerus, hospitio, rebusque ad corporis, animique salutem necessarijs ne carerent. Hæreticus supplicio addictus coram multis, qui eius sermonibus impulsi, nutabant, a Sacerdote nostro redargutus;

eadem-

eademque opera dubij in fide confirmati. Itum etiam in castra & milites ad officium incitati: ibi res accidit digna memoria. Miles suspensam gestabat e collo ceream cælestis agni effigiem, quam in prælio plumbea glande ictus expertus est salutarem. nam glans cū in ipsā agni imaginem incidisset, ad militis pedes defluxit innoxia, tantum munimenti in sacra cera aduersus mortiferum ictum fuit. Sacerdos e nostris ab Archiepiscopo Diœcesim obeunte socius ascitus nec parum, nec frustra laborauit. Archiepiscopi authoritate nixus multas, ac veteres inimicitias sustulit. Ex quo genere vnum exempli causa a nobis ponetur. Iurisconsultus a fratris filio luculentam acceperat plagam in facie, Nec vt ei parceret cuiusquā oratione, vel authoritate adduci poterat, nisi ille ueniam suppliciter peteret, ac sibi satisfaceret. Contra adolescens ad ea descendere omnino recusabat. Noster cum versato in omnes partes vtriusq; animo nihil proficeret, ad extremum rogat vt ambo pariter ante sacrosanctam Eucharistiā paulisper supplicarent Deo. Haud ægrè impetratum. Mira res dictu. Vix ibi Deum parumper orarant, cum repentè eorum animos diuina vix flexit. Ecce tibi dum adolescens patruum adire petendæ veniæ, & satisfaciendi gratia parat, repentè occurrit ei patruus negans sibi aliter ab eo satis fieri uelle, quàm vt christianè in posterum uiueret.

Cate-

Catechiſmi ſchola illis locis aperta eſt, vbi eius nomen nunquam antea erat auditum. Eques nobilis periculoſe ægrotabat, ad eum ipſius rogatu Sacerdos noſter cum veniſſet, hominem ad peccatorum confeſſionem ritè inſtituendam inuitat: ratuſque id, quod erat, delictorum pœnam eſſe morbum, confidere ſe ait, vt ſacra confeſſio illi remedio foret. Nec eius ſpem Deus fefellit. Æger ritè confeſſus ſtatim diuina benignitate conualuit. Miles fœdà, grauique confectus tabe in Noſocomio iacebat penè ab omnibus deſtitutus, quòd grauē eius odorem ferre nemo poſſet. Adit hominē noſter Sacerdos diuino vtique conſilio, ac voluntate, Offendit iam morti proximum, amiſſa penè loquendi facultate, Rogat num velit confiteri. annuit ille, ſed loqui poſſe negat. Sacerdos igitur ſalubri liquore dato, vbi eum reuocatis parumper viribus, ſatis commodè loqui ſenſit, ad vniuerſæ vitæ expiationem hortatur; paret ille, ac nè obſcurum eſſet diuinum beneficium, confeſſione perfunctus obmutuit, nec ita multo poſt diſceſſit è vita. Diceres, illi vt ritè confiteri, pieque mori poſſet, diuinitus & ſermonis facultatem redditam, & vitæ vſuram prorogatam.

Collegium Vercellense, & Comense, & Domicilium Alexandrinum.

Vercellis priore anni parte morbis exercita est patientia nostrorum; posteriore spectata in aliis iuuandis industria. Data opera est, vt in varijs Vrbis templis christianæ doctrinæ rudimenta pueris, atque idiotis traderentur, vt uinctis copia esset sacerdotis ad expianda peccata; multi etiam ab Orci faucibus liberati. Illud egregium. Facinorosus homo inimicitias gerebat cum altero, qui iamdiu ab Vrbe aberat, nec quisquam omnino reperiebatur, qui sciret, vbi gentium is esset. Hic igitur inimici vlciscendi studio inductus, humani generis hostem implorauit. Cum eo animam pactus, si vbi nam locorum esset eius inimicus, indicaret; huius pactionis chirographum suo sanguine exaratum ei tradit. Hoc ille accepto, docet, eius inimicum esse Geneuæ, ipsumque hortatur, vt eò contendat, inimico vitam eripiat, & illius ciuitatis libertate ac licentia fruatur. Tum verò homo miserrimus inferni hostis fraudem, insidiasque animaduertit. Igitur desperata inimici vltione, se ipse aliquando respexit. Nactusque nostrum sacerdotem

con-

consilium ab eo, & auxilium petit. Huius ope ex Diaboli manibus elapsus uetus chirographum nouo, quo se Deo deuouebat, irritum facit.

In Comensi Collegio pax per nostros conciliata inter duos nobiles, quorum dissensio magnum aliquod malum erat paritura. Tres honestissimæ familiæ veteribus odijs dissidentes ad concordiam & amicitiam adductæ. Duo viri, qui necem vxoribus moliebantur, cædis consilium abiecerunt, & cum eis in gratiam redierunt.

Alexandriæ tres e nostris plusquam pro numero in Societatis muneribus elaborarunt, ac tale ciuibus nostrorum hominum specimē dederunt, vt nihil magis expetant, quàm Collegium Societatis.

PROVINCIA SICILIAE.



Verunt nostri in hac Prouincia ad numerum trecentorum sexaginta quinque. Panormi in Professorum Domo vnus & quinquaginta. In Collegio quinquaginta sex. Messanæ in Collegio vnus & septuaginta. In Domo Probationis sex & triginta.

ginta. Catanæ vnus & viginti. Totidem Syracusis. Calatagironæ duodeuiginti. Quindecim Biuonæ. Rhegij totidem. Vno plus Drepani. Itemque in Collegio Montis Regalis. In Collegio Mineo tredecim. Melitæ vno minus. In Calatauexetano Domicilio quatuor. Excesserunt vita octo. Societatem inierunt triginta.

Professorum Domus Panormitana.

Operam a nostris vtiliter positam fructus multiplex satis ostendit. Multæ mulieres a flagitiosa vita extractæ: ex his duæ in Perfugij Domo locatæ, quam domũ nostrorum hortatu Proregina Siciliæ mulieribus e flagitiorum cæno emergentibus nuper aperuit. Atque ad eam rem Sodalitas ex primariis huius Regni feminis instituta, quibus curæ est eam Domum sustentare, ac præterea Nosocomium insanabilium identidem inuisere, quod vtrunque faciunt ingenti approbatione ciuitatis. Multa item homicidia repressa, ex quibus multarum familiarum pernicies timebatur. Complures virgines, quæ nostrum templum frequentabant, Deo se deuouerunt. Ex hoc numero sex vno die ad idem cœnobium se contulerunt. Ludorum Bacchanalium ferijs in tem-

in templo nostro quadraginta horarum suppli ratio maximo apparatu, parique frequentia peracta est. Bona ciuium pars relictis ludis, ad Deum pro insanientibus hominibus comprecandum conuenit. Ad preces piorum hominum se flagris cædentium agmen accessit maximum. Auxit celebritatem tum Proregis, Proreginæque præsentia, ac religio insignis, tum Archiepiscopi, qui rem diuinam solemni ritu fecit, & canonicorum pietas singularis. Quippe erat ædis nostræ aræque ornatus & ad speciem magnificus, & ad sensum pius, vt quicunque accederent, intimis sensibus cômoti lacrymas tenere non possent. Templi ædificatio magnis piorum, atque ipsius Proregis vltro tributis pecuniis adiuta penè ad fastigiû peruenit. Prædiues matrona nummos aureos quadringentos erogauit, ad lychnum argenteum pensilem ante aram maximam. Sacra supellex non mediocria incrementa cępit. Aedes quoque nostræ, & aula, & aliquot cubiculis auctæ. Ipse etiam aditus ædium concinnatus cum opportunis circum locis uel ad nostrorum vsum, vel ad colloquia cum externis. Præcipuè verò fuit nostrorum studium precibus, atque omni ope iuuandæ Congregationis Generalis in hunc annum indictæ. Ad eam rem omnes per singulas hebdomadas vsitatis B. P. Ignatij commentationibus, sed inusitato sensu fructus mentes suas exercuerunt, & as-

ſiduas preces certatim, voluntarijs corporum afflictationibus cumularunt.

Collegium Panormitanum.

NOſtris diſcipulis præclara declarãdę induſtriæ ſuę ſe obtulit occaſio, quam illi de manibus non dimiſerunt. S. Nimphæ Virginis caput maximo apparatu, ac penè triumphali pompa in Vrbem cum inueheretur, Collegij parietes, præter quos ſupplicatio erat proceſſura, epigrammatis, emblematis, cæteriſque ingeniorum monumentis elegantisſimè pictis exornarũt. appoſito etiam dialogo Virginem ſalutarunt. Quantum in virtute ac pietate progrediantur, vel illud argumento eſt, quòd eorum complures ad uarias ſacrorum hominum diſciplinas, quatuor numero ad noſtram Societatem ſe applicuerunt. Verùm inter omnes Sodalium B. Virginis eminèt pietas; quæ cum multis rebus ſpectata eſt, tum verò in pudicitia tuenda. Ex his duo impudicas mulieres, a quibus etiam in cubilia ingreſſis attentabantur, conſtantisſimè repulerunt.

Collegium Mamertinum.

PRæclarè poſita opera eſt etiam in hominibus deſperatæ ſalutis. Complures ſontes capitis damnati, cum repente breuior ſolito

dies

dies eßet supplicio præstituta, vsque eò efferati sunt, vt palam in iustitiæ ministros, Deumque ipsum maledicta iactarent. Horum tamẽ animos nostri non solùm mitigarunt, sed etiam ad repræsentatum supplicium æquo, fortique animo perferendum magnopere confirmarũt. Itaque alacriter vadentes ad mortem se mutua hortatione firmabant, eaque omnium alacritas erat, vt ad triumphum potius, quam ad supplicium ire viderentur. Vnius præter cæteros virtus, & scelerum pœnitentia insignis fuit. Qui cum primò eßet omnium desperatissimus, tantum doloris sensum deinde ex turpiter actæ vitę memoria cæpit, vt adhuc recens ex quęstione ac tormentis, crasso fune nudum tergum acerrimè cæderet, nec se a quoquam cohiberi sineret. Multorum odia, atque inimicitiæ ad pacẽ adductæ. In hoc genere quiddam accidit non sine diuino numine, sanè mirabile. Primarij ciues erant duo, qui graues inter se inimicitias exercebant. Eorum alter, qui grauissimam iniuriam ab altero se accepisse existimabat, nulla cuiusquam authoritate adduci poterat ad pacem. Hunc sacerdos e nostris adortus, cum alternis rogans, cœlestesq; minas intentans ne quicquam eius versasset animum; deniquè re infecta discesßit. Nec incaßum Sacerdotis minæ ceciderunt. Tantus illũ repentè dolor inuasit, vt iã iam expiraturus videretur. Itaque nostrum Sacerdotem

properè reuocari iubet. experiri se vindicem obstinati animi Deum; seque iniuriã Dei causa condonare paratum inimico. Nec secus ac dixerat, fecit magna omnium vel admiratione, vel lætitia. Inter duas nobilissimas ciuitatis familias, quæ sese omni ope ad mutuam cædem armauerant, per nostros pax in perpetuũ constituta est. Duo ciues primarij adeò erant pellicum amoribus implicati, vt eas vi, ac manu aduersus Generalẽ ciuitatis Vicariũ tueri non dubitarent. Verùm nostri Sacerdotis oratione adducti pellices sua sponte ad Archiepiscopum deduxerunt, & veniam a Vicario suppliciter petierunt, animumq; ad honestiorem vitam traduxerunt. Puella, cuius & corporis & animi vita in discrimine versabatur, in tuto est collocata. Ciuis honestus cum falsis criminibus ad quæstionem, ac tormenta rapiendus esset, nostri sacerdotis hortatu B. Mariæ auxilium implorauit. seque inimicis & accusatoribus omnes iniurias condonaturum esse promisit. Inde ad quæstionem raptus, cum cruciatus omnes forti & constãti animo pertulisset, proxima nocte visa est ei in quiete B. Maria, postulans vt promissa faceret. Qua ille specie tantopere est recreatus, vt confestim sacerdoti eidem accersito flens rem omnẽ exponeret, ac subinde inimicis ignosceret. In quinque numero Sodalitatibus B. Virginis, mirus pietatis ardor exarsit; maximè verò eo

anni tempore, quo maximè efferuescere solet stultorum insania. Namque ędes nostra insolito apparatu exornata, indicta est quadraginta horarum supplicatio. cuius supplicationis initium ipse Archiepiscopus, sub sacrum solemni ritu; suauissimo symphoniacorum, Musicorumque instrumentorum concentu decantatum, fecit; finem autē imposuit agmen octoginta virorum se flagellis de more pulsantiū, itemque aliud puerorum, qui Angelorum specie cruciatuum Christi insignia præferebant, quo spectaculo vniuersa ciuitas adeò commota est, vt sexta feria maioris hebdomadæ, ac dies acerbissimæ Christi morti sacer uideretur. Ex his Sodalitatibus sex ad nostros se aggregarunt. Ea porrò opinio est ciuitatis de nostrorum virtute, atque doctrina, vt plus fere nobis tribuant quam nostra modestia patiatur.

Domus Probationis Mamertina.

DVo nobilissimi adolescentes summa vel ingenij, vel virtutis indole præditi. sanè, memorabili ratione ad Societatem vocati sūt. Horum alter frater erat germanus Dynastæ longè primi Siciliæ Insulæ. Is cum Deo se dicare statuisset, diu, multumque dubitarat, v-

trum

rum Capucinorum, an Societatis disciplinam sequeretur. Ad eamque deliberationem etiam per piorum hominum preces Dei voluntatem exquisierat. Ad extremum coniectis in aram sortibus duabus, in quarum altera Societatis, in altera Capucinorum erat nomen, sacrũ Sancti Spiritus ad eam rem faciendum curauit; Inde cum Eucharistiam ritè sumpsisset, educenti sortes Societas obuenit. Id cum Dei cõsilio accidisse existimaret, extẽplò secutus est vocantem Deum. Alter Dynastæ opulenti in primis filius Societatem cupidissimè appetierat. Is cum pater abeundi potestatem omnino non faceret, fuga elapsus Messanam contendit. Paucis horis intermissis pater re cognita; eum vestigijs persequitur: eodemque die ad maritimam vrbem peruenit, quò filius paulò ante peruenerat. Ergo dispositis ad portas custodijs, ne qua elaberetur, quàm diligentissimè obseruabat. At ille cum se aliquot e nostris Meßanã petentibus comitem addidisset, clàm in nauiculam impositus paternam dilıgẽtiam elusit. Cæterum cum deinde pater Meßanam profectus, potentia, qua plurimum poterat, peruicißet, vt sibi filius redderetur, nihil tamẽ profecit. Quippe ille hac contentione constantior factus nullis nec minis, nec contumeliarum aculeis potuit a proposito deterreri. Ita demum victa patris duritie, ad nos victor reuertit.

Nouitiorum peregrinatio euidens Dei numen experta est. Ex his tres locorum imperiti cum longa aberrasset a via, in deuia sylua imbribus madefactos nox oppressit. Itaque humanis auxilijs destituti, ad Diuinum confugerunt, Deumque ac Dei Parentem cum Diuis omnibus inuocare cœperunt. Vix id munus peregerant, cum repentè famuli Baronis cuiusdam e venatione reuertentes eis occurrunt; qui nostrorum casum miserati, eos in proximũ oppidum ad Dominum adducunt: ibi liberaliter accipiuntur, & rebus necessarijs instructi reducuntur in viam. Iisdem honesti homines stipem cum negassent, vbi eos e Societate esse intellexerunt, domum adductos, liberaliter, lauteque tractarunt, & rebus ad iter necessarijs iuuerunt.

Collegium Catanense, & Syracusanum.

Catanæ nihil admodum hoc anno memorabile accidit, nisi quòd maximi momenti pax nostro Sacerdote internuntio conuenit. Quadraginta item horarum supplicatio extremis Bacchanaliorum diebus habita solemni ritu, atque pompa. Quippe Vicarius ipse Generalis cum Magistratu ciuitatis, magnoque ciuium agmine initium supplicandi fecit,

secu-

secutusque maximus deinceps populi cum pari pietate concursus.

Syracusis nostri egregiā pacificationis laudem tulerunt. E primoribus ciuitatis duo multos iā annos capitali inter se odio dissidebant; nec vnquam illustrium virorum authoritate ad concordiam res adduci potuerat. Tandem nostri Sacerdotis hortatu, pertinaciæ finem fecerunt, suas inter se iras, discordiasque placarunt; eademque opera se suasque familias cæde, ac perniciè liberarunt. Ea pax coram plerisque ciuitatis principibus facta est, cum is, qui alterum violarat, insolutis etiam modis illi pro iniuria satisfaceret, maxima cum omniū admiratione, ac laude nostrorum. Alij duo ciues honesti nostrorum suasu ex grauibus inimicitijs in gratiam redierunt. Duo arcta propinquitate coniuncti, ob disceptationem fortunarum dissidentes, atrocissimis criminibus apud Iudicem decertabant cum ingenti periculo vtriusque. Hos vnus e nostris in pristinam gratiam, amicitiamque reduxit. Idem inter duos adolescentes, qui graues inter se inimicitias gerebant, pacem conciliauit. Adolescentem, qui inimicum, a quo deforme in facie vulnus acceperat, ad necem quærebat, mitigauit, ac perpulit, vt Christo inimici iniuriā condonaret, vltroque læsus ipse ab eo, qui læserat, eiusque cognatis flens, & singulos osculans veniam peteret, cunctis qui aderant, stupore

pore attonitis, & immortales Deo, ac Societati gratias agentibus.

Collegium Calataieronæ.

INcredibile est ciuitatis studium in Societatem. Indicio est, quod publico cõsilio nummorum aureorum duo millia quingentos nobis ad templi exædificationem attribuit. Itaque iam templo est fastigium impositum, tectumque pulcherrimè laqueatum. Nouum templũ ipso die D. Mariæ sacro initiatum maxima populi frequentia, ac lætitia. sacra verò ministeria frequentantium numerus, pariter ac pietas crescit in singulos dies. Multarum uirginum pudori ex inopia in magnum discrimẽ adducto per nostros consultum est, pecunia ad eas subleuandas corrogata. Nonnulli ex primis ciuibus, qui exorto affinitatis dissidio, acerbissimis odijs & criminibus inter se dissidebant, nostris authoribus discordias posuerunt, & ad pristinam gratiam redierunt, maximo cum gaudio & gratulatione ciuitatis. Sodalium B. Virginis virtutem vno exemplo notare satis erit. Ex his vnus longè nobilissimus ab altero Sodali in maxima ciuium frequentia, verbo, vt uidebatur uiolatus, sic exarsit, vt sodalem pugno percuteret. Sed cum ille sedato animo negaret ab se contumeliosè dictum, quod ipse in suam contumeliam vertisset,

tißet, vsque eo commotus est alter, vt illico se ad eius pedes proyceret, ac suppliciter veniã peteret, seque ad quamcunque voluißet, satis factionem paratum diceret. At ille adeò liben ter ei condonauit iniuriã, vt omnes qui aderant, non minus huius moderationem, quam illius submissionem animi suspicerent.

Collegium Minense & Biuonense.

IN oppido Mineo tanti fiunt vndique ad ædem nostram hominum concursus, vt cæteræ sacræ ædes penè desertæ videantur. Catechismus pueris tam diligenter, accommodatèque traditur, vix vt vllus sit puer qui eum probè teneat. Ciuium erga nos beneuolentiam, cum alia multa, tum verò eorum legata declarant. Ciuis opulentus nostri templi munditia captus, luculentũ ei legauit prędium. Ioannes Thomas Verrera huius Collegij fundator, non magis ante actæ vitæ laudibus, quam egregia in graui, diuturneque morbo, ac morte patientia clarus, Rectorem Collegij sibi moribundo adeße voluit. Itaque sanctissima IESV, ac MARIAE nomina perpetuo in ore habens, ipso die IESV CHRISTI circuncisioni, ac nomini sacro (qui dies a Societate nostra sanctissimè colitur) euolauit in cælum.

Biuo-

ßiuonæ autem honestissimorum ciuiũ odia; quæ in ciuitatis perniciem eruptura videbantur, per nostros sedata. Ex his duo germani fratres, inter quos acerbum odium cum atroci dissidio exarserat, multosque annos tenuerat, veteres inimicitias, controuersiasque vni è nostris sacerdotibus permisere. Alij duo fratres cum ex altercatione ad manus venissent, seque inter se grauiter vulnerassent, recentibus adhuc vulneribus, sacerdote nostro authore in gratiam, caritatemque pristinam rediere. Fuit etiam qui ab inimico grauiter læsus non modo illi condonaret iniuriam, sed etiam cum is vinculis teneretur, missionem impetraret.

Collegium Rheginum, & Montis Regalis.

R*Hegij nostrorũ industria cum in cæteris Societatis nostræ officijs, tum verò in subleuanda egentium inopia, quam annonę caritas grauiorem faciebat, enituit. Ex pijs hominibus amplius centum aurei nummi corrogati hac pecunia identidem panis coemptus, quo vincti, alijque pauperes famem tolerarẽt.*

In Monte Regali haud vulgaris Sodalium B. Virginis pietas extitit. Horum tres religiosæ vitæ institutum amplexi sunt. Discipu-

lorum

lorum studia præmijs publicis & Iosepho comœdia non magis ad scientiæ, quam ad pudicitiæ amorem excitata. Theologiæ moralis explicatio Archiepiscopi rogatu publicè instituta, & ipsius Vicarij Abbatisque præsentia cohonestata. Inueterata multorum odia restincta, & ad pacem, concordiamq; conuersa.

Collegium Drepanitanum, Melitense, & Calata Nicetanum Domicilium.

DRepani complures etiam de primarijs ciuibus veteres inimicitias nostrorum hortatu deposuere. Sodales B. Mariæ multa ediderunt liberalitatis exempla. Vinctos necessariarum rerum inopia oppressos assidua benignitate subleuarunt, vt constaret miseros illos horum beneficio uiuere. Vetus cōsuetudo subleuandi per certos homines verecundas egentium familias, reuocata est. Plerique, vt in omnibus fermè grauioribus rebus nostrorum consilio vtuntur, ad virtutis ac pietatis studiū conformantur. Ex his adolescentes duo diuturnas impudentium feminarum illecebras incredibili virtute repulerunt.

Nouum Melitense Collegium, & si modo satum, tamen vberem fructum tulit. Tres primo hoc anno Sodalitates inchoatæ sunt, Vna equitum

equitum facilè quinquaginta, Altera opificum, tertia discipulorum. Summa est Societatis existimatio apud omnes. Primores equitũ etiam grandi cruce insignes; ipseque Cardinalis ac Magnus Magister nos crebrò adeunt, deque rebus ad suam salutem pertinentibus consilium a nobis & auxilium petunt. Episcopus quoque & Inquisitor, omnesque sacerdotes nos colunt & obseruant: nostramque inopiam pecunia & cæteris rebus iuuant.

In Calatanicetano Domicilio vsitatis pietatis officijs præclarum nostræ Societatis specimen datum est. Complures nostri Sacerdotis hortatu capitalia odia, vetere sque inimicitias posuere. Ipsa autem quinta feria Sacrosanctæ hebdomadæ, quo die mystica Domini cœna solemni ritu recolitur, frequens habita est se flagris verberantium supplicatio vel hominum numero, vel pietatis studio memoriæ omnium his locis maximo. Noui Collegij, quod summe omnes expetunt, ædificatio magnopere vrgetur, & ipsa Dux, eiúsque hæres filia Societati mirum in modum student.

PROVINCIA AQVITANIA.



Verunt in Aquitania Prouincia socij centum quadraginta. In Collegio Tolosano septem & triginta. In Domo Probationis tres & viginti. In Auscitano sexdecim. Vno minus in Rhutenensi. In Agennensi vndeuiginti. In Petracoriensi vnus & viginti. In Sede S. Macharij ad Burdegalam nouem. Amissi quatuor, Admissi duodecim.

Collegium Tolosanum.

VBeres hoc anno fructus tulerunt nostri cum ex cęteris officijs pietatis, tum verò ex administratione Sacramentorum. Repertus est numerus eorum, qui apud nos Eucharistiam perceperunt, ad duodeuiginti millia. Curatum etiam vt in publicis custodijs, & rei diuinæ, & cælestis panis, quo multos iā menses vincti carebant, facultas esset. Nouem ciuibus, qui crebris dæmonum incursionibus vexati non longè a perniciè eſse videbantur, diuinorum sacramentorum ope pax restituta.

In

In his mulier fuit, quæ miserias, quibus premebatur, ne quicquam morte finire tentauit. Nam veneno impunè hausto, se se præcipitauit in puteum. Inde cum extracta esset semiuiua resipuit. Edocta enim a sacerdote nostro, statuit, quoniam sibi mori non liceret, in posterum benè viuere. Vir flagitiosus, ac perditus totos viginti annos sacris mysterijs caruerat eo consilio, vt conscientię vim, atque aculeos retunderet. Ob eandem causam scelera sceleribus de industria cumulabat; sed quo magis conscientiam magnitudine facinorum obruere conabatur, hoc magis eorum conscientia, atq; angore torquebatur. Ita commutata voluntate, cum confiteri de peccatis constituisset, in sacra confessione malorum auxilium, & animi quietem inuenit. Mulier a viro grauiter verberibus accepta, de vicini cuiusdam consilio, eum in vincula conijciendum curauit. At ille per simulationem reconciliatę gratiæ emissus, vxorem cum vniuersa vicini illius familia interficere, & in longinquas regiones profugere statuit. Hæc illi consilia agitanti Sacerdos noster interuenit, qui blandè hominem appellans, ita mansuefecit, vt ille Dei scilicet missu eum venisse diceret, quo conceptum animo facinus excuteret. Itaque cum vxore & vicino optima fide rediJt in gratiam. Vir ampla familia natus cum multos iam annos Caluini sectam coluisset, tandem Dei monitu ad

Catholicam Religionem reuerti constituit. Ergo Cardinalis Vicario se indicat, rem demonstrat, auxilium petit. Protinus ab eo ad nos instituendus mittitur. Vbi res matura visa est, propalam in nostra æde Catholicam fidem profitetur, ingenti gaudio bonorum ad vltimũ ita discedit, vt coniugem, ac liberos religionis causa reciperet ad nos esse missurum. In finitima quoque oppida cõmeantes nostri rem christianam non mediocriter adiuuerunt. Quibus hæc loca obeuntibus quiddam accidit, quod etsi ad nostros non pertinet; tamen quia dignũ memoria visum est, prætermittendum non putaui. Caußada vrbs Cadurcorum est, iam pridem hæretica. In ea Vrbe Diaconus erat Caluinianus vir bona apud suos fama. Is cũ graui morbo premeretur, vxore ad se accersita, exclamare cœpit, nullum vtique esse Deum, cuius numine res humanæ regantur. Illa diu virum ab ea sententia deducere nequicquam conata, Caluinianæ disciplinę Magistrum aduocat. Qui tota de re edoctus, ęgrum de Deo interrogarę instituit. Tum æger. Non ita insanio, inquit, vt Deum esse nesciam. sed quia ille me deseruit, ego vicissim eum desero. Vix hęc elocutus erat, cum repentè tota domus cõcussa est, tantusque omnibus terror iniectus, vt quanta maxima celeritate possent, se se ianua eijcerent. Inde intermisso temporis spatio, vbi ex pauore animos receperunt, reuertũtur

in te-

in tecta; offendunt ægrum illum extinctum, & lingua pariter ac naso carentem. Quærunt ex parua puella, quæ vna fugientibus reliquis, cum patruo remanserat, quid tandem euenerit. Illa irrupisse in cubiculum, ait, monstrum deforme, atque horribile, cuius vi patruus naso prius, linguaque euulsa sit suffocatus. His a puella narratis, ecce tibi denuo tecta concuti, cunctique certatim effugere; vnus ille Caluinianus Minister, vt constantior cæteris videretur, cunctari. sed magno illi cunctatio stetit. Nam occulta quadã vi præcipitatus per gradus & exanimatus est: eiusque cadauer subito ex omnium oculis abreptum documento fuit; Caluinianorum corpora æquè atque animos inferis deberi.

Tolosana Probationis Domus.

DEmigrarunt hoc anno Tyrones ex Collegio in nouam Probationis domum ipso die Natali B. Virginis, quo die Ioiosa Cardinalis, idemque Archiepiscopus aulam Domus re diuina inibi facta, initiauit, & Sacrosanctum Christi corpus Nouitijs impertiuit. Inde lustratis familiariter ædibus, se Tyronũ precibus apud Deum iuuari desiderauit. Aedes omnino amplę sunt, & benè materiatæ, maximeque salubres: ita porrò commodæ, vt ad vsum Tyronum ædificatas esse credas. Consti-

terunt propè tribus millibus aureorum. Adiuuit vtramque rem amicorum liberalitas, maxime verò matronæ nobilis & opulentæ, quæ ad eas res fermè duo aureorum millia cõtulit, & quo donum Deo gratius foret, ignorari voluit, vnde esset profectum. Floret iam Domus nouitijs. Sunt numero vndeuiginti satis bonæ ad virtutem indolis. Atque in magnam spem venimus futurũ Deo bene iuuante, vt floreat in dies magis. Id adeo præsignificasse visa est arbor in horto sita, quæ non sine Dei nutu, inito iam autumno, non secus ac si verna tempestas esset, omnibus mirantibus floruit. Tyronum feruorem, ac studium vno aut altero exemplo notare sat habeo. Vnus igitur ex hoc numero sub ferias Paschatis in turbam lasciuiẽtium iuuenum incidit, qui cum vnum ex eis in oculis omnium scortum attrectãtem vidisset, accedit ad hominem: ex eo, num per ferias Paschatis sit confessus, amicè quærit; hac sibi ratione aditum ad salubrem admonitionem muniens. Ridere ille, cacchinnari eius sodales, nostri Tyronis simplicitatem irridere vniuersi atque illudere. At noster nihil ea re turbatus omissis reliquis, grauiore oratione increpare eundem illũ incipit. Et tu rides, inquit, miser, qui præceps ruis ad æternum fletum? an putas Deum tua flagitia non videre? Hæc & alia eiusmodi eo ardore vultus, tanta grauitate orationis dixit; vt magna cõsequeretur

retur

vetur commutatio voluntatum. Quid multa? ita eos dimisit, vt sanctè promitterent, sese breui delicta expiaturos. Alter Tyro hæreticis natus parentibus sacerdotem nostrum in finitimum oppidum comitatus egregia dedit documenta constantiæ, ac firmitatis suæ. Huius mater cum de filij aduentu cognouisset, & sua sponte, & hæreticorũ vocibus incitata a multis millibus passuum ad eum cum filia vidua celeriter accurrit. Quem de improuiso ambæ adortæ, querimonijs, lacrymis, precibus eius animum oppugnare institerunt. Vbi nihil se proficere intelligunt, subdola eum oratione aggrediuntur; sanctè adiurant, si ipse Societatem nostram deserat, se Catholicam fidem secuturas. Ad vltimum, vt illum ne sic quidem vlla ex parte moueri vident; domum re infecta reuertuntur. Sed a dolo ad vim versa mater incæpto non destitit. Discedens, vt postea cognitum est, quinque equites armatos, quibus comitata venerat, in oppido reliquit. His mandauit, vt filium suum vbicunque nacti essent, abreptum ad se pertraherent. Qui cum frustrà aliquot dies rei benè gerendæ facultatem expectassent, tandem suo more regionem incursionibus infestam habentes inciderunt in Catholicorum equitum turmam. Hi duobus illorum interfectis, vno grauiter vulnerato, reliquis in fugam coniectis, nostrum illum periculo exemerunt. Fuit etiã, qui etiam

ante quam apud nos versaretur, dignum se no stra societate præberet. Adolescens bonæ spei, cum Societatem nostram appetisset, iubetur eius rei potestatem a patre viro pio, & Societatis amicissimo impetrare. Itaque ad eum accedit, & illata nescio cuius rei mentione, sacrarum monumenta litterarum euoluit; caputque de offerendis Deo primigenijs filijs patri legendum offert. Protinus se ad eius pedes cum proiecisset, flens orare cæpit, ne se ad Dei obsequium properantem moretur. Hic pater paterno animo victo, lacrymans lacrymantem filiũ amplectitur, eumque subleuans cõsecrat Deo. Ac ne mater rem impedire conetur, per causam studiorum eum Tolosam ablegat: ille ad nos domestica victoria lætus aduolat, Societatis nostræ fructũ percipere festinans:

Collegium Rhutenense:

NEc Rhuthenensis Collegij labor aut inutilis aut obscurus fuit. Vnus e nostris ad tradendum in æde quadam catechismum proficiscens, forte incidit in duos strictis gladijs se ad certamen prouocantes. E vestigio intercurrit, rogat, vt sibi temperent, gladios condat, cum apud iratos nihil proficeret, proijcit se ad eorum pedes, obsecrat, obtestatur, vt Christo Domino pro ipsis mortuo suas condonent iniurias, atque in eo perstat. Quid verbis

bis opus est? tandem illi ira delinita, ad se redeunt, & conuersis mentibus, conditisque gladijs reconciliantur, nostrum ad Catechismi explicationem euntem rogati sequuntur. Discipulorum numerus septingentorum quinquaginta fuit. atque in dies exiſtit pietate, ac literis auctior. Duplex hoc anno drama datum, alterum tragicum de Iuliano Apostata; de Sancto Eustachio comicum alterum, vtrumq; maxima honestissimorum ciuium frequentia ac plausu. Die B. Magdalenæ sacro, qui dies natalis est huius Collegij, impluuium Gymnasij insolito apparatu exornatum est, omnibus ferè carminum generibus, ingeniorumq; monumentis propositis, ingenti ciuitatis approbatione, atque concursu. Nihilominus pietatis officia, quàm ingeniorum studia viguerũt. Omnes ferè auditores nostri vniuersæ vitæ noxas sacra confessione deleuerunt. magnaque est morum commutatio facta. Eorum qui hoc anno apud nos sacrum conuiuium inierunt numerus repertus est propè sex millium: Sexta parte maior, quàm anno superiore. Tres hæresim in nostro Sacello repudiarunt. Partheniorum Sodalium virtus extitit singularis. Cuidam ex his alius ciuis colaphum infregerat. at ille non modò tantam contumeliam silentio pertulit; sed etiam Christi consilium secutus, alteram illi paratam obtulit genam. Alius Societatem nostram cogitans, vt pa-

 ren-

rentum, ac domesticorum oculos vitaret, in remotissimam se ædium partem abdere consuerat, vbi solus cum Deo sine arbitris versaretur. Huic cubitum eunti extincto iam lumine, oblata in tenebris eximia species uirginis, quę illum timore perterritum, ac sese auertentem, nihilosecius blandè intueretur. Hoc ille viso mirum in modum se in suscepto consilio confirmatum esse dicebat; nec dubitabat, quin illa B. Virginis species fuißet. Porro alius institor non obscurus patiendi studio ductus Deum impensè orarat, vt aliquam sibi patientiæ materiem præberet. Nec defuit quod expetierat. Dum merces in taberna expositas venales habet, repentè ignotus, importunusq; homo eum appellat, certam è uestigio pecuniam, quam debitam sibi diceret, iubet numerare; ni quàm primum id faciat, ædium incendium minatur. Sensit bonus mercator suas a Deo preces auditas; ac ne in optata merce sibi deeßet, contumelias omnes, ac minas æquissimo animo perferebat. Nec inanis patientia fuit. Furiosi hominis clamoribus exciti vicini, ad tabernam accurrunt, contumeliosum hominem male uerbis accipiunt. Quorum ille consensu fractus, & institoris patientia victus, petita ab eo, atque impetrata uenia, melior quàm venerat inde discedit. Creuit Sodalium numerus adeò, vt in ampliorem locum migrari oportuerit. Ex plurimis, qui nostram Societatem appetiuerant,

uerant, vnus est in eam cooptatus. Memora-
bile autem est, quod adolescenti nostræ discipli-
næ alumno accidit, in vtramque partem. Is
primò cum eo consilio litteris studeret, vt sese
Deo consecraret, diuina quadam vi excitatus
condiscipulos omnes industria, atque ingenio
longè anteibat. Sed commutata deinde volun-
tate, destitutus a Deo, ita factus est sui dissimi
lis, vt quem antea omnes propter ingenium
mirabantur, eundem postea propter tarditatẽ
mirarentur. In proxima item oppida, vicosq;
curæ aliquid, & operæ deriuatum est. nec fru-
ctus abfuit. Mulier septimum iam diem dif-
ficultate partus laborabat. Hæc diuini agni ef
figie à nostro accepta, paulo post fœtum inco-
lumem incolumis effudit. Sacerdos noster Ar-
uernorum montes peragrans, oppida nonnulla
penè deserta metu luporum offendit. Quippe
ex quo auitam religionem oppidani deserue-
runt, eos cateruatim luporum greges inuase-
runt, nec imbellem modò turbam, sed etiam ar
matos absumpserunt. Huic pesti propulsandæ
à nostro supplicationes indictæ, sed frustra;
propterea quòd incolæ errores semel susceptos
mordicus tenent. Atque vt hi Dei vltoris irã,
ita noster sacerdos eiusdem fautoris opem ex-
pertus est. Hæretici prædones qui diu vias in-
sederant, appropinquante nostro sacerdote, cõ-
festim non sine Dei numine discesserunt. ita il
le expedito itinere, quo intenderat, peruenit
inco-

incolumis. Alius sacerdos cum in concilium aliquot Galliæ Principum (sic hęreticorum fautores appellant) venisset, atque apud eos pro Ecclesiæ libertate liberam orationem habuißet, magnum omnino discrimen adijt, quod tamen diuino præsidio vitauit. Horum quippe hominum tantum est odium in Societatem, vt nos vel aperta vi, vel insidijs petere, pulchrũ sibi, & gloriosum putent: palamquè dictitent, Iesuitas, vtique, & Capucinos seditionum architectos morte, aut exilio esse mulctandos. Hi tamen ipsi nostrum illum acerrimum libertatis Ecclesiasticæ propugnatorem, cum opprimere possent, liberum dimiserunt. Mauriacenses, reliquosque incolas montium Aruernorum mirum desiderium tenet Collegij, quod quinque ab hinc annis sibi ademptum dolent. Tutellenses item apud Lemouices tanto studio flagrant noui Collegij, vt profiteantur se fortunas, coniuges, liberos distracturos potius, quam Societatis nostræ officijs carituros.

Collegium Agennense.

Q*Vinque scholis accessit sexta Philosophiæ. Sodalitas Sanctissimę Dei Matris & numero & pietate mirandum in modum augetur. Vel ipsis pueris tantus iniectus est ardor, vt parentes inter se, vt fit, ex iracundia altercantes admonere non dubitent, nec frustra.*

stra. & patres ad mansuetudinem & matres ad patientiam filiorum vocibus informantur. Episcopi beneuolentia, ac liberalitas erga nos eadem est, quæ semper fuit. Itaque apertum est hoc anno nouum templum, omnibus mirantibus tantum ædificium tam difficili tempore, ac tam turbidis Galliæ rebus, ad fastigium esse perductum. Marchio preterea pro uetere sua erga nos liberalitate, Bibliothecam nostram auxit magno librorum manu scriptorum numero. Mulieres nonnullæ, quas nocturnis spectris, horrendoq; strepitu Diaboli territabãt, animo diuinis sacramẽtis ritè munito, eorum incursiones penitus compresserunt. Itum est in finitima oppida duo. In altero, (Villanouã appellant) cum summa esset, annonæ penuria, sacerdos noster egentium inopiam a locupletibus subleuandam curauit. Impiosq; nonnullos imperitorum sacerdotum ritus sustulit. Pueros Christianæ religionis rudimentis instituit, non sine fructu etiam adultorum. Ab his pueris Angelorum habitu Christi cruciatus signa referentibus supplicatio instituta, quæ noua & inusitata specie animos oppidanorum æquè rusticanorumque permouit. Marmandra alterum est oppidũ, quo in oppido aliquot Hæretici ad Catholicam religionem conuersi. In his puella vndeuiginti annos nata, quæ etsi in hæreticorum parentum sinu educata, nunquam tamen adduci potuit, vt ad illorũ con-

ciones

ciones accederet, aut contra præſcriptum Eccleſię Catholicæ carne vteretur. Tandem deſertis parentibus, triumphans gaudio ad Catholicos tranſiit. Impij libri conquiſiti & Magiſtratu inſpectante combuſti. Pro his pij redditi, qui iam a multis magno cum fructu habentur in manibus. Magiſtrorum impietatis exiſtimatio incredibile eſt, quam apud ipſos Hæreticos ſit imminuta. Sacerdos noſter cum viros aliquot nobiles Caluinianos conueniſſet, mentione religionis illata, cum eos premeret, ingenuè confitebantur, in tanta Magiſtrorum ſuorum inconſtantia, diſſidentibuſque inter ſe opinionibus nihil iam eſſe certi, quod teneret. Atque etiam in deprauatos eorum mores, effrenatamque peccandi licentiam acriter inuehebantur, vt facilè appareret, magiſtrorum authoritatem apud eos exoleuiſſe. Diſputatũ eſt item ſæpenumero cum Hæreticorum Miniſtris ſecundo euentu, ſic vt illi argumentis cõuicti, ſuo more, ad maledicta confugerent.

Collegium Auſcitanum.

PRimi Rectoris (nã antea Prorectores Collegium adminiſtrarãt) ea prima cura fuit, vt omnes domeſtici mentes ſuas ad cæleſtes ſatus accipiendos B. P. Ignatij commẽtationibus præpararent. Et pij otij conſtitit fructus, nec diuina in nos prouidentia obſcura fuit. Nam in tan-

in tanta rerum perturbatione, & impunitate gladiorum, tuto nostri vltro citroq; commearunt. Atque item Sacerdos ex Noguareto oppido rediens, equo cui insidebat, e ponte in flumẽ hibernis imbribus auctum prolapso, emersit incolumis, ac nulla læsus ex parte. Cōciones hoc primum anno in nostro templo haberi sunt cœptæ, auditorum frequentia, fructuque non vulgari. Concionator cum in væcordi cantilena carmen ex sacrosancto Missæ sacrificio, irridendorum Sacerdotum gratia, pro intercalari uersu palam vsurpari animaduertisset; pro suggestu in tantum flagitium inuectus, cœlestem iram, ac perniciem ciuitati denũtiauit, nisi Magistratus impiam vulgi licentiam compressisset. Prædictionem comprobauit euẽtus. Haud ita multo post, vrbs capta ab Hæreticis, ac ferro, flammaque prope deleta est. Puella nouem annorum pijs nostrorum sermonibus assueta, cum ad choreas a parẽtibus traheretur, lacrymis & querelis euicit, vt duceretur ad explicationem Catechismi. Ciues duo primarij, qui se ad depugnandum prouocarant sacerdotis nostri intercursu a constituto armorum certamine destiterunt; atque inter se, & cum Deo in gratiam redierunt. Gymnasij frequentia, addito Philosophiæ curriculo, satis est aucta. Discipuli maius quam pro numero, ingeniorum specimen dederunt. Rhetores duodeuiginti, reliquis sub finem anni delapsis, ad sẽptua-

ptuaginta millia versuum proposuerũt. Cum his verò ij qui humanitati dant operam progymnasmatum multitudine, carminumq; varietate certarunt. Et Grammatici magno emblematum, atque Aenigmatum, aliarumque scriptionum numero exposito praeclarè stetêrunt. Ex omni autem numero, qui industria aemulos antecesserunt, non contemnendis praemijs sunt affecti. Quibus multi praemijs excitati, cum ne nocturnum quidẽ tempus sibi ad quietem relinquerent, edici, atque interdici magna proposita poena oportuit, nè quis somni tempus in lucubrando collocaret. Per Natalis Christi ferias Ecloga de Innocẽtibus data; Marchio Vilartius Proconsul Aquitaniae, & si maximis negotijs distentus, eo biduo, quo in hac Vrbe est commoratus, ad nos honoris causa uenit. Itaque nobilitate comitatus cum Gymnasium adißet, variarum linguarum epigrammatis exceptus, ac salutatus est. Extant quippe eius in Societatem merita nec parua, nec obscura. Is cum de inducijs cum Politicis atque Haereticis Principibus ageretur, atque illi conditionibus Iesuitas comprehendi nollent, nisi Haereticorum item Ministri comprehenderentur; Negauit Marchio vllam esse induciarum conditionem, nisi includerentur Iesuitae, exclusis Ministris Haereticis: in eoq; perstitit, atque peruicit maxima cum nominis nostri gloria. Idem cum direpta ab hostibus

bus Vrbe, dimidia pars Collegij vectigalium periisset, nostram inopiam vnà cum ciuibus sustentauit. Non nullos etiam ex primis ciuitatis nobis infensos reconciliauit adeò, vt illi quondam illata nostris incommoda commodis & officijs compensarent. Discipulorũ nostrorum pietas vno atque altero notetur exemplo. Vnus ex his cum nobilium conuiuium iniisset, vbi animaduertit epulas contra Ecclesiæ legẽ apponi, tantum dicendo profecit, vt nonnulli conuiuæ se ex mensa subducerent, atque ipse conuiuator promitteret, nunquam se post hac vsurum, cum non liceret, eiusmodi cibis, neque vt alij domestici vterentur, esse passurum. Alter sanguinem identidem excreans in extrema penè spe salutis Sacerdote nostro authore vouit, se ad ędem B. Mariæ, cui cognomen est a Monteserrato, si ex morbo conualesceret, iturum. Nec spes eum fefellit. votiua peregrinatio præsens auxilium tabi insanabili fuit. Quã cordi Deo sint nostri, magno nuper inditio intellectum est. Cum nostri penè omnes in Suburbano animi causa, vt fit cessationis die versarentur, eodem ipso tempore hostes populabundi ad Vrbem accesserunt; cumque alios ciues haud procul a nostra villa in seruitutem abduxissent, nostros Deo tegente, non uiderũt. Et ciuitas quidem nobis metuens, aduersus prædones illos arma ceperat, quo maiore omnium gaudio, & gratulatione reuertentes in

vrbem excepti sumus.

Collegium Petagoricense.

E X cætu B. Virginis duo in Societatem adscripti sunt, Disputationibus de Religione habitis cum Caluini emissarijs, Caluiniana natio conturbata. Obseruatum est, nefariæ disciplinæ magistros esse in suis rebus planè rudes, minimeque pertinaces, vt iam illa pestis consenescere videatur. Itaque cum vnus e nostris ad huius Sectæ Principem virum, eiusq; familiã (in qua facile octoginta capita erãt) de cultu sacrarum imaginum verba faceret, attente est, ac diligenter auditus; ab eisque magnopere rogatus, vt sacras ipsis imagines impertiret. Catholicis quoque Societatis officia præstita. Quidam cum ex consuetudine, quam cum impudica muliere habuerat, probri aliquid traxisset, dedecus non ferens, mærori se tradidit. mærenti subrufa se obtulit bellua, cuius horrenda specie turbatus animo, furere incepit, statimque ex edito loco sese præcipitauit. Quo casu afflictus, ac penè exanimatus cum iaceret, accersitur ad eum sacerdos e nostris: qui eius turbatam terrore mentem ad tranquillitatem redegit, quam deinde corporis est sanitas consecuta. Idem ita narrauit, se priusquam resipisceret, sæpenumero parentis sui olim mortui vocem audisse increpantis.

Heus

Heus tu quàm non ſapis? Atque item mulier, quam flagitij conſciētia ad voluntariam mortem incitabat, noſtri ſacerdotis opera ad honeſtæ uitę conſilium reuocata eſt. Duo præterea viri veneficijs quibuſdam ab vxorū congreſſu impediti, ſacræ confeſſionis beneficio ſe ſe expediuerunt. Virgo eximia pietatè cum ęgrotaret periculosè, luſtralem a nobis aquã petijt, qua piè, ac religiosè hauſta, ſimul hauſit ſanitatem. Eodem remedio & ipſa iterum, & alij duo febrim depulerunt. Grauida mulier ad pariendum vicina, cum tertium iam diem laboraret, ſacra diuini agni cera ad collum alligata, ſubito partum edidit. Altera item diuini agni ope fœtum triduo ante mortuum incolumis effudit. Vir in primis nobilis turpisſima Caluinianorū vita, Miniſtrorumq; ſordibus offenſus noſtrorum hortatu ad auitã religionem, quam deſeruerat, vt Principi cuidam morem gereret, reuertit. Is commemorare conſuerat, ſe ex quo tempore Caluinianus factus eſſet, in maiora in dies ſcelera, ac dedecora eſſe prolapſum, vt iam niſi pedem referret, nihil præter certū exitium reſtare videretur. Militum Dux Catholicus a Politicis bello captus, & triremis remigio addictus, priuſquam carcere educeretur, magnum periculum adijt, ſed in periculo libertatē inuenit. Namque eum ex pœnæ nuncio triſtem, mœſtumque Diabolus honeſti viri ſpecie conuenit, & ma-

ximis præmys, pollicitationibusque sollicitare instituit, vt a nostra consuetudine, & Catholicorum religione discederet. Cunctantem ad promissa atrocibus territat minis. At ille IESV Domino implorato, subito redintegratis viribus, in importunum illum promissorem impetum facit. Hæc militaris Deo freta fiducia Dæmonem adeò fregit, vt statim victus au fugeret. Ipse autem Dux militum Dei, quem inuocauerat, beneficio, paulo post dimissus e custodia, ad nostram ædem aduolauit; & gratulabundus diuina sacramenta percepit. Nos porrò, cum quantum iuuentutis disciplina, sacris ad populum concionibus, idiotarum hominum institutione, cæterisque pietatis officys valebamus, tantum in tuenda Catholica fide niteremur, magnum Societati nomen, ac ciuitatis amorem conciliauimus. Itaque nobilissimus quisque, & de religione optimè sentiens, ita prædicat, nostris potissimum deberi, quod hæc vrbs non peruenerit in potestatem Hæreticorum: vt minimè mirandum sit tanto eße apud Politicos odio nomen Societatis, quæ tantopere eorum conatibus aduersetur.

PROVINCIA BELGICA.



N Belgica Prouincia fuerunt hoc anno è nostris ad numerum trecētorum triginta trium. Louanij, & Antuerpiæ triceni. In Tornacensi Probationis domo septem & quadraginta; Audomari in Collegio Societatis quatuor & triginta, in Seminario Anglicano tres. Leodij septem & triginta. vno minus Duaci. Traiecti duodeviginti, Brugis, item Valencanis vno plus. Gādaui septem & decem; Corsiati vno minus, Insulis viginti. Montibus Hunnonum sex. In Bruxellensi Sede, ac Missione castrensi septem & quadraginta. Groeningę Frisiæ Metropoli sacerdotes duo, tres in Hollandica, & Zelandica excursione versantur. Superis additi vt speramus omnino sex, in Societatem ad lecti triginta.

Collegium Louaniense.

IN *Beatæ Mariæ Sodalitatibus excolendis nec leuiter, nec inutiliter laboratum est Ex his vna est doctissimorum hominum, lectissi-*

morumque adolescentium, & numero, & pietatis studio præstans. In eam Ioannes Lensciut Belliolanus, & Louaniensis Gymnasij columē, cum in morbum, quo deinde extinctus est, incidißet a ds cribi voluit, & moriens Sodalitati argēteam Christi crucifixi legauit effigiē, expiandisque animi noxis nostros adhibuit; vt quem in vita aduersarium habuetamus, eo in morte amicissimo vteremur.

Altera Sodalitas est militum ad tutelam vrbis comparata, quorum tantus est virtutis ardor, vt æris campani signo de more dato, confestim in hostes ad vrbem accedētes impetum faciant, eosque felici semper ausu repellant; Die Sanctissimæ Eucharistiæ sacro sub signis centuriati cum militariter supplicatum irēt, gratissimum præbuerunt Ciuitati spectaculū; Porrò ex his complures partim Dominicanæ, partim Franciscanæ, partim Carthusianæ militiæ ascripti felicius militant. In quinque vrbis Parœcijs (tot enim numero sunt) pueri, ac puellæ latina, & Belgica Catechesi erudiūtur. Eoque loci adducta res est, vt primariæ matronę, ac virgines per festos dies duabus ante meridianis, totidemque pomendianis horis puellas, & antillas certo in loco legere, & scribere doceant, vt hac illecebra eas ad condiscendum catechismum alliciant, & res belle procedit, iam ad centum viginti discipulas habent. Sacræ etiam Virgines, Vicarij rogatu,

cobor-

cohortationibus, & sacris confessionibus a nostris adiutæ.

Probationis Domus Tornacensis.

LAbor in Tyronibus instituendis, exercendisque aliquot veteranis, positus domi, manauit foras ad vtilitatem salutemque multorum; Tenera ætas catechismo imbuta est, eademque opera, septem ab hæresi liberati. Virgines, quarum pleræque antea cultus muliebris studiosæ in primis erant, Deo se se dicarunt; Ciues hæretici ex Senatus consulto liberos mittere ad catechesim certis diebus iussi, vetabant eos recolere domi, ea quę in Catholicorum schola didicissent, sed contra accidit, pueri domos reuersi, matres primum, deinde etiam patres ad Catechismum audiendum pelliciunt. Mirum existit vulgo in pueris studium christianæ pietatis. Domi temerè iurantes, vt fit, acriter incusant magna parentum voluntate jelegantiorem corporis cultum adeò negligunt, vt iussi à parentibus ornatum æqualibus suis parem adhibere, noxium christianę simplicitati luxum cum lacrymis deprecentur. Puella vndecimum annum agens, morti proxima, cum ancillam, matremque hæreticam frustra rogasset, vt pro se rei diuinæ in-

intereſſent, quo ſibi expeditius eſſet iter in cælum; idem à patre eadem labe infecto flagitare non deſtitit prius, quam ille precibus fatigatus morem gereret filię; mirum dictu, Vbi pater è templo domum regreſſus, ſacro ſe adfuiſſe renunciauit, ſubito exhilarata puella, Patri, ac Deo gratijs actis, exceſſit è vita, & opportuna mors filiæ parentibus ſaluti fuit; confeſtim vterq; ad catholicos ſe aggregauit. B. P. N. Ignatij commentationibus vtiliter aliquot eruditi, quarum beneficio adoleſcens planè perditus ad ſanitatem reuertit, maxima cũ parentum lætitia, ac voluptate. Nobili, & honeſtæ familiæ inopia laboranti, extremis iam ſuis rebus noſtrorum opera ſubuentum eſt; Vir doctus inimicorum iniquitate pauper, dũ profugus vagatur, ne officiũ deſerat, noſtrorum ope vitam, honorem, famam tutatus eſt. Paralyticus per frigida tempeſtate ſub dio iacens, cibo, tecto, cæteriſq; rebus neceſſarijs eſt recreatus, & aduerſus vltimum certamen ſacris myſterijs rite munitus. Mulier minus bonæ famę, tetro correpta morbo grauiter olebat: cum odoris grauitas Parochum absterreret, eius permiſſu, mulieris confeſſionem vnus è noſtris excepit, iamque Euchariſtiam illi, & ſacrum oleum miniſtrare apparabat, tum Parochus noſtri Sacerdotis exemplo, ſe ipſe vicit, & ſuo munere alacriter defunctus eſt. Ceruiſiarij cuiuſdam puer operi intentus; fal

lente

lente vestigio, in labrũ æneum feruentis aquæ delapsus ad vltimum periculum venerat; iamque toto corpore ambusto, insuper hausta casu ipso aqua exurente intestina, ægrè ducebat spiritũ, cum ei vnus e nostris vocatus adfuit, Qui appositis interrogationibus animi noxas ex eo elicere instituit; Ille vel mali magnitudine, vel respirandi difficultate victus, rem in posterum dierum differri volebat. At noster, qui supremum illi diem adesse, & procrastinationem exitio futuram cerneret; sensit Diaboli fraudem, lucrum ex protrastinatione quærentis. Itaque prudenti quadam ratione per interualla hominem interrogare instituit; sic vt neque illi molestus esset, & tamen ex eo, quę vellet, eliceret; ita demum eius animum rite expiauit; subinde Satan primo conatu depulsus miseris modis adolescentis animum oppugnare cœpit, & nunc diuinæ iustitiæ terrore ad desperationem, nunc morbi eleuatione ad longioris vitæ cupiditatem impellere. Id certamen duas tenuit horas. Tandem Sacerdos propulso, Dei benignitate, hoste, ægrum ita pacauit, vt cruciatibus illis æquo, quietoque animo susceptis, Dei gratiam redimeret; nec si vitam repeteret is qui dedisset, mortem recusaret. Proinde IESVM identidem inuocans expirauit. Sacramentorũ vsus (aduersantibus licet Parochis) apud nos mirum in modum est auctus. Nam cum commu-

nican-

nicantium numerus antea quadringentorum esset, hoc anno duplo maior fuit. Mulier quædam, templum nostrum speculandi causa, quid nam rerum inibi gereretur adijt curiositate felici. nam maximo nobilissimarum matronarū exemplo commota, vitam multis cum lacrymis expiauit. Alia cum inducere in animum non posset, vt veterem iniuriam condonaret, Sacerdotem nostrum adijt, auroque oblato postulauit preces nostrorum; Repudiatum est aurum, concessæ preces; quæ meliorem illi à Deo mentem impetrarunt. Sacrarum concionum, sacramentorumque vsus in virginibus extitit maximè. Virgo primę nobilitatis, forma, & opibus florens cœlesti sponso se se consecrauit. Virgo alia vix quinquennis Virginitatem Christo deuouerat, iamq; adulta in proposito perseuerabat; huius animum parentes cum diu, multumque omni ratione à consilio deterrere conati essent, demum perspecta eius constantia conatu destiterunt, seque pio Virginis studio obsequi velle dixerunt. Sed nimia filiæ caritate deuincti diem ex die ducere, nouas subinde moræ causas inferre. Illa igitur cum se diutiùs duci vidisset, opportunum tempus expectauit, quo tempore id, quod vellet à parentibus extorqueret. In domestico conuiuio patrem vino hilariorem aggressa, Quousque Pater filiam enecas? inquit; quid mora opus est? constitutum ac deliberatum habeo non ho-

minis

minis nubere, sed immortali Deo; vicit animū patris libertas filiæ. ita illa ad cœtum Virginum adscripta est. Alia Virgo iam Deo sacra, & si publicis Sacerdotis nostri sermonibus permota, tamen confessionem procrastinabat. Verum (quæ vis est conscientiæ) anxietatem animi dissimulare non poterat. Itaque eam mensæ assidentem ex diuini iudicij iam iam imminentis metu quidam mentis horror inuasit, vt cibum fastidiret, totoque corpore perhorrescens cæteris spectaculo esset; Nec finis erat horroris priusquam statueret confiteri. Id cum sæpius (procrastinatio quippe salutare consilium discutiebat) cum sæpius inquam idem accidisset; tandem, quę Dei est bonitas, sic animo perculsa est, vt subito è mensa in templum se se proriperet, ibi ante sacrosanctam Eucharistiam proiecta, Christum implorare tanta vel animi uel corporis contentione cœpit, vt eius eiulatu excitæ cęteræ accurrerent & vicem eius miseratæ cum illa pariter preces miscerent. Ita illa procrastinationis authore diabolo debellato, aliquando apud sacerdotem consciētiam exonerauit, confessionem animi pax & tranquillitas cōsecuta. Ex hac probationis domo ad meliorem vitam migrauit. Gulielmus Corcamus Anglus nobili quidem genere natus, sed Marthæ sorte contentus, qui triginta ipsos annos cum in Societate piè, sancteque vixisset, coli, herniæ, calculi cru-

ciati-

ciatibus extinctus laboriosam vitam eximiæ patientiæ laude conclusit.

Collegium Audamarense.

AVdomari vberes ex sacris concionibus, & confessionibus fructus capimus. Quaternæ ferè Dominicis, ac festis diebus habitæ sunt in Vrbe conciones, & finitimi pagi sermonibus ad populum adiuti. Mulieres duæ, altera à spectris Dæmonum, altera à dementi præcipitandi se se in flumen consilio liberatæ, complures desperabundi ad spem reuocati. Vidua formâ, & ętate integra Deo pudicitiã vouit; Ægris ac vinctis omni ope subuentũ est. Quidam suspendio damnatus immortale in accusatorem odium conceptum habebat. is tamẽ nostrorum oratione adductus odium deposuit; odioq; in seipsum cõuerso, animi labes sacra confessione, lacrymisque deleuit: ac tandem æquissimo animo collum laqueo inseruit. Sodalitas B. Virginis, & virtute, & numero augetur in dies. Itaque ipse Audomarensis episcopus ei nomen dedit, & sodalium virtus in ægris, ac vinctis iuuandis, pietas in quadraginta horarum supplicatione ad auertendam à Belgio calamitatem extitit, Sodalitatis ornatus supellectili auctus est. Gymnasium & frequentia, & pietate discipulorum maximè viget. Negotium adiuuit Constantinus Magnus

gnus in scenam datus. ex nostris auditoribus ad triginta religiosæ vitæ institutum susceperunt. Seminarium Anglicanum nobilibus, atque optimæ spei adolescentibus delectis, inchoatum Regis Hispani liberalissimi, æque, ac religiosissimi Principis sumptu. Exeunte anno Pater Maximilianus Capella expletis septuaginta annis ex hac ærumnosa vita ad beatam illam euolauit, qui ab ineunte adolescentia in Societatem adlectus, & publicè docendi, regendiue collegij muneribus cũ laude perfunctus, ne extrema quidem ætate à charitatis officijs abstinebat; itaque vt erat domesticis, æquè & externis carus, magnum vtrisque sui desiderium moriens reliquit.

Collegium Duacense.

ET Duaci opera in Societatis officijs bene posita. sodales Parthenij cũ doctrinæ laude, tum pietatis fama cæteris discipulis præstant; Magnaq; est virtutis eorum opinio etiã apud exteros. Vir domi suæ nobilissimus, cũ de ea sodalitate inaudisset, quamuis diuturna tabe confectus, Duacum ex vrbe proxima cum vniuersa familia demigrauit eo consilio, vt in Sodalium numerum adscriptus nostris familiarius vteretur, vbi tantos in pietate progressus fecit, vt ab ijs rebus omnibus, quas cæteri habere solent in delicijs, penitus abhorreret.

Inde

Inde ingrauescente morbo à coniuge, vniuersaque familia veniam petijt, si qua in re vel sanus, vel æger eorum animos offendisset. Ad extremum Dei matrem identidem implorans, in eius gratiam nudum se super nudã humum deponi iussit, ibique terram deosculans, & B. MARIAE ac IESV nomina iterans æquissimo animo expirauit. Alij porrò nostrorum opera ab impendenti animorum interitu vindicati. Iniuriam quidam inimici cædę, quam totum annum meditatus erat, vlcisci studebat; Is à sacerdote nostro admonitus Christo dolorem suum condonauit. Alius flagitijs infamis relicta domo, & coniuge, in castra se se coniecerat. ibi pellicum amoribus implicatus grauem in morbum incidit. Ex quo vbi conualuit, relicta militia domum reuertit; vt autẽ conciliaretur vxori omnino adduci non poterat. Ecce tibi vocem è cælo missam repente audit, Orco damnaberis miser, nisi aliter vitã instituerìs. Qua ille voce perterritus ad vnum e nostris e vestigio accurrit. A quo, & Deo, & vxori conciliatus multa, ac magna signa dedit rectè institutæ vitæ. Mulier inter hæreticos educata, prauisque eorum opinionibus imbuta, cum ab omnibus catholicæ religionis mysterijs, tum verò ab Eucharistia maximè abhorrebat. Itaq; ad suos qui Catholici erãt, reuersa, & in templum nostrum introducta, nihil præter laruas intuebatur. Nam diabolicis

licis præstigijs elusa, quamuis apertis oculis, nec sacram hostiam, nec calicem cum à sacerdote, de more, supra caput extollerentur, uidere poterat. Sed vt à Sacerdote nostro Catholicis præceptis instituta, hæresim euomuit; sanitatem animi, vsumque oculorum recepit; & quo magis diuinum extaret beneficium, eodem anno piè, sancteque admodum est mortua. Altera cum Deo pudicitiam deuouisset, mutata voluntate, cum ipso Diabolo consuetudinem habebat, quæ vt nefandi flagitij grauitatem sera æstimatione perpendit, veneno quod nefarius amator afferebat mortem sibi consciscere decreuit. Sed cum in Sacerdotem nostrum incidisset, & per occasionem rem illi omnem exposuisset, è Satanę manibus, præsentique periculo erepta est. Alia flagitiosa mulier, cum sibi aditum ad salutem interclusum videret, amatorem, quē domi apud se habuerat, tectis exclusum ad sacerdotem nostrum adduxit, à quo vterque salutaribus præceptis instructus honestam vitę instituit rationem. Vir ab litteris, & officio commendatus voluptatum illecebris irretitus tenebatur. Is per æstiuum tēpus cum animi causa vrbe egressus obambularet solus in amœno loco, ac deuio se in herbam abiecit, ibi illum fessum de via arctior quidam somnus complexus est, tum in quiete hanc sibi visus est uocem audire. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Qua illa

voce

voce perculsus ad Dei Matrem, quæ adeſſe vi-debatur, confugere cum vellet, conſpexit eam ſua flagita auerſantem, diſcedere, & cum illa ſomnus abſceſcit. Reuerſus inde domum graui corripitur morbo, qui ei ſalutaris fuit. Per quietem illi denuo B. Mariæ, quam vnicè venerabatur, ſpecies oblata monentis, vt abſter ſis vitæ maculis, rectè, honeſtæque vitæ rationem iniret, Et Virginis admonitionem ægri valetudo eſt conſecuta. Ille autem amantiſſimæ patronæ ſuæ cum paruiſſet, mentis quoque recuperauit ſanitatem. Tres præterea viri ab hæreſi; duæ mulieres à turpi corporis quæſtu auocatæ; In duobus ægris curandis ſacrarum reliquiarum vis, & religio declarata; Fæmina diuturno grauique implicita morbo, ſacerdotem noſtrum euocauit; hæc ſacrorum oſſium thecam, quam ille ſecum attulerat, piè, magnaque cum fiducia diuinæ benignitatis oſculata, ex templo recepit ſanitatem. Altera, quæ per nimiam inediam obſtructis viſceribus, ac voce intercluſa, cibum capere non poterat, pari ratione ſanata.

Collegium Antuerpienſe.

N*Eque Antuerpiæ ceſſatum eſt, complures ad honeſtam vitam reuocati, ex hoc numero tres in matrimonium pellices duxerunt; Tredecim ab hæreſis peſte liberati. Duo-*

decim

decim grauiter inter se dissidentes ad concordiam adducti. Adolescenti ne patrem ob hæresim exulantem sequeretur, persuasum. Fœmina, quæ identitem ab infestissimo diabolo verbis, ac verberibus male accipiebatur, sacramentis ad certamen armata bene pugnauit. Hæretica mulier, quæ vigesimum iam annum incautos animos hæresi imbuebat, nostro sacerdote authore, & agente conceptum ipsa virus euomuit. Puella quædam fratribus quinque hæreticis diuersarum sectarum ministrabat, ac toties mutabat religionem, quoties alicuius eorum gratiam inire cupiebat. hæc tandem Deo fauente edocta veritatem, ad Catholicos transijt, hoc in vera religione constantior, quo leuior in falsa extiterat; Matrona cũ hæreticâ psallendi ratione delectaretur, subitò ac mortifero filiæ casu infaustum carmen abrupit, erroremque nostro sacerdote authore deposuit. Milites quinque per causam stipendij malignè persoluti signa deseruerant. Hi compræhensi suspendio addicti erant. At iudicum sententia mitigata, decretum est vt vnius capite defungerentur, eius quemcunque lictor arriperet. Ecce tibi dum omnes à nostris ad mortis aleam præparantur, è circulo abripitur ad supplicium vnus, qui ex omni numero velut securus periculi minime attendebat ad ea quæ à nostro Sacerdote dicerentur. Quidam cædis factæ spectator elapsis authoribus

comprehensus tanquam sceleris particeps dānatus est capitis. quo ille nuncio exanimatus linquente animo in terram concidit; vbi vero animus cum voce rediit. iustus es Domine, inquit, & rectum iudicium tuum; Parētes enim mei imminente patriæ bello, cum prouiderent fore, vt eorum liberi aut opprimerentur communi malo, aut ab se auellerentur; quorū corporibus non poterant, animis certe prospicere decreuerunt. Itaque cum nos omnes conuocassent salutaribus præceptis armarunt, magnopere obtestantes, ne quando committeremus, vt illa nobis effluerent ex animo. Præcipuum preceptū fuit, vt quotidie prima luce gratias Deo pro nocte proxima feliciter exacta impense ageremus; eiusque imploraremus auxilium ad eum diem ex diuinis præceptis agendum: id si faceremus Deum vitæ custodem ac magistrum, sin negligeremus vltorem ac vindicem nos habituros. Paternam prędictionem comprobauit euentus. ex eo tempore nullus omnino abierat dies, quo die salutari parentū consilio non parerem, vnus ille dies, qui me veteris instituti, paternique precepti immemorem offendit, tanto huic periculo quasi inermē obiecit; vt cædis ab aliis factæ ipse pœnas luerem, qui sceleris testis potius fuissem, quam particeps: Proinde hoc supplicium mihi, non tam ab hominibus, quàm à Deo constitutū placide sub eo; meaque morte si nihil aliud reli-

gionem

gionẽ paternæ ſanciam diſciplinæ. Itum præterea eſt ad vicinas militum ſtationes, ac præſidia. Nec milites ſolũ ad chriſtianæ vitæ normam directi, ſed etiam lixæ, & calones catechiſmo inſtituti. Senatus Antuerpienſis per appoſitam Collegio attribuit ſedem. Itaque Gymnaſium ædificare cœpimus. In ædificium, amicis adiuuãtibus, ad tria aureorum millia inſumpſimus. Ad diſcipulorum multitudinẽ acceſſit nobilium adoleſcentulorum contubernium, cuius adminiſtratione alijs conceſſa, tutela nobis, magna voluntate ciuium, eſt reſeruata. Initiatæ ſunt nouæ exedræ ineunte octobri, & celebritatem auxit drama tanta, tum vulgi, tum procerum approbatione actum, vt palam prædicarent, dignum gymnaſium talibus diſcipulis, dignos diſcipulos tali gymnaſio. Deceſſit è vita Henricus Droueus Anglus vir nobiliſſimus, quem Anglicanus carcer Societati pepererat. Diuino autem conſilio factum videtur, vt litteris, quas ab Vrbe de Societate ineunda expectabat, in ipſo carcere acceptis, eodem tempore & iniuſtis vinculis ſolueretur, & ipſe iuſtiſſimis vinculis Deo ſe obſtringeret, ac Societati. Deuectus Antuerpiã ſummam aureorum millium circiter vndecim ex ſuis bonis redactam Collegijs aſſignauit Anglicanis. Ceterum dum in hac vrbe proficiſcendi ad Tornacenſe tyrocinium in dies opportunum tempus expectat, improuiſo mor

bo extinctus ad cœlestem professorum domum euolauit, Professus antequam tyro.

Collegium Leodiense, & Traiectense.

M*Agnus Leodij non doctrinæ solum, sed etiam pietatis fructus est perceptus è scholis; argumento est, quòd sexdecim nostræ disciplinæ alumni se ad varias religiosorum hominũ familias adiunxerunt. Puella Aquisgranensis quindecim annos nata, cum ad nos confugisset, quamuis repugnãte parente Anabaptista, magno animi sensu baptizata est. Et baptismi vis extitit in spectris, quibus anteà identidem vexabatur, abstergendis. eadem denique à parentibus expresſit, vt sibi ad catholicos cœtus adire, & susceptam religionẽ tueri liceret. Alij præterea, aut ab hæresi adducti sunt, aut nutantes in auita religione cõfirmati. Vincti christianis præceptis imbuti; Damnati ad supplicium placide subeundum erecti. Prædo hæreticus morte multandus hæresim occultabat veritus ne quam familiæ suę labem aspergeret. Sed à nostro Sacerdote conuictus, Errore damnato, Catholico ritu animum expiauit. Ductus ad supplicium veniam à populo, & precum subsidium petijt, multisque datis Catholicæ pietatis documentis forti ani-*

huo veterum scelerum pœnas luit. Mulier filiolum ex adulterio suceptum extinxerat, sceleris euicta gentis moribus agenda erat in crucem. Hanc desperatione torpentem ita Sacerdos noster erexit, vt enixe Deo gratias ageret, qui ex ea in hac vita scelerum pœnas repeteret.

Eadem penè societatis officia Traiecti, quæ Leodij præstita, illa Traiectensium Sociorum propria, Sodales B. Virginis longo se flagris verberantium agmine supplicationem habuerunt. Auctæ sunt nostrorum ædes accessione ædium Sancti Amandi olim Traiectensis Episcopi, in quibus ædibus etiam nunc fanum cũ ara extat, vbi fama est illum rem fecisse diuinam; pergratumque fuit ciuitati sacrum illũ locum Sancti Viri vestigijs nobilitatum, ad sacros homines rediisse. Prætoris & Senatus liberalitate ædes hę coemptæ sunt mille aureis; at domus ipsa ad nostrorum vsum atque habitationem satis ornata.

Brugense & Imprense Collegia.

B*Rugis quoque fructus labori respondit. Sacramenta celebrioribus diebus festis celebrantium numerus ad octingesimum excreuit; quod permagnum est in vrbe cincta belli*

periculis, ac pene ab incolis deserta. Sacra supellex theca argentea, & vario vestitu (quæ octingentis florenis æstimantur) est aucta. Bibliotheca Iacobi Pamelij Audomarensis Episcopi designati libris testamento legatis cumulata: Magistratus, qua est in nos liberalitate, ædes vbi habitamus nobis coemit. Scholæ ingenijs, exercitationibus pietatis æque, ac doctrinę studijs florent. Data populo est magno plausu, dramate vario Athalia. Manauit etiã nostrorum industria ad exteros. Inter dissidentes coniuges complures concordia constituta: Duæ flagitiosæ mulieres ad pudoris studium reuocatæ. Ab hæreticis abductus vnus; multi dubij confirmati. Missi duo Audelburgum (propugnaculum id est aduersus hostes) ad præsidiarios milites iuuandos. ex his plures nostrorum sermonibus adducti pellices sibi in matrimonio stabili collocarunt.

Ipris Matrona diues templum calice argenteo, sacerdotalique vestitu, collegium luculentis prædijs donauit. Sodalium B. Mariæ pietas, ac sedulitas non modo in ægris visendis, egentibusque pecunia iuuandis; sed etiam in idiotis catechismo imbuendis enituit. Quatuor e nostris per diæcesim sparsi rectè operam posuerunt. Mulier quòd ab ineunte pene ætate Diabolo familiariter vsa esset, in custodiam tradita, ad mentis sanitatem rediit. Magus igni cremandus magna pœnitentiæ signa dedit.

dedit. Anus ob morbi grauitatem in Deum contumeliosa, cum nihil verba proficerent, facto pro ea sacro; mitigata est; proinde animo rite procurato, plena spei bonæ excessit e vita. Quidam, qui in hæresis suspicionem venerat, solemni fidei professioni exilium anteferebat, sed nostrorum hortatu professioni fidei priuatam peccatorum confessionem adiunxit. Tres capite damnati, cum nullum reliquissent consolationi locum, nostri sacerdotis hortatu supplicium suis sceleribus debitum æquo animo subierunt. Alius, qui ob manifestum scelus morti addictus, tamen crimen inficiabatur, tandem crimen confessus quieto animo pœnas dedit; Irrepserat in Virginis solitariæ domum improbus adolescens, vt ei pudorem eriperet; At illa plena nostrorum monitis obserato viriliter cubiculo, flagitiosum furem exclusit; eique in posterum cum negotij conficiendi spe, ademit conandi voluntatem.

Collegium Cortacense.

F*Vnestum fuit Cortacense collegium morte Gulielmi Quarrei nobilis, ac magna expectatione adolescentis. Is valetudinis causa ex Louaniensi Seminario huc missus, mortis locũ inuenit, ingenti vel lætitia sua, vel admiratione nostrorum. Haud ita multo ante eodem loco, ac morbo alter adolescentulus ætate par,*

studijs coniunctissimus decesserat, quo cum aliquot ante annis ita compositus fuerat in quodam dramate, vt ille Chrisostomi, ipse Basilij personam ageret. Hic igitur cum diutina tabe confectus egregia dedisset documenta virtutis suæ, à Chrisostomo suo (ita illum alterum appellabat) quem ipse in Societatem adduxerat, in cœlum euocatus, velut ex composito decessit, ipso D. Chrisostomi sacro die, vita eius ad eum diem non sine medicorum admiratione prorogata. Viri nobilis sumptu coempta est domus proxima, & accessio nostris ædibus adiuncta, ea est & nouo gymnasio, & dilatandis habitationis angustijs percommoda. Drama non inelegans datum, magno etiam Senatus plausu, quem non vulgari munere declarauit. Apud nos confitentium ardor tantus est, vt ciliciorum asperitatem, humi cubationes, potationes aquæ, cæteraque eiusmodi in delicijs habeant. Adolescens nocturnis, diurnisque spectris tanquam furijs agitatus expiata ritè conscientia, pacem inuenit. Alter admonitus à nostro sacerdote, vt priusquam in viam se daret sacramētis se ad iter instrueret, non tam spreto, quam dilato salutari consilio, iter suscepit magno suo malo. Non ita multum viæ ab vrbe progressus, in deuium locum diuertit, ibi vestigio fallente crus fregit; casus acerbitatem augebat perfrigida tempestas vulneri inimica, & inops humani omnis

auxilij

auxilij solitudo, Tutela B. Virginis implorata saluti fuit. Vix Dei parentem inuocauerat, cum repente homo militaris, idemque chirurgus adfuit, qui desertum alioqui locum prætervectus, vt illum afflictum vidit, misericordia captus, è quo desilit; & subleuatum humo (Samaritanum alterum diceres) iumentoque impositum in pagum proximum deuehit, in hospitio deponit, fractum crus qua valebat arte lenit, ac fouet, obligatoque vulnere eodẽ die reuehit domum, vt idem paucis horis, & iram Dei vindicis, & Deiparæ patronæ opem experiretur. Villa quædam suburbana Diaboli, aut præstigiatoris cuiuspiam fraude adeò erat infesta, vt identidem saxorum quasi grando eius tecta horrendo fragore perrumperet, ac tota domo saxa volitantia supellectilẽ frangerent, nullusque omnino tutus esset à lapidatione locus. Villæ Dominus malò territus adit curionem, ab eo ad nos reiectus consilium & auxilium petit. Suadent nostri, vt domesticos confessione, villam exorcismis expiandam curet. Haud ægre persuasum: expiationem quies est consecuta. Quidam sacerdoti nostro ritè confessus confessionem sibi expertus est salutarem; Domum regressus, cum ad focum assideret, repentè turbo in caminum incubuit, eodemque tempore è cælo missa uox ad aures accidit, fuge hinc, ne pereas; Paret ille continuò cælesti voci, & procul abscedit. Vix se in tu-

tum

tum receperat, cum camini culmen uento cõuulsum in focum ipsum corruit, vnde nisi ille cessisset, profecto oppressus, sepultusq; iacuisset: tanti fuit per confessionem in gratiam rediisse cum Deo. Præter custodias, & valetudinaria Vrbis, obitæ sunt stationes militum, vectorumque, & baiulorum contubernia, ac salutaribus monitis adiuta. Multi sublatis controuersiis ad concordiam adducti. Familiæ duæ in primis nobiles de luculenta hæreditate infensis animis contẽdebant. inter eos ex æquo; ac bono lis composita est. Cœnobio cuidã virginum in partes distracto per nostros pax reddita, optima Antistita, ex Abbatis, regisque voluntate constituta, suus quoque concionibus fructus constitit. Cum quidam e nostris in aurigas inuectus esset, qui plaustris, carrisque perstrepentes diebus festis Sacra officia perturbarent; proximo die Senatus edicto cautum est, ne quis diebus festis plaustra, aut carros ageret, oneraret, exoneraretue, graui pœna iis, qui secus facerent constituta. Franciscanæ familiæ primores Prouincialibus comitiis non solum nostros ad disputationes inuitatos priuatim perhumaniter exceperunt; sed etiam publice societatem Commissarii voce pro concione ingenti cum approbatione ciuitatis miris laudibus extulerunt. Quibus nos, ne officiis vinceremur, gratiam referre studuimus; tum per discipulos nostros, qui egregia

illius

illius ordinis facta speciosis emblematis expresserunt, tum per domesticos, qui nullum in eis colendis officij genus prætermiserunt. Canonici Harletecani ex proximo oppido, quod minus esset ab hostibus tutum, in hanc vrbem commigrarant. Hi nuper nostrorum opera se cum vrbanis Canonicis coniunxerant, tamen disiuncti locis seorsim diuinas laudes in templo canebant. Sed proximè perfectum est, vt coniunctis animis, ac studijs, in æde B. Virginis non solum conueniant, sed etiam concinant.

Collegium Gandauense, Vallencenense, & Insulense.

Concionibus, alijsq; Societatis nostræ muneribus Gandauensis Ciuitas pietate auctior existit in dies. Iam qui in æde nostra sacramenta celebrioribus festis diebus frequentant, sexcentorum numerum facile excedunt. ex his complures ad sacros religiosorum hominum cœtus, præcipuè vero Capucinorum, & B. Claræ sese aggregarunt. Multę puellę præsertim, ac mulieres præclara dederũt documenta virtutum. Puella domesticorum suorum perfidiam auersata domo excessit, & Christi causa deserens omnes, pariter & ab omnibus deserta in solitudinem se recepit, ibi quadrante panis hordeacei per sex hebdomadas famem

summa omnium admiratione tolerauit, idque ijs locis, quæ lupis infesta esse constabat. At alia quæ insano cuiusdam amore flagrabat, cũ illius desiderium ferre non posset, decreuerat vesani amoris flammam præterfluente amne restinguere. Iamque ad flumen accesserat, vt se præcipitem daret, cum diuina quædam vis furorem eius repressit; inde cum in Sacerdotẽ nostrum incidisset, eius secundum Deum ope, & conceptum animo scelus, & causam sceleris abiecit. Felicior alterius, quæ Christum crucifixum adamauerat, conditio fuit. Virgo eximia pietate cum missæ sacrificio religiosè admodum interesset, sacram hostiam solis instar ingenti lumine collucere, atque ibi Christum cruci affixum languere conspexit. Rei fidem facit non modo ante acta vita Virginis, verùm etiam consecuta. ex eo incredibile est, quàm sæpè illa Christi mortem meditans diuini amoris vi concitata abducat animum à corpore; quamquam demissè ipsa de se, & loquatur, & sentiat. At mulier flagitiosa cum turpis vitæ pertæsa in salutis viam redire inuito diabolo conaretur, præclaras edidit pugnas; Namque ille, qui quatuordecim annos cum illa consuetudinem habuisset, horrẽdis spectris, ac minis eam deterrere nitebatur, ne se desereret. sed vicit omnia Deo freta constantia. Mulier expiatum rite confessione animum sacrosancti Christi corpore armabat, diurnisque, ac no-

ac nocturnis precibus cum hoste pugnabat: Nec prius pugnæ finem fecit, quam ille victus chirographum mulieris sanguine exaratum in frusta discerpsit. Nec minus fortis aduersus amatores virgo fuit, quã hæc mulier aduersus diabolum fuerat. ea cum à pluribus procis sane honestis amaretur, omnium amores, illecebras, dona contempsit, vt illi cum spe potiundi abijcerent petendi voluntatem.

Vallencenensium autem Sociorum labor in ciuitate colenda par, fructus non dispar fuit; Nostrum Gymnasium magna cœnobitarum multitudine celebratur. Ad celebritatem dialogi, & declamationes publicè habitæ vel plurimum valuerunt. Concionum fructus extitit maximus; Nam cum ante nostrum aduentum celeberrimis diebus festis vix quaterni in sacris paræciarum ædibus sacrosanctum conuiuium inirent; satis constat nuper in vna æde, in vno die inisse ad ducentos. Christianę fidei rudimenta maxima puerorum, puellarumque frequentia, & vtilitate traditur, ut magnam in spem veniamus, vbi hæc soboles adulta erit, vrbem olim ambiguæ fidei fidelissimam futuram.

Porrò in Insulensi quoque vrbe egregiè laboratum est. Quatuor & viginti in vincula coniecti impiarum opinionum errores deposuerunt, & expiatis rite animis, cum Deo & eius Ecclesia in gratiam redierunt. In his tres

erant

erant Angli prædones à pueris deprauati, qui posita cum errore ferocia, placide patibuli tormenta pertulere. Homo abdomini natus totum biennium neglecto diuino cultu, se in vinum, epulasque ingurgitabat quotidie; omnisq; sani consilij impatiens, amicorum honesta suadentium dicta non modo animo, sed ne auribus quidem admittebat. hic primo nostrorum congressu victus commutata repente voluntate, religionem quam exuerat, induit; & frugalis, honestæque vitæ genus instituit. Fuit ex alũnis nostræ disciplinæ, qui magnum damnum facere, quam cum heretico consuetudinem habere maluerit, compluribus etiam in summo discrimine nostri auxilium attulerunt. Mulier à consilio precipitandi se in flumen deterrita est. Alia cruce, & agno Dei munita, & ab aquis, & à resti, quam diabolus familiaris amator ei offerebat vindicata. Meretrices tres à turpi quæstu abductæ, quarum vna nupsit, altera se Deo dicauit, tertia cœlebs mansit. sublata etiam concionibus spectacula, quibus populus festis diebus auocabatur à templo.

Montensis Sedes, & Bruxellensis.

M*Ontibus Societas nostra Senatui cara in primis, & accepta est. Declarauit id Se-*

id Senatorum assiduitas in audiendis concionibus nostrorum, cum esset aliorum nobilium Concionatorum copia. Obeunt nostri vrbanas puerorum scholas, ac pauperum cœtus catechismo erudiunt, magna Magistratus voluntate.

Bruxellis ad primariam Vrbis ædem cōcionandi causa vocati sumus; & noua sedes nostrorum instaurauit industriam, fructusq; solito vberiores tulit. Aliquot ab hæresi ad auitam religionem traducti. Anus desperatæ valetudinis deposito mentis errore corporis sanitatem recepit; & eius exemplum apud filiū valuit, vt ad Catholicos rediret. Damnatis capite opera est utiliter data. Ex hoc numero desperabundus ad spem salutis erectus. Nōnulli etiā a cæde reuocati. Inter duos pugnæ locus, tempusque conuenerat, resque magno ciuium concursu celebrabatur, sed nostri Sacerdotis intercursu rixa sedata est. Maior quædam inter Principes viros erat orta discordia, quę magno patriæ bono, per nostros homines est restincta. In Virginum cœnobio paupertatis disciplina, quæ planè prolapsa iam erat, restituta; Catechismus cum à nobis in precario templo maxima hominum frequentia, secundaque concione explicaretur, aduersario vsus est eo quem adiutorem esse oportebat. Dum noster diligentissime a circumfuso populo auditur, curio ipse inuidia incitatus in mediū prouolat,

uolat, magnisquè clamoribus cathedram euertit, cœtum puerorum dispergit, in Societatem nostram inuehitur. Res mali exēpli, vt erat, Senatui visa est; Itaque eius iussu ille pro concione perperam dicta reuocauit. Sed cum minus bona fide is nobiscum redisse in gratiam videretur; in opportunius templum laborem nostrum transtulimus, vbi vberiorem etiam ex puerorum disciplina percipimus industriæ fructum; nec minor consecuta est modestiæ laus, quam industriæ; collaudauit enim ciuitas factum sociorum, qui cedere ne contenderent, quam ne cederent, contendere, maluißent. His igitur rebus adducti, qui vrbi cum potestate præsunt, collegium nostrum vehementer exoptāt, atque ad eam rem annuum vectigal ternorum millium aureorum attribuerunt. In castris quoque aduersus militarem licētiam pugnatum est acriter, vt furtis, rapinis, adulterijs, alijsque flagitijs, ac sceleribus temperaretur; sedatæ rixæ, vaga multorum libido nuptijs constricta; Sacramentorum vsus frequentior inductus, multorum pietas ad diuinum cultum excitata; obseruatum est eos, qui sacris globulis vterentur, rarius in pugna plumbeis glandibus lædi. Itaque tanta fuit multitudo militum talia præsidia quærentium, vt ne in maxima quidem talium rerum copia satisfieri eis potuerit. Miles erat, qui Satanę instinctu, modo in lacunas, modo in ignem se cōijciebat;

is per

is per nostros à vexatore diabolo liberatus, nunc strenuè militat. Alter spectris & occultis verberibus, tanquam à furijs agitabatur, qui animo rite expiato, sensit conscientiæ angores sibi pro furijs fuisse; in ijsdem castris vt pax inter milites constitueretur, bellum impuris mulieribus est indictum, quæ castris exutæ, expulsæque profugerunt. corrogata item ex aleatoribus stipe, egentes milites subleuati sunt. Monasteria, ac vici à flamma, & rapinis vindicata.

Excursio Grœningensis, & Hollandica.

GRœninga est Frisiæ metropolis, hæresi infecta, quæ quod Hispano pareat Regi, vehementer à perduellibus oppugnatur. Huc duo à nostris missi nuper, in difficillima tempora inciderunt; nam paulo post nostrorū aduentum; vrbs à Regis, Deique hostibus obsideri cœpta est. Nostri autem ob eam causam ab improbis ciuibus apud plebem in inuidiam adducti. Itaque cum domi, forisque hostibus cincti essent, non tam agendi, quam patiendi materiam habuerunt. Quippe ciues impij, ac turbulenti certatim nostros maledictis, criminibus, iniurijs onerabant, vsque eo, vt ædes nostras infamibus chartis notarent, vitreas fe-

nestras saxis perfringerent: Solatio fuit in tanta temporum iniquitate æquitas senatus: & vulgi lasciuientis insolentia ferendo, ac dissimulando victa est: Nec in fulcienda religione, & ecclesiastica disciplina nihil nostri profecerunt. Multa senatus salutaria ciuitati, nostris authoribus sanxit, vt hæretici manifesti, qui à Sacramẽtis abhorruissent, sacra, & solemni carerent sepultura; vt Catholici noxiam cognatorum, atque affinium consuetudinem fugerent, vt inducta ab hæreticis post cibum, per speciem gratias Deo agendi ratio perpotandi ad ebrietatem, funditus tolleretur. Curatum est etiam, vt Quadragenarij ieiunij tempore oua venalia non haberentur in foro, vt clausis officinis festi dies agerentur, hæretici libri comburerentur, B. Virginis rosariũ, quod per ludibrium diaboli scuticam appellabant, in pristinum honoris locum rediret. Cum Anabaptistis quoque, qui hic sæpè cœtus nocturnos habent, & clandestinos, negotium nobis fuit: Ex horũ manibus vnus ereptus, multa nobis de noctuis illis lucifugis, tãquam mysteria enunciauit. Locum & tempus conueniendi inter eos hac ratione denunciari. Puerum cum sarcinula mercium circummitti per vrbem, qui clamitans noua cochlearia stãnea, à cõscijs quasi aliquid empturis accersatur, & his domum, horamque conuentui constitutàm indicet. Præsto esse deinde pro foribus custodẽ,

qui

qui tessera data, acceptaque eos intromittat. Turbæ huius proceres, & concionatores sunt infimæ sortis homines, atque idiotæ. disertè tamen & doctè, si Deo placet, concionari existimantur, cum in concionibus euangeliorum scholia, aut interpretationes suo arbitratu dilatent, coarctent, probent, improbent, pseudomartyres suos prędicēt, pręterea nihil. Iidem tamen (quæ vis est veritatis) fatentur veritati affines esse Iesuitas, quippe qui & res humanas contemnant, & libera oratione vitia hominum accusent, atque in cultu corporis elegantiam negligant. cuius rei argumento esse, quod indusiis puris vtantur, non crispantibus & lactucatis vt cæteri. Atqui boni isti Iesuitarum laudatores summopere impedire conati sunt, quominus Societatis collegium institueretur. Sed veritas vicit inuidiam, impiorum hominum conatibus, boni fortiter restiterunt, quorum omnium hæc vna vox est, nunc demum Iesuitarum beneficio, se scire quid tandem sit esse Catholicum. Sacello nostro additus splendor quà sacris imaginibus, quà egregiis ornamentis. Piorū numerus, & pietatis ardor augetur in dies. Puerorum studia in Catechesi perdiscenda vsque eò flagrant, vt nihil supra. Militibus, & valentibus, & ægris opera nauata est diligenter.

Plus in Batauis excolendis, vt laboris ac periculi, ita etiam fructus extitit. Tres sacer-

dotes in Hollandiam, & Zelãdiam insulas Catholicis infestas, mutato vestitu se se insinuarunt. & vrbes, oppida, pagos obeuntes auitæ religionis igniculos penè extinctos excitarũt. Fructus hinc æstimari potest, quòd vnus ad octoginta, plerosque pueros etiam duodenum, aut quaternum denum annorum rite baptizauit: præter alios innumerabiles, in quibus neglectas ab hæreticis baptismi ceremonias suppleuit. Porrò ad sacram confessionem, & communionem plurimi adducti, qui amplius viginti annos abstinuerant. Ratio lutherana generatim dumtaxat peccata confitendi, multis locis sublata est. Catholici quorum plerique nihil præter nomen retinebant, catholicæ religionis præceptis, instituti, & ad spem salutis erecti. Senex erat septuagenarius, qui vt turpiter flagitioseque vixerat, adeò erat praua consuetudine obstrictus, vt quamuis grauiter ægrotaret, nullius salubris consilij patiens esset. Itaque obfirmato animo sacerdotis nostri monentis, vt aliquando ad sanitatem mentis rediret, & Dei, nisi faceret, iram inferorumq; supplicia, intentãtis dicta penitus respuebat: ab eiusque conspectu se totum auertebat. Hic Sacerdos submissis genibus, miseri illius salutem enixe à Deo deprecari cœpit, idemque cæteros, qui aderant, facere iubet. Mira dictu res, Durus atque obfirmatus animus piorum precibus emollitur, ac flectitur; vniuersæque vitę pec-

tæ peccata rite cõfitens multis eluit lacrymis. In Zelandia; vbi dominantur Angli, maiore periculo, haud minore fructu, vnus è nostris versatus est. Vlissingæ, quod est prædonum receptaculum, baptizauit duodecim, Gonzæ triginta, vtrobique sparsit semina pietatis, quæ suo tempore fructum ferant.

PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR.



N Prouincia Germania Superiore Socij fuerunt fermè trecenti. Ingolstadij sexaginta quinque, Monachij quinque & triginta. quinque minus Dilingæ. Augustæ duodetriginta. Ratisponæ sexdecim; totidem Lucernæ. Quatuordecim Halæ; Vno plus Friburgi, Bruntiati vndecim; Landspergæ duode quadraginta. In sede Constantiensi, itemque Oetingensi quini. Imminuta Societas morte veterani vnius, aucta accessione tyronum quatuor & viginti.

Collegium Ingolstadiense.

IN golstadij complures pijs commentationibus per nostros eruditi, laudabile vitæ genus instituerunt. Horum vnus ad Franciscanam disciplinam, tres ad Societatem se applicuerunt. Atque item cœnobita veteranus, tantam inde cælestium rerum dispexit lucem, vt nunc demum se hominem esse dictitet, nullumque agendi nobis gratias finem faciat. Vnus quoque è numero assotorum ijsdem meditationibus ita permotus est, vt mentem vitæque rationem plane converteret. Nam rogatus à Sodalibus (& aderant Martinalia) vt de collecta ad conuiuium, conuiualesq; ludos de more statueret, spatium ad deliberãdum sumpsit; interim ipse ad ædes Saluatoris decem millia passuum ab vrbe, peregrinationem suscipit, eoque per frigida tempestate, vijsque teterrimis peruenit. Inde multa iam nocte domum reuertitur cum iam abijsset dies compotationibus destinatus, ita & se à peccandi consuetudine abduxit, & sodales elusit. Concionum fructum toto anno maior solito confitẽtium apud nos, & communicantium numerus ostendit, qui festis diebus celebrioribus fuit amplius mille quingentorum. & horum plerisque sanitas mentis, vni etiam corporis reddita. Is nefario scelere admißo repente ingenti dentiũ

dolore

dolore laborare cœpit, cum sex deinceps dentibus euulsis, nihil omnino remitteret dolor; nec spes esset lenius fore; nostrum sacerdotem adit, scelus confessione expiat, mirabile dictu: vt causa morbi appareret, cum scelere dolor abstersus est. Ad hæc inter multos grauiter dissidentes pax composita. Matronæ honestissimæ filia (vt rem vno exemplo notemus) vsq; eo abalienauerat animum à matre, vt per triennium eius congressum defugeret; demum eò venerat dementiæ, vt optimæ parenti fustem, & ferrum filia intentaret. At breuis nostri Sacerdotis Sermo ita ferocem animum mitigauit, vt petita suppliciter venia, rediret aliquando cum matre in gratiam. Multi etiã, quos Diabolus suis artibus impedierat expediti. Quidam cum soluendo non esset, vt ignominiam fugeret, perditissimo versuræ genere, Diabolo suam fidem syngrapha obligare decreuerat: alter ærumnosę vitæ tædio adductus mortem sibi consciscere meditabatur; vterque nostrorum opera à dementi consilio abductus est. Mulier per biennium à Satana nocturnis, diurnisque spectris exagitata, tandẽ quietis portum inuenit, cærea Agni cœlestis effigie de ceruice suspẽsa. Impias opiniones, quas partim cum lacte nutricis imbiberant, partim ex impiorum consuetudine hauserant, euomuerunt ad triginta. Ex hoc numero mulier grauiore vrgente morbo hæresim cum depo-

 suis-

suisset, rite expiata decessit, non sine magna spe salutis æternæ. Duo cum pro maleficijs suis ad supplicium ducerentur, ad cruciatus perferendos, nostrorum vocibus sunt cõfirmati. Alterique eorum, qui carruce illigatus capite prono, humumque verrente raptaretur, duo e nostris caput vsque ad patibulum sustentarunt; gratissimo ciuibus humanitatis exemplo. Fuit & nosocomio vtilis opera nostrorũ; nouique lecti ægris curati maximam, tum ægrorum, tum valentium beneuolentiam nobis conciliarunt. Catechismi disciplina bellissime procedit, vtiq; postquã venales ludorum magistri, qui perniciosa æmulatione rem disturbabant, per nostros sunt ad concordiam adducti.

Biburgensis autem Ludi magister, qui nostrorum hortatu rusticam iuuentutem proximo superiore anno erudire instituit, nihil habuit potius, quam ut eorum animos Catholicæ religionis præceptis imbueret. Itaque haud paruum ex rusticis ingenijs laboris sui fructum tulit. Nam quoties eius discipuli cum æqualibus finitimorum oppidorum pueris congressi eos in certamine de rebus ad religionem pertinentibus vincunt, toties cum discipulis magister triumphat; Oppidaniq; erubescunt cum suos liberos tam facile superari à vicinis pueris vident. Vetus est consuetudo, vt ad religiosissimam B. Virginis ædem propter Bibur-

gum

gum ſitam, ex finitimis pagis, viciſque ſupplicantium agmina educantur, ipſo B. Mariæ Annunciatæ ſacro die. Huc igitur cum tot hominum millia confluxiſſent, quot antea nunquam, ſatis apparuit cœleſtis Reginæ Religionem magnopere his locis augeri. Auxit celebritatem Ferdinandus Archidux Auſtriæ, qui cum aſſeclis ibi diem feſtum egit, atque inſpectante populo, apud Sacerdotem noſtrum expiauit animum, & cœleſtibus epulis pauit; Neoſtadij, & Abenſpergæ Bauariæ oppidis maiorem omnium opinione fructum induſtriæ cepimus. Erat his locis grauis, ac vehemẽs opinio, quæ multitudinis animos, menteſque perſuaſerat, noſtros eruditionis fama, & familiaritate principium, ac Dynaſtarum ſublatos deſpicere plebem; tenuioreſq; vix in hominum numero habere. At noſtri pernicioſæ huic opinioni occurrendum rati, ex templo in compita, & frequentia oppidanis loca prodeunt. Ibi ruſticanos, ac pueros affari comiter, munuſculis donare, ſuam operam polliceri. Hæc comitas non modo inſitam penitus opinionem ex illorum animis exemit; ſed etiam oppidanos ad noſtrorum beneuolentiam, conſuetudinemque pellexit. Itaque turmatim in templum ad ſacram concionem, confeſſionemque confluere cœperunt. Et in altero horum oppidorum curio ipſe, qui falſæ opinionis author extiterat, cæteris exemplum obſeruantiæ in noſtros prodidit.

didit. Nam maxima populi frequentia, ad nostri Sacerdotis pedes prouolutus rite confessionem fecit. Inde pro suggestu cum verba faceret ad populum, veniam ab omnibus ita petijt, vt eos etiam atq; etiam rogaret, vt quo authore errassent, eodem duce redirent in viã. Nec multitudini magis, quam magistratibus nostri operam probarunt suam. Proinde discessuris Consules, maxima honestorum hominum frequentia, amplissimis verbis gratias egerunt, sancteq; confirmarunt, se nec optare, nec optaturos vnquam, quibus rectius intimos animi sensus committerent. Conuictorum domus nobilissimorum adolescentium ingenijs, ac studijs auctior solito est, & illustrior, vt nostræ disciplinæ Alumni pietatis, doctrinæque notis facile internoscantur. Id adeò uel in solẽni magistrorum creatione satis intellectum est; nam cum doctrina ceteris longè præstarẽt; ex eorum numero Magistri declarati sunt octo, quod collegio ad existimationem, ac famam per honorificum fuit. Qui ex varijs cœnobijs in conuictu versantur, vt vestis habitu, ita vitæ sanctimonia sunt insignes. Horum institutio in cœnobiorum institutionem redundat. ex quo numero vnus hoc anno ex medio studiorum cursu domum reuocatus alteri cœnobio est prępositus, alijque Prępositi certatim ab alijs expetuntur. Porrò sodales Parthenij, vt pietate erga B. Virginem, ita cæteris lau-

laudibus antecellunt. Magnus apud eos ciliciorum vsus, voluntariorumque verberum, atque aliarum afflictationum corporis. In supplicatione hebdomadæ sanctæ alij nudis pedibus, alij spinis coronati vrbem obierunt. ex his vnus puerum frigore algentem cum offendißet in via, introductum in hypocaustum cibarijs, lauatione, vestibus iuuit. Alter diuturnis precibus magnam à Deo vim ingenij impetrauit. Scholæ incredibili nobilissimorum auditorum frequentia celebrantur. Per instaurationem studiorum auxit celebritatem Eleazarus in theatrũ datus. Bauari Ducis filij (quorum alij auditores nostri sunt, alij fuerunt) vario epigrammatum, emblematũ hieroglyphicorum apparatu excepti. A transfugis Societas non exagitata magis, quam illustrata est. In his Helias Hanstmiller quidã miras, ac planè incredibiles fabulas de nostris commentus, magnum ex his volumen confecerat, quod dum edere in vulgus parat, subita morte præripitur, redditurus vtique Deo impudentium mendaciorum, & desertæ religionis rationem. Ineunte Quadragesima initiatus est in æde nostra Episcopus Tergestinus ceremonia, atque apparatu, his quidem locis nostræ memoriæ maximo. Ciuis nobilis ad exornandum in nostro templo Sacellum omnium Sanctorum centum florenos attribuit. Sacra supellex aliquot capitibus, præcipuisq; ossibus, ex vndecim mil-

 libus

libus virginum locupletata est, insigni Bauari Ducis in Collegium hoc suum indulgentia: Posterior pars ędiū proximo anno ædificari cœpta, ad fastigium est pene perducta. Cubicula continet amplius quadraginta: Iamque eo demigratum est magno domesticorum, vel commodo, vel gaudio; vnus omnino ex hoc nostro ad Beatorum illud domicilium migrauit, is ex adiutorum numero quādiu valuit, nauus semper, atque industrius fuit, quem deinde morbo laborantem eadē industria est secuta: per triennium quippe eoque amplius lenta morbi tabe confectus, & si vix ossibus hæreret, nunquam tamen de suis muneribus quicquam remisit: Itaque votis magno animi sensu repetitis, lætus decessit, multis magnisque religiosæ fortitudinis, ac patientiæ exemplis relictis.

Collegium Dilinganum.

Maiorem solito Gymnasij nostri celebritatem crebra Episcopi præsentia cohonestauit: mirè is nostris & studijs, & rebus fauet. cum ciues nonnulli vetera Academiæ nostræ iura, ac beneficia labefactare conarētur, ea nouo ciuitatis decreto stabilienda curauit.

Eiusdem pecunia libellus de ratione orandi Deum, typis excusus, & parochis, cœnobijs, ciuibus donatus. Discipulorum nostrorum industria in solemnibus philosophicis disputationi-

tionibus extitit, Creati Baccalaurei viginti quatuor, Magistri duodecim, Theologus vnus, magna illustrium virorum frequentia. Cœnobitæ, qui conuictu nostro vtuntur plurimi, & pietatis, & doctrinæ laude præstant. Aliorum quoque excellens studium religionis enituit; Puer pane famem tolerare, quam contra Ecclesiæ precepta carne vesci maluit. Alter suo exemplo, & cohortatione parentes ad abstinendum carne ex præscripto Ecclesiæ induxit. Fuit etiam qui cognato suo persuaderet, vt ad auitam religionem rediret. Quinque ad Societatem se aggregarunt. Nec solum in auditoribus nostris, sed etiam in ciuibus & peregrinis nostrorum elaborauit industria. Ab hæresi expediti prope septuaginta. Multorum, qui ad nostram ædem mysteriorum causa commeant, hæreticorum insectatione est nobilitata constantia; Tubicen vir bonus ac pius ex oppido finitimo ad nostram ędem ventitabat, is à popularibus suis irrisus, ab Senatu in ius vocatur, quod catholicam religionem coleret, cum causam magno, fortique dixisset animo, spatium illi ad deliberandum datur. Interim quatuor nebulones ex eo genere hominum, quos ipsi prædicantes vocant, hominē circumsistunt, ingentibus promissis ad deserandam religionem impellunt. At ille repudiatis omnibus, maluit à patria, quam à vera religione discedere. Alius ex eadem regione opifex

ani-

animum apud nos expiare consuerat. Is sæpe numero ab Hæreticorum Præside in concilium vocatus, cũ varijs interrogationibus obrueretur; mira quadam ratione importunam illorum sedulitatem elusit. simplicem enim se atque idiotam professus, nihil aliud se scire dicebat, nisi arculariam facere. Proinde eos magnopere orabat, vt sinerent se eadem, qua ad eum diem vixisset, simplicitate consenescere, ac mori. Cum sæpius interrogatus semper eadem responderet, constanti hac simplicitate importunos illos interrogatores defatigauit. Porrò vnus ex nostris auditoribus domum reuersus ab Hæreticorum Antistite sistere se eius Ministris iubetur. His de Iesuitarum docendi ratione percontantibus, cum id quod erat, respondisset; mirari homines imperiti cœperũt, quòd nostri vnà cum Rhetorica Theologiam non traderent: Deinde magnopere eum hortãtur, vt sacras litteras lectitaret. breui eum scilicet Theologum futurum. Cæterũ ille cum aduersus illorum conatus constantem se se præberet, exilio multatur non inuitus, quippe qui tutiorem vitam exul acturus esset, quam ciuis. Puella multos iam dies grauiter ægrotans veneficijs se vrgeri credebat. Hæc voto à parentibus facto, simul atque deducta ad templum nostrum accesit, morbus ex eius corpore discessit. Itaque templi cultus à pijs hominibus neglectus non est. Asseruandæque Sacræ Eucha-

charistiæ ciborium egregium florenis prope centum viginti comparatum. Exteris quoque auxilium allatum. Saga mulier à nostro Sacerdote ad capitale suppliciū, ita deducta est, vt christiane mortem oppeteret; Eluangam oppidum finitimum nostri commearunt, ibiq; vtiliter laborarunt; Vnus sica ad cędem inimici succinctus, nostri sacerdotis hortatu, ferrum, cædisque consilium abiecit. Alter qui se diabolo tradere statuerat, à conatu destitit. Mulier B. Mariæ vnice dedita, nobilis matronæ rogatu ad hæreticorum pagum demigrarat, vti eius liberos educaret. Aderat iam dies B. Virgini ab Angelo salutatę sacer, cum sibi per quietem audire vocem visa est, se nominatim vocantis, monentisque, vt surgeret, & curaret infantem. Qua illa voce somno excita surgit, ac iam vigilans fœminam in candida stola conspicit eximia specie, & miro splendore fulgentem, quæ eam increpitans cum dixisset, quid hic agis? ex oculis subduxit se. Interim infans, qui in cunis haud procul aberat, vagiens mirum in modum clamitabat; Nutrix igitur celeriter è lecto desilit, & sacro cereo accenso, ad cunas accurrit. puerum à Strigibus obsessum offendit; quas cum sacro cereo, & signo crucis abegisset, reputare secum animo cœpit illam B. Virginis vocem, quid hic agis? quid nam illa sibi vellet, exquirit; Hæc secum cogitanti in mentem venit, quam diu

inter

inter impios versans sacræ confessionis, & communionis fructu careret. Itaq; impio pagorelicto, ad Catholica reuertit; Beatamque Virginem, cuius præsidium experta erat impensius colere, & sacramenta apud nos frequentare instituit. Concionibus porro sublata est consuetudo, quæ his locis increbuerat, non nisi generatim peccata confitendi, & vera ac germana ratio introducta. His rebus adductus Præpositus Eluacensis ad summam ducentorum florenorum, quam quot annis nobis largitur, hoc anno viginti florenos adiecit.

Collegium Monachiense.

MOnachij à nostris res christiana aduersus Diabolũ præclare gesta est, tũ domi tũ foris. susceptæ enim expeditiones in finitimos pagos secũdissimo euẽtu. Ad uiginti tres hominum millia confessione rite expiata. Ab Hæreticis abducti amplius quadraginta, in quibus fuit, qui pro Catholica fide patrimoniũ haud sane tenue contemneret. Tres Hebræi ad christum traducti, baptismoque lustrati; sacerdotibus nonnullis pellices detractæ, complures etiam ex satanæ insidijs erepti. Puellæ cuidam mœrenti, ac desperabundæ Diabolus presto fuit blandis, subdolisque verbis opem pollicens; cum illa cognita fraude, eius auxilium repudiasset; haud ita multo post currus

gureus ab eodem illo artifice fabricatus adest, eumq; virgo conscendere iubetur, ac pene cogitur. Tum illa signo crucis manu ducto, insidiatorem cum suis insidijs, ac præstigijs repulit. Inde à sacerdote nostro edocta tranquillitatem animi est consecuta. Adolescenti e caupona domum redeunti Dæmon cuiusdam familiaris specie occurrit. hominem ad suspendiū hortatur. Nec difficile fuit ebrium, obæratū, flagitijs obstrictum ad suspendium adigere. Sed cum ille religato de trabe laqueo collū inseruisset ac desilisset è scalis, repente Dei beneficio funis abrumpitur; Quo casu exciti domestici accurrunt, circumstant hominem, curāt. Præsenti exitio Dei benignitate liberatus, iterum vrgeri à Satana cœpit, vt quoniam primus saltus minus bellè successerat, iterum insertis laqueo ceruicibus saltaret ex alto. Adolescens male doctus recusare: instare ille, & minis plagisq; impellere; Ergo infelix adolescens cum miseris modis vexaretur, deniq; sacerdoti nostro aduocato rite confitetur; id remedium malo fuit. Datus à sacerdote Agnus Dei importunum vexatorem facilè prohibuit; Abbas cuiusdam monasterij Monachium profectus ibi apud nos pijs meditationibus operā dedit. Proindè cum animum suum ad instituti normam direxisset, domum reuersus, aliorum quoq; mores corrigere, & disciplinam restituere instituit. Quod vt facilius fieret,

Priori persuasit, vti se nostris eadem ratio η excolendum traderet; Sed nihil tam mirum illi accidit, quam cum missam ab se grati animi causa pecuniam obfirmato animo repudiari à nobis vidit. Quare societatis virtutem egregiam admiratus pecuniam pauperibus diuisit: vsitata praeterea Christianae benignitatis officia in ęgris, vinctis, reliquisq; omni ope iuuandis, magnam Societati conciliarunt beneuolentiam Ciuitatis. Indicio est, quòd & qui minus antea nostris fauebant, & ipsi Magistratus, qui alieno animo erãt, liberos suos nõ modo in disciplinam nobis, sed etiam in conuictum tradiderunt. Adolescentulus xx. circiter annos natus ex nostra disciplina facinus edidit memorabile; Is domum mulieris, a qua perdite amabatur, dolo perductus, & cubiculo cum illa inclusus, cum ad flagitium inuitaretur, proponere ei cœpit numen omnia contuentis Dei, & parata flagitiosis hominibus certissima supplicia inferorum. Cum nihil verbis proficeret, strictum pugionem, quo forte erat succinctus, pectori mulieris admouet, & exclamans, aut exitum dabis, inquit, aut hic morieris. Ita illa metu perterrita confestim fores aperuit. At adolescens ne impunita tãta audacia mulieris foret, eam pugnis, calcibusq; concisam reliquit, intactum virginalis pudicitiæ florem secum auferens, quem Deo statuerat consecrare. Gymnasij frequentiam,

tiam, quæ tanta est vt discipulorum multitudinem exdræ quamuis ample non capiant) nobilitauit drama præclarum de tribus Hebræis pueris à Babilonio Rege in fornacē coniectis, ac diuinitus liberatis. Illud autem verè dici potest Sodalitatem Partheniam florem esse Gymnasij. Sodales quoq; parui æquè ac magni identidem ciliciniş thoracibus, asperis Zonis, grauibus ieiunijs, acerbioribus flagris corpora affiictare consuerunt; per Quadragesimæ dies prælata Christi ad columnam cæsi effigie, saccis induti ad templum processerunt, sèq; in via acerrimè verberarunt. Quo spectaculo commotus hæreticus quidam sciscitatur, quid tandem rei id esset, respondetur id fieri à pijs Catholicis, tum vt admissas noxas sanguine luerent, tum verò vt Christi patientiam in cruciatibus imitarentur, quod ille, vt audiuit, abiecta perfidia ad Catholicos se recepit. Deinde cum ipse vtraq; de causa eundem cruciatum sua sponte subijsset, fructum pietatis suæ maximum cœpit, seq; mirabili quadam cœlesti lætitia perfusum esse prædicauit. Nec minori admirationi ciuitati Sodales fuerunt, cum maximā crucē per vrbem ternis minimū horis nobilissimus quisq; vectaret humeris; in quo genere cum res maximis Sodalitiorum omniū, quæ Monachij sunt, studijs celebraretur, eximiam tamen laudem B. Mariæ Sodalitas tulit, cuius quidem laudis conuictores nostri

ex eadem Sodalitate non modo participes, sed etiã principes extiterunt. Templi pars reliqua, ac Turris hoc anno apertis in immensam altitudinem, iactisq; fundamentis quadrato lapide strui cæpta; Eoq; iam perducta est, vt à fastigio non longè absit. Opus omnino egregium, & Principe Guglielmo dignum, cuius id munus est. Philippus Episcopus Ratisponensis, & Ferdinandus eius filij pietate cum patre quodammodo certant. Hi sacras reliquias ab Vrbe Roma allatas in templo nostro ad id egregie exornato, maxima omnium ordinum frequentia pulcherrimo carminum apparatu, summa cerimonia collocarunt. Cohonestauit celebritatem Dux ipse Bauariæ, & Cremonensis Episcopus Pontificis legatus, qui deinde vna cum Principibus Bauaris, quos dixi apud nos eo die coenarunt. Actæ ab Oratore pro tanti thesauri magnitudine Principibus gratiæ, & Sanctorum martyrum reliquiæ quam diu expositæ fuerunt, certatim magnis à populo sunt honoribus cultæ.

Collegium Augustanum.

AVgustæ Sacrarum Concionum fructus vberrimus fuit. Cum quadraginta horarum supplicationes ad depellendam pestilentiam ab Augustano Episcopo indictæ essent, repertus est ex numero prędicantium, quos

vocant, qui in hunc sanctissimum morem inueheretur. cuius impudentiam noster concionator ita refutauit, vt ipsi hæretici rabulam illum male suæ famæ consuluisse dictitarent.

Mos erat Augustanorum Ciuium, vt liberos suos Germanis magistris hæreticis committerent, magno cum periculo pueritiæ ac iuuentutis. Hunc morē pro concione noster grauissimis verbis improbauit, effecitq; vt tres legerentur præceptores antiquæ Fidei (cum antea vix vnus eiusmodi reperiretur) quibus Catholici paruos filios in disciplinam traderent. Hi teneram ætatem non modo litterarum, sed etiam religionis rudimentis erudiunt, & festis diebus ad nostrum templum sacræ confessionis, concionisq; causa deducunt. Compluribus etiam hæreticis nostræ conciones saluti fuerunt. xxv. quorum nonnulli à pueris impias opiniones hauserant, ad Catholicorum coetum se aggregarunt. Multi B. Mariæ ope ex Diaboli fraudibus erepti, in his vnus fuit cui Dæmon fidem fecerat, eum iam Deo inuisum, at sempiternis inferorum supplicijs esse damnatum. Proinde etiam persuaserat, vt sibi mortem afferret, properaretq; eò, vbi perpetuo esset futurus: Iamq; ille infelix capitali hosti morem gerens cultrum tenebat manu, cum sibi visus est Dei parentis voce à concepto scelere deterreri. Ita incæpto destitit, suæq; saluti consuluit. Par exitus alterius

fuit, cui Satan ad voluntariam mortem incitato, ne qua mora interponeretur, restem, & cultrum detulerat, quo mortis illi optionem daret; at ille B. Mariæ beneficio, præsens periculum pari ratione discussit. Mulier non intacta ab hæresi, desperata à medicis valetudine, B. Virginis opem implorauit, vouens se in posterum eius causa diebus Veneris carnem omnino non gustaturam. Secundum votum, melius habere cœpit, breuiq; conualuit. Verũ cum corporis salute parta, nihil de salute animi laboraret, recidit in morbum. Itaq; cum non longè ab interitu abesset, vouit B. Virgini Angelicam salutationem, precationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum se quotidie recitaturam: ac subito cæleste sibi auxilium adesse intellexit. Ergo cum veteri, tum recenti commota Virginis beneficio sine mora rediit ad Catholicos. Puella vero Catholica à nostris pie instituta, & domi, & foris mira documenta constantiæ dedit. Nam ab antistibus hæreticorum sæpius captata, eorum conatus prudenter elusit, & à domesticis agitata omnes contumelias, indignitatesq; fortiter pertulit, deniq; locum, quam religionem mutare maluit. Mulier hæreticis parentibus nata, ad sacrilegam Caluini cœnam, nullis viri sui nec precibus adduci, nec minis compelli poterat. illustrauit eius constantiam clementia Viri; hic vt faceret cum Catholica vxore
diuor-

diuortium, seq; solutiore animo libidini de-deret, nefarios homines subornarat, qui castissimæ mulieri probrum inferrent. At illa de stupro appellata impuros illos appellatores male verbis accepit; vnum autem cæteris improbiorem deturbauit de gradibus, ac nihil propius factum est, quam vt deturbatum casuq; afflictum extingueret. Nec vir ipse turbarum author tantam audaciam impunè tulit, hortationem vxoris ad mentis sanitatem reuocantis obstinate cum respuisset; paucis horis interiectis (quod eius coniux in quiete futurum præuiderat) præceps ex alto corruit; ac domum relatus est mortuus. At perditus Adolescens cum rite confessus esset, ex eius corpore diabolus aspectabili forma visus est exire; Sacra item cœlestis agni cera terricula menta nocturna, ac spectra à compluribus abegit. Virgines duæ nostris confiteri assuetę Christo sese deuouerunt. Vicarius Episcopi lustrans cœnobia diœcesis vnum è nostris Sacerdotibus circumduxit, qui cœnobitas illos ad perfectæ vitę studium hortationibus inflammaret; & si quando res ferret aures cōfitentibus daret. Id verò cœnobitę in maximi beneficij loco duxerunt; & vel ex eo suam salutem Deo cordi esse, se planè intelligere dictitarunt: Gymnasium nostrum, quod ingruente morbo, quinq; ipsos menses conticuerat, tandem pestilentia depulsa, denuò celebra-

ri cœptum est, & nostro gaudio & gratulatione ciuitatis. S. Demasceni historia, de præcisa hominum improbitate; eius dextera, & B. Mariæ beneficio restituta, præclaro dramate ante oculos ciuium collocata; animos omnium ad Deiparæ Virginis venerationem accēdit; simul auditorum studia persolutis præmijs excitauit, Sodalitas B. Mariæ; quæ sodalibus metu pestilentiæ dilapsis, valde imminuta erat, restitui cœpta est. Sepulchrum Domini per sanctam hebdomadã, liberalitate Ciuium magnificè exornatum. Ad id Sodales B. Virginis diuersis inter seboris, perpetuò supplicarunt; Cremonensis Episcodus, Idemq; Pontificis legatus cum biduum apud nos diuersaretur, lautia à senatu præbita, collegio donauit: Octauianus Fuggerus, vt nobilitate atq; opibus præstat, ita liberalitate erga nostrum Collegiũ vincit omnes. Ineunte anno nobis largitus est florenos trecentos. His adiecit ad ornatũ sacri ciborij coronam margaritis, gemmisq; distinctam, quæ æstimatur florenis minimum septingentis: itemq; ciborij amitulum sericũ, auro, gemmisq; conspicuum. Accesserunt in cumulum scyphi argentei duo, quorum alter inauratus est, ad vsum Sacro epulò accumbentium. Vidua quædam illustris moriens cẽtum coronatos nobis legauit. Fridbergæ (qui finitimus locus est cœlo salubri) duæ vicinæ domus cum suis hortulis coëmptæ, quò se nostri

ex

ex vrbe, vrgente morbo recipiant.

Collegium OEnipontanum.

TEmplum nostrum cum semper toto anno confitentium, & communicantium frequentia fuit insigne; tum verò solemni dedicationis die, itemq; omnium Sanctorum, ac precipue, S. Premmij Episcopi; Quibus diebus Clemens VIII. Pont. Max. ijs qui ritè Sacramentis expiati ad nostram ædem supplicatum irent; omnium peccatorum veniam indulgebat. Catechismi tradendi ratio Magistratibus ita probata est, vt eam reliquis huius diœcesis locis vigere percuperent. Vinctis, & capitali pœna damnatis egregiè opera nauata est, eamq; ob causam nostris a Prætore publicè gratiæ actæ. Quibusdam, vt læsi ab inimicis vltro veniam peterent, persuasum. Coniuges, complures inter se dissidentes ad concordiam reuocati. Nonnulli ex Diaboli manibus erepti. Quo ex genere illud maximè memorabile: Quidam longinquo morbo simul & inopia premebatur. huic Dæmon cum se obtulisset, pecuniam ostentabat, omnia quæ postulasset, ab se fore parata pollicebatur, si Christo deserto, ad se transiret; At ille à nostro Sacerdote admonitus, & confirmatus, Satanæ insidias crucis signo, feruenti prece, sacramentorum vsu propulit. Hæresim depo-

fuerunt ſeptem, totidem fænerationem abiecerunt. Magni Ducis Hetruriæ legatus ad Cæſarem cum Oenipontum diuertiſſet, ad noſtram ædem acceſsit; ibiq; cum pleriſq; è ſuo comitatu ſacramenta rite percepit, ſimul pauperes diſcipulos pecunia iuuit. Gulielmus Dux Bauariæ viro nobili, quem ad noſtrum Archiducem allegabat, in mandatis dedit, vt ad ædes noſtras diuerteret, noſtros omnes ſuis verbis ſalutaret; ſuumq; illis ſtudium egregiamq; voluntatem deferret: Quod ille diligentisſimè eſt executus. Optimi autem parentis optimus Filius Maximilianus Romã proficiſcens nos ex itinere ſalutauit, paremq; erga nos voluntatem præſetulit. Nec Archiducis noſtri nobis ſtudium defuit: Eius liberalitate ſupellex domeſtica cerea, & veſtiaria multo auctior facta; centum item florenis Collegij inopiæ ſubuentum. Templum tabula egregiè picta; & candelabris duobus inauratis affabrefactis à ciuibus donatum. Fuit etiam qui pauperibus diſcipulis conſultum cũ vellet, mille florenis annuũ vectigal, quinigenorum florenorum emeret, ad eos ſuſtentandos, pecuniæ adminiſtratione noſtris relicta.

In Halenſi quoq; Collegio ſatis profectum eſt vel ad vtilitatem incolarum, vel ad exiſtimationem Societatis. Hæreticus lõgisſimo itinere ad nos profectus depoſito errore, veram religionem amplexus eſt. Hernioſus cum B.

Maria inuocata vouisset, se statis temporibus sacramenta rite sumpturum, si pristina valetudine vti liceret; voti compos est factus. Vir nobilis cum graui mœrore perpetuo ageretur omnibus rebus frustra tentatis, ad extremum in sacra confessione mali auxilium inuenit:

Nobilis matrona mille florenos Societati dono misit: quos tamen iustis de causis remittendos putauimus. At illa in proposito constãs eam nobis summam testamento legauit. Discipulorum nostrorum industria cum semper, tum vero in solemni Eucharestiæ supplicatione enituit, quo tempore parietibus magna carminũ varietate completis, magnum ingenij, & eruditionis specimen dederunt.

Collegium Lucernense.

Lucernenses à nobis Concionibus, Catechismo, reliquisq; Societatis officijs, non mediocriter adiuti. Plures ad nos in dies Sacramentorum causa ventitarunt, pia consuetudine octauo quoq; die sacra mysteria obeuntes. Complures ab animorum interitu, aut periculo emerserunt. Duodeuiginti ab Hæreticis ad Catholicos redierunt. Blasphemus à quodam Diabolus sacra cœlestis Agni cera, depulsus est. Persuasum non nemini, vt vitam corrigere mallet, quam voluntaria mor-

te finire. Itum crebro ad ęgrotos, & moribundos, magno eorum emolumento, ac solatio. In quo genere quiddam accidit memoriæ dignum, Aeger morbo oppressus non longe aberat à morte. Is in extrema spe salutis, ab sacris mysterijs auxilium petijt, mirum dictu: Sacramentis ritè perceptis, repente summa omnium admiratione, & gratulatione valetudinem recepit. Dissidentium simultates, quarum exitialis exitus timebatur, nostrorum opera sunt sublatæ. Coniugum discordia, quæ ad diuortium spectabat; plane sedata. Morientium animi in extremo illo discrimine confirmati. Scholæ vero discipulis florent, discipulorumq; studia repetentium animos dialogus festiuus accendit. Academici Partheny, & virtutis, & eruditionis laude cæteros antecedunt. Horum nonnulli catechismum rudibus tradiderunt. Duo ad Franciscanam familiam se aggregarunt, ciuium sodalitas B. Mariæ sacra, pietatis officijs Partheniæ minime cedit. Mira est erga Societatem beneuolentia Ciuitatis. In collegio autem necessarijs rebus iuuando populus cum senatu liberalitate certauit. Sacrum prętereà instrumentum triplici ornatu Sacerdotali est auctum; accessit aræ amiculum miro artificio elaboratum: Itemq; ad Sacrosanctę Eucharistiæ ciborium decorandum coronę duæ pulcherrimæ, quarum altera est margaritis, gemmisq; di-

stincta

ſtincta, piæ cuiuſdam Virginis opus pariter ac donum. Prætor Vrbis multa, ac magna ſua in nos beneficia arę maximæ ornatu cumulauit, quam binis Angelorum ſimulacris, ac tabulis egregiè pictis honeſtauit.

Collegium Friburgenſe.

FRiburgi ſalutem noſtri multis attulerunt. Mulier nocturnis per agitata ſpectris furebat, hæc noſtri Sacerdotis hortatu cum animum confeſsione expiaſſet, penitus conquieuit. Altera quæ veneficijs incitata, haud procul à deſperatione aberat, ad ſpem ſalutis erecta eſt. Duo ab afferendæ ſibi necis cogitatione ad piam viuendi rationem adducti. Pater familias oppreſſus ære alieno, vxore ac liberis relictis, alio profugere cogitabat; hunc noſtri impetrata à creditoribus longiore die, ad ſanitatem mentis reduxerunt. Hęretici xxij. ad Catholicam religionem noſtris authoribus Deo bene iuuante reuerteruut, in quibus Italus fuit, qui per dolum introductus Geneuam, et in hęreſim inductus aliquandiu hæſerat. Ad extremum fuga ſalutem petens Friburgum venit, errorem abiecit, ad pios reuertit. Damnatis item extremo ſupplicio auxilium allatũ; ex quo nnmero vnus cum fidenti animo graderetur ad mortem, ex circumfuſa multitudine euocauit eos, quorum vitę erat inſidiatus, atq;

ab

abijs publicè veniam petijt; inde maximas Deo gratias egit, quòd Friburgi non Bernæ pœnas lueret: hic enim corpus dumtaxat, illic etiam animum morte mulctari. Bernensis Minister Friburgum negotij sui causa cum venisset, deprehensus à ciue, in nostrum Gymnasiũ est introductus, is omnibus rebus exploratis etiam audire, & alloqui nostros voluit. Quorum humanitate simul et comitate captus (eò etiam magis quòd inhumanos, ac feros nos esse audierat) ita discessit, vt de studijs, & scilicet de humanitate Iesuitarum, mira quædam prædicaret. Gymnasij vero celebritatem auxit data Alexius cum plausu. Simul Lausanensis Episcopus oratione, & carminibus exceptus. Vtriusq; Sodalitatis B. Mariæ pietas multis magnisq; indicijs declarata est; Die cœnæ Dominicæ sacro epulum pauperibus sodales dederunt. Multi eorum Romam, aliaq; in loca sanctitatis vestigijs nobilitata per vias asperas, ac niue obsitas, peregrinationes obierũt. Nonnulli digladiantium rixas, alij coniugum dissidia sedarunt: pleriq; ægros atq; inopes pecunia atq; operà iuuerunt. Senatus nobis corpus librorum Sancti Augustini coëmit, & iam quamuis exhausto ærario vrget intermissam Collegij ędificationem. Itaq; in spem venimus totum ędificium hoc ipso anno absolutum iri: nihil enim iam restat præter contignationes, & tabulata.

Collegium Bruntrutanum.

EPiſcopus bina quotannis florenorum millia Collegio aſsignauit. Huius vectigalis partem alteram efficit Prioratus Mieſrachẽſis, quem à Pontif. Maximo impetratum nobis attribuit. Hic fundus ſitus eſt pene in ſuburbano, ab vrbe millia paſſuum quatuor. aditur via plana, & peramœna. præter eximiam ſalubritatem cœli, plurimas affert commoditates namq; agros, campos, riuum, molam circumiectaſq; ſyluas habet, ex eo capiuntur quotannis floreni circiter quadringenti. Hæc Epiſcopi liberalitas noſtrorum animos iam accenſos ad nauandam ciuibus ac peregrinis operã inflammauit. Ergo commiſſam ſuę fidei iuuentutem ſalutaribus præceptis imbuerunt; oppidanos pleroſq; ad crebrum Sacramentorum vſum pellexerunt. Hęreticos quatuor ad cœtum Catholicorum aggregarunt, In his vnus fuit è Bernenſi ditione, qui cum noſtros verba ad populum facientes multum audiſſet, Dei benignitate, diſpicere lucem cœpit, ſed cum ad auitam religionem redire cunctaretur, in grauem incidit morbum: tum vero maiore quadam luce veritatis oblata, proclamare ſe in Catholica religione mori velle; iubere accerſiri Sacerdotem, inſtare his qui aderant, vt properarent. celeriter adfuit vnus è noſtris, qui hominem rite abſolutum Eccleſiæ reddidit, &

Deus

Deus quo cumulatius esset beneficium suum, mentis sanitatem corporis valetudine cumulauit. Complures qui vlciscendæ iniuriæ studio ferebãtur, à consilio cædis abducti sunt. Matrum familias multarum pudori consultum, effectum vt ædes sacra Parochi Sedes iam vetustate pene collapsa, corrogatis nummis, elegantius restitueretur. Cum Sacerdos noster de Rosarij B. Mariæ vtilitatibus, deq; rectè confitendi ratione, pro concione dixisset, magna vis rosariorũ, ac libellorum de recta cõfitendi ratione est Populo distributa. ita factum, vt pleriq; & B. Virginis coronam precationibus percurrant, & cum est vsus, rite confiteri sciant. Commearunt nostri ad finitimos pagos, & oppida, incolasq; sacris concionibus maximè adiuuerunt. Grata res fuit, ac iucunda summis æque, & infimis, argumento est, quod in oppido quodam senatus sacerdotem à concione, lauto conuiuio excepit in curia, eiq; maximas gratias egit, rogans, vt quod tam vtiliter fecisset, id in posterum sæpius faceret. Isdem locis confitentium (qui concionum præcipuus fructus est) maximus numerus auditus. Multorum quoq; dissidia cõposita. Ad Gymnasium item magna facta est hoc anno discipulorum accessio. Nec nobiles desiderantur, ex varijs religiosorum hominum familijs auditores. Nobilium ex numero vnus in Societatem adscriptus est. Senatus

tus

tus Bruntrutanus certum nobis locum in publicâ parœcia ad nostra munera obeŭda cõcessit. is locus non modo percommodus est; sed etiã piè amplèq; exornatus: ædes ad conuictorum habitationem attribuit, atq; accommodauit, quoad nouæ quas molitur sint excitatæ. discipulis diligentioribus non vulgaria dona persoluit. Quoties cum nostris congreditur, toties de processibus discipulorum in litteris, bonisq; moribus percontatur. Dramma S. Eustachij Romani Ducis, qui amissos liberos, coniugemq; diuinitus longo interuallo reperit, magnum Gymnasio nomen conciliauit, & gratiam. In spectatoribus fuit ipse Princeps cum clero, Senatuq; Bruntruano. Subinde legatus Cæsareus nostras scholas sua præsentia cohonestauit, nostrasq; Musas egregijs libris musicis donauit. Sacrorum Antistes Sacerdotis sacrificantis amiculum sericum nostro sacello dono dedit, cui alterum accessit ex veste Damascena. Idem Episcopus Bibliothecam nostram libris bene multis locupletauit. Simul eius soror suppellectilem domesticam lectis, & linteis instruxit; vt in nobis iuuandis cum fratre soror certare videatur.

Collegium Ratisponense.

ET Ratisponæ in Vrbe hæreticis abundante, laboris nostri fructus extitit. Catho-

lici facti duo de quadraginta. in his duo, Lutheranus alter, authoritate, alter Caluinianus eruditione, insignes. Plurimi confessione lustrati, sacro epulo excepti ad duo millia trecentos. Cum duo e nostris solemnia vota facturi stipem per Vrbem de more corrogarent alijs stupentibus ad rei nouitatem, alijs ridentibus, fortè domum quandam ingressi sacerdotem offendunt moribundum, nec minus cum domesticorum impietate, quam cum morte luctantem. Peropportunè igitur Sacerdos noster, remotis arbitris, confessionem morientis excipit, eumq; ad mortem forti animo subeündam confirmat, sub confessionem ille loquendi facultatem amisit, vt appareret non sine Dei consilio, nostrum illi sacerdotem adfuisse. Ecce autem dum noster Catholico instituto luctantem animam certis precationibus iuuat, repente ille praeeunte Sacerdote, easdẽ precationes recitare instituit, & salutationem Angelicam adijcere cum appendicula, qua Dei parentem vt pro nobis oret; orare consueuimus. Aderat Frater eius germanus, qui & si haeresi contactus, tamen Catholicorum caritatem miratus est. Exinde nouum cum hereticus certamen. Pseudoparochus pro concione in ieiunium Catholicorum inuehi non dubitarat. Igitur nostri thesibus propositis ad publicas de ieiunio disputationes asotum illum cum sui similibus prouocarunt. Conturbauit ea res

haere-

hæreticam nationem adeo, vt constituta certamini die, illorum compareret nemo. Norimbergensis quidam Lutheranus satis eruditus, plerisq; hæreticorum Academijs studiorum causa lustratis, nostram adijt: audit magistros, discipulos contemplatur, templum inspicit, probat omnia. Ad extremum cum nobiscum de religione conferens conuictus, cũ duos Lutheri errores execratus esset, exclamauit. ita me Deus amet, vt apud omnes nostratium Academiarum doctores, nihil omnino constans in doctrina comperi præter maledicta in Catholicos. Contra alius cum nostro sacerdote congressus, cum Lutherum inconstantiæ, & vanitatis coargui videret, nihilominus contra veritatem animum obfirmauit; cumque acrius vrgeretur (vt erat Luthero addictus in primis) Ego vero, inquit, numquam à Magistri mei doctrina discedam, etiam si illum in medijs flammis apud inferos cremari conspiciam, dignus tali magistro, pariq; conditione discipulus. Episcopus Ratisponensis vna cum Ferdinando fratre ad nos cum diuertissent, pro illorum meritis, sunt varijs à nobis carminibus excepti; Hi quatuor ossa, & capita sex Sociarum Virginum S. Vrsulæ dicauere templo; has deinde reliquias eorum parens lectissima fæmina Dux Bauariæ magnifice exornauit, in cumulum accesit mulcta quingentorũ florenorum nobis à Gulielmo Duce attributa.

Inde aduersus veneficia nobis pugnãdum fuit. Pistor quidam ad nos confugit rogatum auxilium. Demonstrat se, & vxorem inusitato morbi genere premi; pecora, segetes, conditas fruges occultis pestibus interire: recentes panes modò arescere, modò coire in rudem massam, modò ruptis sua sponte crustis, dissilire. Satis constabat veneficijs ea fieri. Nuper enim alij ciues duo ijsdem planè malis in discrimen adducti solum mutauerant, vt veneficia vitarent; Itaq; Sacerdos noster hominem monet, vt se familiamq; omnem sacramentis expiet, ita primo leuatum est malum, deindè expiata exorcismis domo planè sublatum. Christi sepulchrum apparatu ad speciem preclaro, ad sensum acerbo in æde nostra extructum est. Ad quod pueri aliquot Angelorum ornatu, appositoq; ad Christi mortem deplorandam carmine suauissimè canentes Catholicis miros pietatis sensus, hæreticis admirationem incredibilem attulerunt. Res tanto hominum concursu, celebrata est, quantum nemo in vllo huius vrbis templo meminerat. Discipuli autem, quorum magnus est numerus, magnos vel in litteris vel in pietate processus habent, maximè vero qui sunt e Sodalitate B. Virginis. Magna etiam apud Hereticos magistrorum nostrorum doctrinæ opinio, testimonio est, quod Zuingliani septem suos huc liberos miserunt, eosq; non nisi Iesuitis operam

dare

dare iusserunt. Vetus; & impia his locis erat consuetudo vt vinitores certo die, D. Vrbani Simulacrum tota Vrbe circumferrent; idque si fortè cœlum pluuium esset, irati in lacunam aliquam proijcerent; sin autem sudum ac serenum lætabundi inferrent in cauponam, ibiq; compotãtes sacram effigiem mensæ adhibitam, vino subinde respergerent; atq; hoc copiosæ vindemiæ omen existimarent. Perfecerunt igitur nostri, vt hic tam nefarius mos aliquãdo tolleretur. Hæretica mulier cũ duceretur ad supplicium, ita obfirmato erat animo, vt salubres omnium voces respueret. Petebant nostri à Iudicibus supplicio morãm; illa contra vrgere, vt sine mora ad pœnam raperetur, sibi fixum esse mori Lutheranam dictitans. Rogare eam noster, vt à Deo lucem veritatis paulisper oraret, illa obstinatè negare, se quicquam omnino tale facturam.

Desperata iam eius salus erat, cum repentè singulari Dei benignitate lux ei veritatis oboritur, è vestigio mutata voluntate proclamat mori se velle Catholicam. ita Ecclesiæ rẽcõciliata, et peccatis absoluta mortẽ occubuit, Deiq; beneficio impiæ Vitæ subito pium exitũ inuenit. Infinibus Bauariæ oppida sunt cõplura prætenta Bœmiæ, Syluam appellant; Huc missi Sacerdotes è nostris duo, qui è Siluestri illa gente satis vberes fructus retulerũt Catholicis adiuncti septem ad mille quadrin-

gentos, peccatis expiati, magnam parte m. confessione à pueris repetita. concionibus populus, pueri atq; Idiotæ catechismo eruditi, & ad conciones tanti concursus facti, vt ad oppidum in edito monte situm maximis imbribus, ingens multitudo ex circumiectis vallibus conuolarent. In oppido quodã accidit quiddam mirabile. Noster cum mulierem ex partu periclitari, mirisq; modis cruciari cognouisset; ceream Agni cœlestis effigiem illi mittit, sacrumq; pro ea facit: subito illa mortuum fœtum effundit incolumis. Venefica itẽ mulier Diabolo deuota ad Christum reuocata est, quæ abstersis vitæ maculis, plena bonæ spei, ac fiduciæ decessit e vita. His alijsq; Societatis officijs oppidorum principes domicilia nobis, qualia postulaßemus, detulerunt, si apud eos manere vellemus.

Domus Probationis Landspergensis.

ADsciti in Societatẽ hoc anno xxiiij. in his Sacerdotes Theologi tres, Magistri artium quatuor, vnus præter cæteros insigni quodam modo vocatus. Hic cum sentiret, se à Deo ad Societatem vocari, dissimulabat tamẽ diuinam vocem audire; neq; rem cum vllo cõmunicabat; animumq; ab ea cogitatione auer-

tere

tere summopere conabatur, sed frustra aduersus stimulum calces. Diuinis stimulis concitatus, cum nunquam consistere animo, nullam quietis partem capere poßet; ad extremum manus dedit. Itaq; insalutato atq; inscio patre, Landspergam ad nos contendit. Ceterum Preposito Prouinciali placuit, eum domum redire, & consilium suum aperire patri, cum vt adolescentis constantia extaret, tū verout eius parenti viro optimo, & societatis amicissimo satisfieret. Ille igitur cum suum cōsilium Patri probasset, animumq; aliquando expugnasset matris, facta ab vtroque abeundi potestate, cum paternis literis cōmendatitijs ad nos reuertit. Nouitij præclara in solidis virtutibus comparandis, sui tyrocinij rudimenta posuere. Peregrinationibus ex instituto Societatis eorum paupertas exercita est nō sine virtutis illorum, & diuinæ prouidentiæ argumētis. Alijs euenit, vt quinque dierū spatio vix tantum stipis cogerent, vt ad panem emendum satis esset, quo famem sedarent, quæ quidem tanta erat, vt acerba etiam poma siluestrium arborum dulcia eis redderet, & iucunda. Alij propter pestilentiæ suspicionem oppidis exclusi ad deserta tecta diuertere sunt coacti. Alij alijs ærumnis periculisque perfuncti. Omnes tamen (fuerunt autem numero xxiiij.) Dei benignitate domum incolumes reuerterunt. Neque ipsis tantum vtilis, sed alijs quoque salutaris

lutaris eorum peregrinatio fuit. Nam & in via, & in pagis, & ad cœnobiorũ fores, vbicunque occasio se offerebat, adultos ęque ac pueros catechismum docuerunt; & salutaria eis præcepta tradiderunt. Illud autem gratum fuit, nec inutile spetaculum. Accidit aliquando vt è tribus nostris peregrinis eodem fere tempore vnus ad populum sermonem haberet, alter stipem colligeret, tertius collectam pauperibus dispertiret; mirantibus qui aderant nouum mẽdicandi genus, quod mendicis emendicata diuideret. Ex his quidam cum in militẽ tertio quoque verbo iurantem ac peierantem incidissent, eum comiter docuerunt, quam graue flagitium esset peierare; quàm temere iurare periculosũ. Quibus ille sermonibus adductus, ad proximũ Societatis collegium cum eis diuertit, & sacra confessione facta, cum proposito discessit vitæ melioris. commearunt prẹterea Tyrones infinitimos pagos; itemque ad montem sanctum Vitum, & sanctitate loci, & peregrinorum frequentia celeberrimum; ibique tum idiotis instituendis, tum confessionibus audiendis operam egregiam nauarunt, ac sæpe numero in Monte sancto vsu venit, vt qui nihil omnino de confessione cogitassent, conspectis nostris Sacerdotibus, consilium caperent, confitendi, tanta vel Societatis opinio vel loci illius sanctitas valuit. Hi foris; alij adiuti sunt domi. Tres auulsi ab hæresi, complures dubij in reli-

gione confirmati; coniuges ad diuortium spectantes. inter se reconciliati; ægri præsertim pauperes non solum pijs colloquijs, sed etiam curata ab alijs pecunia subleuati. Dux Bauariæ pro sua erga nostrum ordinem voluntate singulari, non desistit de nobis bene mereri, hoc anno templum nostrum quatuor capitibus Sociarum B. Vrsulæ donauit: eaq; capita velis ex auro argentoque, egregio opere contextis inuoluta misit. Et eius coniux aræ ac Sacerdotis ornatum sericum auro argentoque distinctum, viri sui donis adiecit.

Sedes Constantiensis.

SAcedotes duo, qui proximo superiore annô Cardinalis Austriaci accersitu Constantiæ domicilium Societatis collocârunt, haud inutiliter hoc anno in Ciuitate hæresibus infecta operam posuerunt. Sacris concionibus habendis, excipiendisq; confessionibus plurimũ profectum est. Ineunte Quadragesima Sermones de rectè instituenda confessione ad populũ habiti incredibilem, & ciuium, & aduenarum multitudinem ad confitendũ compulerunt. Quibus cum duo Sacerdotes satisfacere nõ possent, aduocatus est auxilio tertius Lucerna. Satis cõstat hoc anno amplius triâ millia quingentas confessiones auditas. Ad Catholicam religionem reuocati sunt amplius centum.

Ludi

Ludi magistri non modo ipsi apud nos Sacramenta obeunt, sed etiam suos discipulos identidem adducunt. Libri pestilentes innumerabiles combusti. id adeò vel hinc intelligi potest, quòd vnus tantum huiusmodi librorum ad nos detulit, quantum quadringentis florenis comparari non potuisset. Complures qui scelerum conscientia tanquam furijs exagitati nunquam consistere animis poterant; in sacrâ confessione mali remedium; & quietem inuenerunt. Quidam cum infestam nocturnis spectris domum per veneficos frustra expiare conatus esset, ad nos confugit. qui nostrorum suasu familia peccatis expiata, domum pariter nocturnis terroribus expiauit. Huius exemplum duo patres familias in simili casu imitati, eodem remedio idem malum depulere. Sacerdos male sanus Constantiam venerat, vt turbatæ mentis sanitatem quæreret, is totius vitæ confessione absolutâ, mẽtis recipit sanitatem. Permulti ciues adeò à nostris versi erant, vt æquiore animo diabolum ab se; quam Iesuitam conspici posse dictitarent, hi tamen concionibus nostrorum auditis, & vitæ ratione perspecta, odium in beneuolentiam conuerterunt. Incredibile dictu est quam amicè, quamque honorificè nostri iam à ciuibus, & appellentur & habeantur. Quin & ipse Magistratus, quos initio hac ciuitate prohibere conatus erat, nunc omni officiorum gene-

re

re complectitur. Itaq; Protector ciuitatis misit qui suum nobis patrocinium aduersus improbos ciues, potestatemque deferret, & si intelligere se aiebat ità iam nobis ciuitatem studere, vt non tam nos desiderare alterius tutelam, quam ipsi alijs deferre possemus. Idem deinde à Proprætore factum, idem à consule. Quæ fama cum emanasset, Magistratus omnes summopere Societati nostræ cupere ac studere; duę finitimæ Ciuitates Societatis Collegia summa contentione expetiuerunt, Bibliotheca item Canonici cuiusdam doctoris demortui nostris attributa, multisq; subinde Sanctorum Patrum voluminibus locupletata est, sacra etiam supellex calice vno magni pretij, decem sericis sacerdotum amiculis sane elegãtibus aucta. Sacellũ verò ipsũ Antistitis Vicarius exornauit, atq; ipso die Circũcisioni Domini sacro nouus ipse sacerdos primũ inibi sacrũ fecit, ita laboratum domi; nec cessatũ foris.

Morspurgi quę Sedes est Cardinalis, sacerdos vnus è nostris in aula coram ipso Cardinale identidem sacras habuit conciones, quæ quidem non magis iucundæ auditoribus, quã salutares extiterunt. Idem cõcionator quingentas fermè confessiones excepit. Inde ex ea Vrbe Arbonam à Cardinale deductus de religione verba fecit ad populum, miserisque illis in cæca errorum caligine versantibus, magnum veritatis lumen attulit. Sed offecit

eis

eis impotentium Hęreticorum dominatus, & maxima illecebra peccandi licentia. Vnus tamen grandis natu, nec exigua authoritate vir ſe ſe ad Catholicos transtulit. Alter opibus ac nobilitate præſtans ex Satanæ præſtigijs eſt ereptus. Damnatis etiam capite duobus ſubuentum eſt, quorum alter adductus, vt Catholico ritu confeſſus mortem ſubiret, alter vt etiam memorabile daret pœnitentiæ documentum. Is vbi pronuntiata Iudicis ſententia vltimo ſupplicio ſe damnatum eſſe cognouit, e veſtigio corpus humi abiecit; detractiſq; ſibi tibialibus, & calceis ad patibulum nudis pedibus ijt, negans fas eſſe ſeruum nequam & ſontem ad ſupplicium ire calceatum: in morte autem perferenda eiuſmodi exemplum dedit patientiæ, vt circumfuſa multitudo rectà eũ in cœlum peruolaſſe dictitaret. Nec nihil aduerſus Hæreticos profectum eſt. Fortè euenit, vt aliquando noſter ex eodem ſuggeſtu ſermonem haberet ad populum, vnde hęreticus Miniſter Leo nomine ex numero Prædicantium dicere conſuerat. Qui vbi noſtrum eius ſuggeſtum occupaſſe, & audiri ſecunda concione cognouit, exarſit ſcilicet. è veſtigio igitur in templum cum irrupiſſet, prouolare in concionem, furere, debacchari: Quo tempore ſiue caſu, ſiue Dei immortalis conſilio accidit, vt noſter ille quid rei gereretur ignarus, illam Petri Apoſtoli vocem vſurparet. Aduer-

ſarius

ſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Quæ vox vt mira opportunitate iterabatur à Patre grata admurmuratione maximoque concionis riſu excepta, ita Leonem illum fregit, vt hiſcere non auderet. noſtro deindè riſus cauſam ex quibuſdam quærenti reſponſum eſt, nulla oratione melius, quam illis Apoſtoli verbis Leonis prædicantis mores exprimi potuiſſe.

Sedes Oetingenſis.

TRES *Sacerdotes e noſtris Oetingæ haud fruſtra laborarunt, ex his vnus in templo maximo concionatus eſt: duo diuerſis in locis catechiſmum pueris, ac plebeculæ tradiderunt; Fructus autem in frequenti ſacramẽtorum vſu, qui ante noſtrorum aduentum pene nullus erat, conſtitit. confirmationis quidẽ ſacramentum, quod à pleriſq; negligebatur, amplius mille quingenti noſtris authoribus vſurparunt, in quibus vir conſularis fuit, eiuſq; parens fœmina ſexagenaria. Confitentium numerus ex eo intelligi poteſt, quod dominicis, feſtiſque diebus, ſacrorum myſteriorum participes ad octingentorum numerum fiunt. Quod quidem his locis monſtri ſimile eſt, ac plane inauditum. Curatum etiam eſt, vt iumẽtorum mercatus circa templum diuinis officijs obſtrepentium alio loco inſtituere-*

tur

tur. Memorabilis vero fuit quorundam pietas rusticorum, qui Oetingam accolunt, hi sæpe frustulo panis contenti, aut etiam ieiuni ad vesperum in nostra æde perseuerabant, vt catechismo intereßent, ac simul affirmabant, se pre diuini sermonis desiderio non sentire famem; plerique etiam eorum longissimo spatio paruos liberos suos adducebant catechismi rudimentis imbuendos. Tantumq; rusticani homines profecerunt, vt ex ijs, qui didicere sæpe, & hæreticos coarguant, & imperitos erudiant, repentini e rusticis magistri. commearunt sæpe numero nostri ad vicinos pagos, rudesq; homines Christianis præceptis informarunt. Ibi cum rusticus quidam ad nostrum sacerdotem uenisset remedium aliquod quęrens filiolo suo, quem diuturnus morbus grauiter afflictabat, venit ad eius casã sacerdos: diuini Agni effigiẽ puero suspendit è collo, nec tã multo post sacrę carę beneficio sanat. Cõtra alius cũ acceptum à nostro sacerdote Agnũ Dei, fœminæ cuiusdã suasu, tãquam veneficiũ Iesuitarũ, abiecisset, subitò in morbũ incidit. Itaq; malo doctus sacrã cerã conquirit, repertam, ad collum alligat: recuperat valetudinem, ex eo cœleste agnum hoc impensius apud se habuit, quod eius vim in vtranque partem in se ipso expertus erat. Ciuis primarius periculose admodum ægrotans, nihil omnino de salute animi cogitabat. Adit hominem Sacerdos noster,

admo-

admonitum de periculo hortatur ad confitendum. Cum ille rem procrastinaret, cras igitur inquit, reuertar. At æger siue cras redeas, inquit, siue perendie, nunquam confiteri certũ est. atqui, inquit. Pater, cras me vocari, iubebis: vates fuit. Vix nox intercesserat, cũ æger ne scio qua specie per quietẽ obiecta, exterritus, Patrem illum propere accersi iubet; confessione obita post vnum atq; alterum diem excessit è vita. Neottingæ (oppidum id est finitimũ) quidam morti addictus ita à nostro sacerdote institutus est, vt cum duceretur ad supplicium, multis audientibus, Deo gratias ageret, quòd expiatis confessione sceleribus, & intra Catholicos moreretur; totoq; illo itinere, oculis in cœlum semper intentis nunquam à cœlestiũ rerum cõtemplatione animum relaxaret, quoad carnificis fortiter excepit ictum, qui aditum illi aperiret in cœlum. Oetingam vna cũ religionis cultu frugalitas ac temperantia redijt; Ipsi caupones vulgo queruntur post aduentum nostrorum, cauponas frigere. Itaque boni, Dei beneficio nostros sibi missos dicere; cõtra improbi Nostrorum famæ ac saluti tum dictis, tum factis officere conati. Concionatore in ipsum cum puero prima luce ad ædem sacram euntem Sicarij quidam ex insidijs adorti sunt. At ille ex medijs gladijs Deo protegente effugit incolumis. Quin & maleuolorum audacia Magistratus authoritate compres-

sa

sa est, & nostra fama summis bonorum studijs acriter defensa. Rusticus cum in circulo nostrũ nomen ab improbis hominibus certatim carpi, maledictisq; peti sensisset; pileum sibi detractum in mediam turbam coniecit exclamans, si quis est vestrum, qui vnum aliquid ex his quæ iactatis in Iesuitas probare possit meum pileum tollito, ea res illis quasi refutatis silentium imposuit. Est Oetingæ B. Mariæ ædes antiqua religione, miraculorum fama, & peregrinorum concursibus semper celebris. Huc mulier quinquagenaria longo itinere pedes venit, quæ nostro sacerdoti rite confessa duplex votum B. Virgini exoluit, quòd eius ope, & pestilentiam qua contacta erat depulisset, & loquendi facultatem, qua annos quinque caruerat, recuperasset. Alius pane solùm, & aqua victans eodem contulit, qui vouerat se in æde B. Mariæ Oetingentis sacram confessionem obiturum, si filius in fluminis gurgitem delapsus, & mortuo similis extractus vitæ vsuræ donaretur, & voti compos venerat vt promissum solueret. Hæretici porrò tres ad Catholicam fidẽ traducti sunt, in quibus adolescens quidam egregius è Dania Cancellarij regij filius; is cum multas regiones peragrando varijs se erroribus implicuisset, ad extremum longissimè aberrans à vera religione, huc non sine Dei immortalis consilio diuertit. Ibi à Patre nostro edoctus errores

deposuit, lætus oblata diuinitus luce discessit. Complures amplo genere, ac dignitate nobiles ignoti, mendicorumque habitu, plerique nudis pedibus, huc voti soluendi causa venerunt. Ex hoc numero vnus lautam mensam tredecim pauperibus suo sumptu parari, eisq; stipem liberaliter impertiri iussit. His rebus adductus Gulielmus Dux Bauariæ cum nostros inibi egregie laborantes anguste, & minus commodè habitare cognouisset, coëmptis ædibus, hortisq; vicinis, nouam nobis domum, eamq; percommodam ædificare instituit. initio Septembris primus lapis à Nuntio Apostolico in fundamenta iactus, ædificandi initium fuit; idemq; erit optimi Principis tot locis de nostro ordine optime meriti non vulgare monumentum.

PROVINCIA AVSTRIA.



ABVIT hoc anno Prouincia Austria socios fermè trecentos viginti. In Collegio Viennensi sex & quinquaginta. In Olomucensi vnde quadraginta, viginti sex in Pragensi, In Græcensi sexaginta. In Crumlouiensi viginti duo, quatuor, & viginti

in Thuiocensi. In Chomotouiensi tredecim. In Brunensi Probationis Domo vnus & sexaginta. In Vratislauiensi sede quatuor. totidem in Transiluania. Accesserunt ad Societatem octo, & viginti, discesserunt, e vita omnino quatuor.

Collegium Viennese.

A*D quatuor Concionatores, qui festis diebus alius alio loco erudiunt populum, hoc anno Vngarorũ rogatu, quintus accessit, qui Vngarico sermone ad eos verba faceret. Nec laborum fructus aut exiguus, aut obscurus fuit. Ad octoginta Catholicam religionem susceperunt. In his nonnulli amplissimo genere nati; Baronesq; tres opibus, & dignitate insignes, quorum familias vniuersas hæresis occupatas habebat. reliqui ciues & honestæ conditionis homines fuerunt. Vir Senatorij ordinis ex alio oppido cum nostri sacerdotis concioni interfuißet, adeo permotus est, vt summis precibus à concionatore contenderet, vt eam sibi concionem scriptam traderet, quam suis ipse ciuibus recitaret; neque enim fieri poße, si illius modi disputationes audissēt quin relictis Lutheri commentis, Catholicam fidem sequerentur. tantum ponderis ijs quæ audierat, inesse existimabat. Magnus est apud nos confitentium numerus, & frequentia,*

tia. Id vel ex eo intelligi licet, quod per ferias Paschatis quatuor millia trecentę confessiones auditæ sunt. Miserorum etiam inopia corrogatis pecunijs subleuata. Vinctis omniope subuentum est. In quo genere illud magnam approbationem habuit, quod concionator, qui in aula ad Archiduces secunda nobilium voluntate dicere consueuerat, idem confessiones eorum audiuit, idem damnatos ad supplicium deduxit. Nonnullę item mulieres à vitæ turpitudine ad honestatem reuocatę. Paralyticæ mulieri, cum nostri suasu certas precationes Deo vouißet, valetudo est diuinitus restituta, cœlestis vero agni vis tum in incędio restinguendo tum in diaboli fraudibus eludendis enituit. Cum quatuor ædes Collegio nostro vicinæ conflagrarent, iamque afflante vento latę differretur incędium, vt de ædibus nostris actum videretur; agnus Dei in ignem iniectus est; repente ventus remisit, & flamma velut freno iniecto, compressa constitit. Fæmina cui Dæmon humana specie se identidem offerebat, postquam diuinum agnum sibi a sacerdote nostro datum gestare cœpit, omni molestia est liberata. In dissensionibus quoq; tollendis non inutiliter est opera posita. Duo nobilitate, opibus, authoritate principes ciuitatis, capitalibus odijs iam diu inter se dissidebant, cum ingenti offensione ac periculo ciuium, & scilicet suorum. Hi

per sacerdotem nostrum reconciliati apud nos pariter cœnarunt, magno vtriusque familiæ, atque vniuersæ ciuitatis bono. Grauissimæ coniugum controuersiæ quæ in diuortium erupturæ videbantur, per nostros compositæ. Scholæ nobilitate pariter, ac multitudine vel maxime florent, auditores sunt numero penè mille, qui per ferias corporis Christi non vulgare ingeniorum specimen dederunt. Nam cũ solemni supplicatione omnes Ciuitatis Sodalitates, cunctaq; nobilitas cum facibus accensis præter nostras ædes procederent, faciem templi varijs carminibus atq; emblematis exornarunt. Qui apparatus omnium penè oculos in se, animosque conuertit. Pietas quoq; discipulorum suos processus habet. Id adeò vel hinc apparet, quod septem in Societatem nostram, complures alij in alias religiosorum hominum familias adscripti sunt. Fuerunt etiam qui probe Lutheranum ministrum in Vrbe latitantem eluderent; nam cum vnus eorum simulato morbo iaceret, Ad eum Minister ab altero accersitus venit mercedem pactus; Lutherano ritu Sacramenta ei impertire parat; vbi porrecto meri poculo ad illa verba ventum est, bibite ex hoc omnes, is qui morbum simulauerat, è lecto prosiliens exclamat; si bibendum est; agite Sodales pariter bibamus, ita miserum illum cum clamoribus, & cachinnis expellunt. Matthias Archidux Austriæ cũ

ad

ad Regni Vngarici conuentum, cui præfuturus erat, proficisceretur, Sacerdotem nostrum, qui sibi a concionibus erat, secum deduxit, & simul in ipso Vngaricorum principum consilio cum de grauissimis negotijs consultaretur, Collegium nostrum verbis amplissimis commẽdauit. Ernestus item Archidux in Belgas cum Imperio ac potestate iturus ad ædem B. Virginis religione, ac miraculis nobilem rite peregrinationem suscepit. Ibi cum sacra mysteria percepisset, remotis arbitris coram nostro Sacerdote, qui illi à confessionibus erat perpetuum se clientem B. Mariæ deuouit, pollicens se quamdiu vita suppeteret, coronã solemnibus precationibus decursurum quotidiè. Porrò in Belgas proficiscens eundem Sacerdotem sibi comitem adsciuit. Cum totius Austriæ sacrorum Antistites Viennæ publicorum negotiorum caussa conuenissent, à nobis frugali sunt conuiuio excepti. In quo maximè eis probata est nostrorum modestia, temperantia, frugalitas, quam etiam in conuiuio commendarunt & grauitas morum singulari comitate condita. Multi autem eorum vicissim, non vulgaribus donis suam in nos beneuolentiam declararunt. Alia præterea dona ad templi supellectilem, & ornatum accessere, calices argentei duo, & aliquot amicula sacrificantium sacerdotum. Dux Lituaniæ Cardinalis Radiuilij frater ex peregrinatione, quam

vna cum vxore susceperat, in reditu Viennã accessit. Ibi cum eius coniux in grauem morbum incidisset, Sacerdotem nostrum vocari iussit, qui intra quinque dies bis vtriusque confessionem excepit, itemque bis sacrosancto Christi corpore vtrumque pauit. Simul Dominorum exemplo permoti asseclæ idem ipsi quoque deinde fecerunt. Itaq; Ducis coniux conciliato Deo, valetudinem celerius omnium opinione recuperauit. Ergo Dux beneficij memor duodecim egentibus vestimenta præbuit. Inde cum valente iam coniuge peregrini habitu; vti venerat ignotus ad nostram ædem adijt, ac tertio confessione ablutus sacræ mensæ accubuit. ex in vterq; discedens insigne in nostram Societatem studium, ac voluntatem præ se tulit. Porrò cum Turcarum Prætor (Sinam Bassam vulgo appellabant) compluribus Vngariæ oppidis potitus bellum circumferret, ac Viennæ quod nullum esset præsidium, trepidaretur, nostri in tanto Vrbis terrore, ac tumultu vltima auxilia experiri statuerunt. Itaq; nouo his locis more quadraginta horarum supplicationem instituerunt, vt ciues humano auxilio destituti diuinam opem implorarent. Quâ supplicatione indicta, incredibile dictu est, quanti ad ædem nostram supplicandi causâ facti sint vndique concursus, plurimiq; ciues primarij matronæq; nobilissimæ quaternas quinasue horas continuas supplicarunt.

Hoc

Hoc nostrum istitutum adeo in vulgus probatum est, vt omnes deinceps Vrbis ędes sacræ, initio à Cathedrali facto idem factitarint, sed ita, vt vulgo se nostram illam rationem sequi potius, quàm assequi posse faterentur; et operæpretiũ fuit. Assiduas preces Deus audiuit, ex eo tempore, Christianæ copiæ aliquot secundis prælijs factis, Dei beneficio egregias de superbissimo hoste victorias reportarunt. In hoc Collegio vnus è Nostris desideratus est, qui paucis annis magnos in virtute progressus fecerat. Is vbi desperatam à medicis suam salutẽ cognouit, tantam animo concepit lætitiam, vt ingentes Deo pro hoc beneficio gratias ageret; Seq; quod ei contigisset, vt in Societate moreretur, beatum prædicaret. Atq; vt lætior migraret è vita, hoc quoq; ei Deus indulsit, vt die Sancti Martini sacro (quod ipse quia Martinus vocabatur magnopere expetierat) mortem obiret.

Collegium Pragense.

F*Vnestus hic annus Pragensi Collegio fuit morte Rectoris, Alexander Voit is fuit; vir ob modestiam ac prudentiam singularem regni proceribus maximè carus, & acceptus. Obijt Chomotouij diutina tabe confectus insigni cum laude patientiæ. De quo mirum quiddam Regni præfectus, idemq; Chomotouiensis*

Collegij conditor nobis retulit eadem nocte qua ille decessit, per quietem sibi eius speciẽ oblatam, iubentis eum bono animo esse; se quia parem illi gratiam in hac vita referre nõ potuerit, certè in cælo cumulatissimè relaturum. Conciones ad populum tribus linguis habitę Germanica, Boëmica, Italica. Fructus præcipuus extitit ex Germanis. Multi nutãtes in fide confirmati. Complures Lutherani, non nulli etiam Hussitæ ad Catholicam Fidem adducti sunt. Moribundi summa ope adiuti in quo genere quiddam accidit memorabile. Æger à nostro Sacerdote de confessione admonitus rem in posterum diem distulit. Paucis horis intermissis accurrit ad nos vxor ęgroti, rogat Sacerdotem illum, vt domum suam accurrat à viro suo intermortuis vocibus sacerdotem flagitari. Properat eò noster, offendit hominem iam agentem animam, & vix mentis, ac sermonis compotem; Itaq; eum de peccatis quoad potuit percontatus absoluit, sacrum viaticum celeriter afferri iubet: Id dum curatur, delirare æger incipit, ac plerique verebantur, ne sacrosancta Eucharestia nequicquam afferretur. Sed vbi illa in conspectu fuit subito æger ad se redijt, cœlestiq; viatico magnis cum pietatis indicijs sumpto, discessit è vita. Tum pia mors viri coniugi hæreticæ salutem attulit; paucis interiectis diebus, vltro Catholica facta est; ita quod sexdecim annis

ab ea vir dum viueret numquam impetrare potuerat, impetrauit mortuus. Matrona Hussitarum errore capta viro Catholico nupta erat; hæc dum arsenicum domi eius coquitur, veneno afflata in vltimum periculum venit. Accersitus ad eam viri iussu Sacerdos noster, cum omnibus rebus frustra tentatis, obstinatum animum nunquam expugnare potuisset; ad extremum discedens veluti vaticinans dixit; Si Deus illam saluam vellet, fore vt cruciatibus ad cupiditatem salutis accenderet; ita prorsus euenit. Mulier tota nocte acerbissimè veneni ui excruciata, postero die sua sponte sacerdotem acciri iubet; apud eum expiauit animum tanto doloris sensu, vt omnes qui pridie eius pertinaciam viderant summopere mirarentur; vt autem diuini auxilij beneficium esset illustrius, haud ita multo post mortua est. Anus sexagenaria prauis opinionibus imbuta, ad extrēmum errores omnes cum noxis tot annorum apud Sacerdotem nostrum deposuit. Vir summo loco natus iā septuagenarius, qui ab ineunte ætate Hussitarum errores imbiberat, ad Catholicam fidem, sacrorumque mysteriorum vsum adductus, in quatuor pagis suæ ditionis se Catholicam Religionem propagaturum recepit. Alius item Hussita qui triginta amplius annos à Catholicorum communione abstinuisset, secundum quietem grauissimi

uissimi viri specie oblata, perfidiæ acriter est accusatus. Itaque cum animi pendens Pragam venisset ad nostros, quorum nomen ne fama quidem acceperat, de quibus nefando quidem quicquam inaudierat, deducitur. ab his Minister quidam Vitembergensis, vltro nos adijt; rogauitq; vt eum priuatim catholicã religionem doceremus. quod & alij multi fecerunt; Iudæi quoq; duodecim cathechismo à Nostris instituti ad baptismum peruenerunt. Infãs Iudeæ mulieris cum iam iam moriturus videretur, baptismi beneficio non animi solum, sed etiam corporis salutem est consecutus. Omnino multi multarum sectarum homines quibus hæc regia abundat, quã uis genere, gratia, authoritate clari ad Catholicos quotidie redeunt. Quorum multitudo hinc conijci potest, quod vnus è Nostris Sacerdotibus hoc anno ad quinq; & quadraginta homines Ecclesię reconciliauit. Archiepiscopus Pragensis bis colligendi sui causã, se ad nostrum Collegium recepit. quod idem alij principes viri factitarunt, magno vel suo fructu, vel suorum bono. Baronibus aliquot persuasum, ne suæ ditionis homines sub vtraq; specie Christi corpus sumere paterentur. Fuit etiam Baro, qui cum sacerdotem nostrum sacramentorum causã euocasset, ei sacrum facienti, ipse, quam diu apud eum fuit, luce palam ministraret in templo, omnibus qui aderãt admi-

admirantibus tantum virum pueri munus obire, idq; sibi ob studium religionis, gloriosum ducere. Catholicus adolescens è nostro grege per quadragesimam in officina ferraria operam dabat hæretico fabro, qui quotidie suis carnem aut obsonium carnis iure aspersũ apponebat; neq; flecti poterat, vt aliud obsonium daret; Itaq; probus adolescens, & si non erat ignarus, quàm copiosum ac solidum cibum ars illa postularet; tamen totam quadragesimam solo pane traduxit, nec vllis heri, & conseruorum vocibus, aut irrisionibus potuit à proposito dimoueri; ita Deo fauente ad finem vsq; perseuerauit, uiribus quotidiano labore non modo non fractis, sed ne debilitatis quidem; Aedes erat templo nostro proxima S. Eligio Sacra, quam pro Rex Boemiæ ab Hussis vindicatam nostris tradiderat. Eam nos demoliti ædi nostrę accessionem adiunximus. Pragensis Ecclesiæ Præpositus moriens Bibliothecam suam, quæ trecentis taleris æstimatur, nobis legauit, vt ad cætera eius in nos beneficia hic quasi cumulus accederet: Canonicus qui nobis offensior videbatur, præclarum calicem, eumque omnibus rebus instructum testamento reliquit. Alij porrò calices, sacrę vestes, aliaq; nobis ornamenta ac subsidia ab alijs donata. ut huius anni dona summam duũ millium talerorum excedat. Barones, Abbates, Archiepiscopus certatim nostram inopiã

suble-

sublevarunt. Ipseq; Cæsar nostris rei familiaris angustijs per certum hominem exploratis; ad dissoluendum æs alienum tria talerorum millia nobis ex ærario numerari iussit, suáq; in posterum benemerendi voluntatem significauit; Scholas, & frequentia; & nobilitate auditorum auctiores in dies habemus. In studiorum instauratione satis ampla præmia nobilissimi adolescentis sumptu, qui olim nostræ disciplinæ alumnus fuerat, distributa sunt, non sine festiui dialogi apparatu, & Nuntij Apostolici, nobilissimorumque hominum plausu. Adolescentes hoc anno quatuordecim philosophiæ laurea donati, præsente Archiepiscopo Pragensi, Episcopo Tauriensi, Regni Vngarici Cancellario, qui deinde omnes in hortis nostris magna cum beneuolentiæ significatione coenarunt; Viserunt præterea Collegium Maximilianus Princeps Bauariæ, & Cardinalis Madrutius, qui etiam pecuniæ summa non exigua nos donauit. Sacrarium Sodalitatis Beatæ Mariæ ab ipso Sodalitatis præfecto, qui vnus est ex opulentissimis potentissimisq; Regni proceribus, exornatum est; ab eodem argentea Christi Crucifixi effigies curata, taleris circiter ducentis; Contubernium conuictorum lectissimis adolescentibus nobilitatur, in quibus Marchiones aliquot, Comites quatuor, Baronesq; complures. Alumnorum pauperum domus hoc anno triginta

gint a delectis alumnis aucta ad summam centũ capitũ accedit. Pia ac locuples fœmina moriens, huic domui bibliothecã non contemnendã, & sexagenorũ vectigal talerorum legauit.

Collegium Olomucense.

OLomucij idem ferè qui in reliquis huius prouinciæ Collegijs, et labor, et fructus extitit; Paschalibus ferijs cõfessiones exceptæ ad quatuor millia trecẽtas, in his totius vitæ penè quingentæ. Ex varijs hæreticorũ sectis ad Catholicã religionẽ traducti fermè octoginta. cõplures ad defectionẽ spectantes ab incæpto deterriti; plures nutãtes in religione confirmati. Amplius ducẽti quadraginta ab vsurpatione Eucharistię sub vtraq; specie abducti. Mulieres nõ paucæ à vitæ turpitudine auocatæ. Rei capitalis damnati ad perferendũ æquo animo supplicium & ad spẽ ęternæ salutis excitati. Quo ex numero vnus fuit, qui Catholicam religionem à puero repudiatam, magno animo sensu; ac superioris vitę detestatione complexus est. Nec in carcere modo sed etiam ad patibulum egregia signa dedit pietatis suæ; nam cum se ante Christi crucifixi effigiem proiecißet, succlamare cœpit. Deus ac saluator meus Christus innocẽs tam multa, tã grauia pro me perpessus est, quid me homuncionẽ sontem pro illo facere oportet? Quidam impotentis animi

vir

vir cum inimici edes, & prædium incendere conaretur, nostri oratione commotus conatu destitit. Idem cum deinde se ac filium veneno tollere cogitaret, ab insania reuocatus. Ex nostris scholis quę in dies magis auditorum numero augentur, vnus Carthusianorum, plures varia religiosorum hominum instituta susceperant. Reliquorum pietas varijs in casibus, ac rebus enituit. Pauperes alumni à patrefamilias hospitio recepti, dum ibi diuersantur, nocturna spectra, quibus domestici territari solebant suis precibus expulerunt. Sodalitas B. Marię in cœlum assumptæ florentissima est. Ipso Patronæ suę sacro die, Sodales egregium populo spectaculum prębuerunt, Mysticam Iessę arborem duodecim Regum statuis insignem. Inde triginta Sodales publicè in templo Catholicam fidem ritè professi sunt coram Episcopo Olomucensi, qui deinde in sodalium numerum adscribi voluit. In solemni supplicatione Sacrosanctæ Eucharistiæ eorundem sodalium pietas insignis fuit. Quin & Sanctissimum Christi corpus ex omnibus vrbis templis cum accensis facibus deinceps sunt prosecuti magna significatione religionis. Itemq; valetudinaria interuisentes ægris plerique eorum diu noctuq; præsto fuere. Iidem in scholis vt modestiæ, ita doctrinę facilè primas tuentur. Instauratio studiorum pereleganti dialogo, & pręmiorum distributione

tione

stione cohonestata est: cui Episcopus Olomucensis noster Mæcenas interfuit, cum Prætore Morauiæ, ac Ministro Generali Dominicanorum, quos spectatores dato spectaculo, conuiuas habuimus. Porrò Episcopus cum primos oppidi cuiusdam sui ob defectionem carceris squallore domuisset, tandem eos supplices ad nos reiecit, qui nostrorum hortatu, sacramentis rite perceptis placatoq Deo, Episcopū quoque placarunt. Itaq; ad Episcopum reuersi, cum sese ad pedes eius abiecissent, paternè ab eo sunt epulis excepti, ac domum quisq; suam dimissi. Carthusianorum Prior vnius Oppidi & quatuor pagorum suę ditionis patres famílias à superstitione, qua miseri tenebantur, ad veram religionem nostrorum opera traduxit; hi omnes à nobis catechismo instituti, & sacramentis expiati ad suos reuerterunt.

Brunensis Domus.

M*Ixta hæc ex Veteranis, ac Tyronibus Domus vtrorumq; officia, ac munera præstitit. Festis diebus Sermones habiti sunt ad Populum lingua Boemica, Germanica, & Italica, haud exiguo fructu. Innumerabiles ad peccatorum confessionem adducti. xx Catholicis aggregati; complures in religione Catholica confirmati. prope ducenti ad sumendā Eucharestiam sub vna specie impulsi. Fre-*

quens sacramentorum usus aliquando introductus. Mulier quæ iam totum triennium à confessione abstinebat, à B. Maria per quietem admonita est, vt Brunam contenderet. paruit cœlesti voci, magnūq; cœlestis voluptatis fructum tulit. Altera mulier dubitans, an in Sacrosanctæ Eucharestiæ specie panis, etiam sanguis Christi contineretur, ad cōmunionem sub vtraque specie spectabat. Sed cū in quiete sibi visa esset videre hostiam cruore manantem; dubitationem omnem abiecit. Ciuis quidam cum ab alio graue rei familiaris ac famæ detrimentum accepisset, ex ægritudine animi in diuturnum morbum inciderat; nec vlla ratione adduci poterat, vt iniuriam condonaret. Ad extremum posteaquam à nostro Sacerdote cognouit, nisi ignosceret inimico, se saluum esse non posse, dolorem suum Christo Domino condonauit. Eoq; non contentus protinus inimicum adit, vltroq; ei veniam non petenti dat; memorabili ad posteros lenitatis exēplo. Commentationes nostri B. Patris Ignatij, multis etiam externis, & cœnobitis saluti fuere. coniectura fiat ex vno. Miles cum per eas meditationes Dei voluntatem de suscipiendo vitæ genere exquireret, ad sacrum certæ familiæ institutum animum adiecit. Sed postquam dilapsam esse disciplinam animaduertit eorum licentia offensus, simulque nostræ memor disciplinæ, quam cum apud nos diuersaretur,

faretur, obseruarat, mutato consilio se se ad nos transtulit, Societatem summis precibus expetiuit, sed iustis de causis spes illi in posterum facta, res in præsentia negata. Iisdem meditationibus Episcopi Vicarius, & præpositus Brunensis exerciti exemplum fecerũt alijs eandem rem experiendi. In his duo nobiles medici fuerunt, & duorum cœnobiorum Præsides satis noti. Hi omnes magno pietatis studio inflammati nouam vitæ rationem instituerunt; atq; illas commentationes summis laudibus extulerunt. Sodalitas B. Mariæ Virginis hoc anno instituta excreuit ad numerum ducentorum, Sodalesq; omnes dignitate, opibus, nobilitate, probitate delecti. Quo in numero sunt Olomucensis Episcopus idem; ac Princeps, Proceres, Barones complures, Præpositus Brunensis, alijq; nobiles viri, qui quanto superiores dignitate sunt cæteris, tanto se submissius gerunt, & maximi beneficij loco numerant, quòd sint in Sodalitatem adscripti. Ipso B. Mariæ Virgini sacro die Olomucensis Episcopus, re diuina non sine egregio simphoniacorum cõcentu facta, Sodalibus Sacrosanctum Christi corpus impertijt. Eius rei fama amplius triginta viros paucis diebus ad Sodalitatem allexit, sodales autem ita se piæ sanctæq; vitæ tradiderunt, ut multum curæ atq; industriæ ad aliorum vtilitatem salutemq; deriuarent. Certatim enim in vrbe maxi-

ma ex parte corrupta, & corruptrice iuuentutis elaborarunt, vt quamplurimos tum ad Orthodoxam religionem, tum vero ad sodalitatem pellicerent. Nec defuerunt qui hæreticos improbitate ac nequitia insignes sibi ad victoriam deposcerent, eosque magnis contumelijs, molestijsque deuoratis, denique patientia, & comitate deuinctos ad religionis salutisque portum adducerent. Sodalis quidam à Barone hæretico domino suo iußus sacram ædem demoliri, nec promissis, nec minis perpelli vnquam potuit, ut faceret, quod iuberetur, cum diceret se Catholicum eße, atq; ob eam causam catholicorũ tẽpla extruere velle, non destruere, & libera sodalis vox illum ab ædis demoliendæ consilio deduxit. Nec officijs solum sed etiã exemplis multos ad vitam honeste agendam permouerunt. Constat permultos illorum exemplo, carne ex præscripto Ecclesiæ temperasse, & sub vna tantum specie Eucharestiæ comunionem adamaße. Per tumultum uero Turcici belli sodalium, & pietas, & virtus uel maxime enituit. Nam auctis priuatis precibus publicam quadraginta horarum supplicationem adiecerunt, eamque tanto studio peregerunt, vt complures eorum assignatis horis, non contenti ternas, quaternasue horas supplicarent. supplicationis exitus fuit tergorum diuerberatio, quę tenuit quoad psalmus Miserere mei Deus caneretur.

tur. Tota res ita ciuitati placuit, vt eam deindè iterari oportuerit. Inde cum ad bellum Turcicum delectus haberetur, septuaginta sodales nomina dederunt. Qui Duci Catholico magnopere commendati, & sodalium precibus adiuti ad bellum ita profecti sunt, vt militiæ non secus ac domi, sacris mysterijs vterentur, vt mirandum non sit tales milites Deo bene iuuante, tam nobiles victorias de victricibus Barbarorum copijs reportasse. Duo è sodalium numero diem obiere, qui vt sodalitati adscriberentur, ab Hæreticis ad Catholicos transierant. Ad honestandam sodalium sepulturam, sericum pheretri stragulum non parui pretij, & quatuordecim togæ funebres, quibus induti sodales feretrum deferant, comparatæ. Itemque vmbella quadrata ex veste Damascena purpurea, aureis filis intexta, ad cohonestandum Sanctissimum Christi corpus, cũ defertur ad sodales ægros. quamquam sodalitas hoc suscepit, vt eodem honore etiam ad alios deferatur, modo ex Catholicorum instituto, vna fuerint specie contenti, quæ res multos perpulit ut sacra mysteria Catholico ritu sumerent. Nec germanis solum sodalium pietas sed etiã compluribus Italis salutẽ attulit. Sita est Bruna in media Morouia, ut eius vmbilicus dici possit, circum eam in finitimis pagis, atq; oppidis Itali plurimi negotiantur. Ad hos igitur suorum item negotiorum causa multum

commeant Sodales, sed in medijs negotijs haud quamquam pietatis obliti Italos negotiatores, mercatoresq; Brunam ad animos rite procurãdos inuitant, ita maxima eorum pars certis temporibus sacramentorum causa ad nos ventitant. Haud maior in vetaranorum mentibus excitandis, quam in Tyronibus ad societatem deligendis exercendisq; Dei benignitas ac prouidentia extitit. Adolescentulus vnicus senis Patris Filius societatem nostram cupidissime appetierat. Huic ita à Præposito Prouinciali facta spes est societatis, si id ipse à Patre prius impetraßet. Perdifficile videbatur omnino, parenti iam grandi natu, & vxore, ac cæteris filijs orbato id suadere poße, ne dum persuadere; attamen ille nostri instituti cupiditate adductus, Deo duce parentem adortus, haud ægrè eius animum expugnauit ab eò comendatitias litteras ad Prouincialem abstulit ingenti cum admiratione omniũ, quibus parentis eius indulgẽtia in liberos, et alie natio à Societate erat ante perspecta. Alius natione Polonus de suscipiendo sacræ vitæ instituto (vna excepta societate à qua mirum in modum abhorrebat) dum secum deliberat, in grauem mœrorem incidit, qui illi causa adamandæ societatis fuit. Nam cum angore animi vrgeretur, visus est sibi per quietem à B. Virgine admoneri, ut si mœrore illo liberari vellet, ad Christum (qui oppreßus ærumnis

adesse

adesse videbatur, confugeret; hunc igitur cũ afflictum, ac iacentem adolescens subleuare conaretur; eius vocem sibi audire visus; confide fili. quoniam me subleuasti; ipse vicissim à me subleuaberis. Qua ille voce permotus incredibili cupiditate Societatis exarsit. Itaq; contemptis pollicitationibus; ac minis potentissimi viri in cuius fide ac tutela erat, ex Polonia Brunam ad nos profugit. Porrò alius cum diuinis mysterijs perceptis, Deum obsecraret, vt sibi aliquo indicio declararet, quid à se fieri vellet, visus est sibi hominem è societate videre, & simul hanc audire missam è cœlo vocem; hunc sequere. Ergo ingenti perfusus animi gaudio diuinam voluntatem exequi statuit. E vestigio canonicatum satis opulentum, quo fruebatur, Episcopo reddit honestissimam nuptiarum conditionem vltro delatam repudiat, ad Societatem nostram aduolat, paupertatem diuitijs, castitatem connubio præferens. Ex eodem numero alius fuit, qui cum Socium se nobis adiungere decreuisset, ab impuris mulieribus ad flagitium inuitatus, bis vetus Patriarchæ illius Iosephi renouauit exẽplum, hoc feliciore exitu quod victor se in castra cœlestis Ducis recepit. Fuit etiam qui à puero inter hæreticos educatus, admirabili planè ratione nostris accederet; Is à nefarijs illis concionatoribus sæpenumero acceperat, Iesuitas diabolos esse humano corpore indutos,

portentosa specie, cornutos, et terribiles quosdam hypocentauros. Itaque cupiditate visendi talia monstra inductus adolescens ab extrema Saxonia Comotouium contendit. Ibi conspectis nostris, animaduertit fraudem ac monstruosa mendacia hæreticorum. Inde hæresim dedoctus, & pia nostrorum comitate captus Deo se, societatiq; deuouit. Nec defuere, qui à Deo vocati dum procrastinarent, periculum esse sentirent in mora. Quidam insalutatis parentibus tantam rem exsequi nefas ratus, contemptis bene suadentium vocibus, in patriam redire contendit. Postridie eius diei, vnà cum comitibus à predonum manu circumuenitur; socijsq; interfectis, ipse vulneratus vix euasit. Regressus igitur, omisso patriæ adeundæ consilio, ad nos confestim se contulit, sapiens suo periculo factus ipse, & sapientes alios facturus. Par alterius, in pari causa periculum, atq; exitus fuit. Is patriam, & amicos reuisere priusquam societatis Tyrocinium institueret, concupierat; id cum multis precibus à Preposito Prouinciali extorsisset, domum proficiscitur. Ibi ex altercatione tãtum inter illum, & amicos illos, quos reuiserat, certamen exortum est, vt ęgrè ex eorum manibus viuus aufugeret, ob eam rem Deo se dicare maturauit; ac malo doctus dictitare consueuit, nemini vnquam se authorem futurum subeundi periculi quod ipse imprudens subijsset. Alius qui se

socie-

societati deuouerat, ęqualium consuetudine deuinctus conceptum animo votum differens, pene discusserat. Verum cum ex eius æqualibus duos morbus, tertium vis & gladius abstulisset, periculi, votiq; admonitus ad nos accurrit. Fuit item alius, quem simul ac deserta societate, paternam domum attigit, grauis morbus corripuit, & quasi dissuasor consilij ad nos retraxit, Is quippe ut primum resipuit, valetudinem recuperauit. contra alius ad conficta à matre negotia expedienda domũ profectus se ipse impediuit. Nam voluptatũ illecebris irretitus totũ se ludo ac nequitię dedit; vt mater domesticis damnis, probrisque commota suam dementiam palam incusare nõ desinat. Huius exemplo alia mulier ex eadem ciuitate docta, quæ filium nobis aggregatum ægerrimè ferebat, nunc nihil magis, quam eius in suscepto instituto constantiam exoptat. Porrò Tyrones peregrinationibus de more exerciti, vt piorum beneuolentiam, ita impiorum odia sunt experti. Nam complures pij honestiq; viri, maximè vero Olomucensis Episcopus eos hospitio inuitatos, tectis cupidissime receperunt, & lautè habitos pecunia, ac tibarys iuuerunt: At hæretici eosdem cuiusq; generis maledictis, contumelijsq; certatim exagitarunt. Reperti sunt etiam complures, qui globis eos appeterent, itemque, qui gladios, tela, secures eis intentarent. Quę omnia no-

stri modestia, constantiaque superarunt. Vnus omnino hæreticus, illos benigne accepit, qui olim à societate deinde etiàm à Christiana religione defecerat, qui cum nostros ad hospitium inuitaßet, animi sui sensa nostris enunciare cœpit; olim se fuiße è societate. Sed animi leuitate, atque incõstantia tanto bono excidisse; inde in hæresim præcipitasse, & per decenniū quam plurimos potuisset, Deo subtractos, in exitium pertraxisse. Intelligere se Deo immortali, atque hominibus inuisum eße; neque iam vllam sibi spem salutis ostendi, nisi forte illum Deus pro sua singulari clementia respiceret; Se quidem eo iam redactum, vt in beneficij loco numeraturus esset, si quis ei vitam inuisam ferro, aut alia ratione per vim eriperet si quidem prospiceret animo, sibi exitialem aliquem exitum impendere. Hæc flens cum dixisset, hortari eos cœpit, vt suo periculo docti diuinum beneficium, quo fruerentur, agnoscerent, & perditi hominis, olim ipsorum socij salutem deprecarentur à Deo. Hac oratione habita, eos dimisit, è desertore præco societatis. Porrò Tyrones in obuijs pagis cathechismum tradiderunt, & publicis, priuatisq; sermonibus ad confesionis, et Eucharestię sacramenta plurimos adduxerunt.

Colle-

Collegium Græcense.

Scholarum fructum satis ostenderunt vnus & viginti adolescentes primę philosophię laurea donati, pręsente Regis Catholici legato, multisque principibus Ciuitatis. Discipulorum alacritatem appositis Dialogis excitauimus, quos Dialogos Ciues magna frequentia plausuq; celebrarunt. Viginti numero adolescentuli Hæretici magistris subducti, nullis pollicitationibus, aut terroribus suorum adduci potuerunt, vt deserta nostra disciplina ad priorem redirent. In his puer fuit circiter decem annos natus, qui stipem ostiatim emendicare, quàm sub Hæretico magistro lautè viuere maluit. Reperti sunt etiam qui idoneis argumentis probè instructi Lutheranos ministros adorirentur, Iisq; coargutis, atque conuictis, magnum ad nos egregiorum discipulorum numerum adducerent. Pietas quoq; & religio augescit in dies. Hoc anno circiter ferias Paschatis sacramenta amplius duo millia hominum obierunt. Quinquaginta numero ad Catholicam fidem reuerterunt. In his multi fuere, quibus id diuinitus contigisse facile apparebat. Vnus sacerdotis nostri alloquendi percupidus, quoties id conabatur, toties à diabolo terroribus obiectis à cónatu deterrebatur. Tandem à viro bono ad sacerdotem perductus subitò horrere, sudare, pallere, toto corpore

ac

ac mente contremiscere. Causam tum subiti pauoris roganti respondet, sese teterrimorum monstrorum manu circumueniri, ac metu perterritũ non posse amplius ibi consistere. Hæc elocutus subito proripuit sese ac perfugit. Ex fuga retractum sacerdos blandè appellat, & cruce super eius frontem ducta, hominem monet, vt supplex opem à Deo aduersus Dæmonem imploret. paruit ille salutari consilio sacerdotis. Nec dubium Dei auxilium fuit. repente ille spectris illis, ac terroribus liberatus ex pauore animum recipit, nec multo post repudiatis erroribus, Catholicis sese adiungit. Alter morbo affectus longo itinere ad nos cũ venißet, deposito mentis errore, adeptus est corporis sanitatem. Alius grauibus conscientiæ stimulis agitatus cùm à Diabolo ad laqueum impelleretur; accito nostro sacerdote, posteaquam animum hæresi, & peccatis leuauit, etiam angorem penitus depulit. Iis qui morte scelerum pœnas luebant, adeo perseueranter opera à nostris nauata est, ut planè eorum nemo tum hæresi, aut sine sacramentis obierit. In his vnus fuit ab ineunte ætate hæreticus, qui cum ad sanitatem mentis reuertisset, omnibus miraculo fuit. Nam prægaudio effuse lacrymans, nullũ finem faciebat gratias agendi Deo, qui sibi homini scelerato ac plane perdito per viros adeo doctos ac pios viã salutis, sempiternæq; beatitudinis ostendisset,

dißet. Inde cum duceretur ad supplicium, extra pomærium B. Mariæ imaginem conspicatus magna voce; vt ab omnibus exaudiretur exclamauit. ô Dei atque hominum parens MARIA; tibi tuoq; filio meam salutem cõmitto; Ea vox vt circumfusam hæreticorum multitudinem perculit, itá Catholicos vehementer erexit. Mulier pro suis sceleribus capite damnata Orthodoxam auide arripuit fidem; quòd diceret sibi secundum quietem eximia specie virum oblatum, qui suaderet ut Catholicam fidem sequeretur. Cætera etiam officia Græcenses socij, & Societati, & Ciuitati præstiterunt. Dissidentes coniuges complures conciliarunt. Multos à consilio cędis deterruerunt; quadraginta horarum supplicatiõnem, rem in hac Vrbe nunquam antea visam; ad auertendum Turcici belli periculum, magna piorum approbatione, ac frequentia peregerunt. Reperti sunt qui quaternas horas continenter supplicarent. Sed inter omnes Mariæ Principis *pietas ènituit, quæ cum liberis supplicationem obiit accuratissime Simul nostri cum intempesta nocte flagellis in sua terga sæuissent, magnam ijs, qui aderant admirationem attulerunt, Austrię vero Marchio in Turcas ducens Sacerdotem nostrum sibi comitem adsciuit, qui suam assectarumque confessiones identidem audiret. Is non modo valens omnia ei societatis officia pręstitit, sed*

etiam

etiam æger confitentibus operam dedit. Idem deinde Ernestum Archiducem ipsius rogatu, vd prouincialem conuentum secutus; sacris cōcionibus, complures ad Catholicam Fidem traduxit: castrum non ignobile, libris hæreticis, quorum magnus erat numerus, perpurgauit. Alium sacerdotem à confessionibus Maria Princeps in Bauariam proficiscens, & varias perigrinationes pietatis studio suscipiens secum duxit. Eadem quoties pauperibus epulum præbet (præbet autem sæpissime) vnum è nostris verba ad eos facere iubet, vt etiam mentes eorum salutaribus monitis pascat. Ernestus Archidux proficiscens in Belgium magnas significationes dedit suæ egregiæ erga nos voluntatis, pollicens se vbicunque terrarum foret, nostri ordinis fautorem, ac patronum futurum. Idem quia cœnobia societati attributa Carthusianis reddi opportuit, pro his bina nobis florenorum millia in annos singulos assignauit. Hæreticorum buccinatores sæpe cum nostris congressi planèq; deuicti, magna cum iactura existimationis se ab argumentis ad maledicta verterunt.

Collegium Crumlouiense.

Confitentium apud nos numerus longe maior quam superioribus annis. Et expiatio totius ante actæ vitæ multis magno vsui non-

nonnullis etiam saluti fuit. In his duæ fœminæ hac maximè ratione depulsis spectris quibus exagitabantur quietem mentis inuenerūt. Septem qui morte mulctandi erant, sacramentis rite obitis, facile adducti sunt, vt æquo animo debitam suis sceleribus pœnam sustinerent. Alius capitis damnatus cum facultas adimeretur, sibi mortis consciscendæ, Diabolum inuocauit, qui cum præsto ei fuisset, horrendaque specie, & ipsum qui implorat, & cæteros qui aderant, terrore complesset; propere mittitur qui sacerdotem nostrum accersat. Is vbi venit, illum amentia, reliquos metu liberauit. Meretrices ex flagitiorum cœno extractæ decem. Sacerdos vnus à pellice, ex qua multos susceperat liberos, auulsus. Ad auitam religionem reuocati duodecim. Ad diuinorum mysteriorum comunionem sub panis dumtaxat specie adducti xx. Pugnantibus hæreticis, ut suarum partium magistrum in Ciuitatem inducerent; perfectum est à nostris ut Catholici contra tenderent, & pium magistrum in vrbe constituerent magno ciuitatis bono. Gulielmus Rosensis prorex Boëmiæ huius Collegij conditor hoc anno cum obijsset, ei quam maximo potuimus honore parentauimus. Auxit dolorem quem ex optimi Principis iactura ceperamus, dissipatus à maleuolis rumor eius fratrem ditionis successorem nobis infensum esse. Itaq; plerique nobiles

biles è nostris scholis suos liberos euocare cogitabant. Sed dies docuit nouum Principem non modò fraternæ ditionis esse sed etiam beneuolentiæ erga nos hæredem. Nam multis Dynastis præsentibus confirmauit, se quæcunque frater nobis donasset, assignassetq, rata habiturum, et facta dictis benigniora fecerũt. Vectigal enim nobis maturæ pensitandum curauit, & Collegium non semel donauit muneribus, & nostros proficiscentes ad alios Regni proceres amplissimis verbis commendauit. Auxit etiam facultates, ac numerum Alumnorum, tum nobilium, tum plebeiorum. Ac præter Bœmos fruuntur eius beneficio Silesij, Poloni, Bauari, Carinthy, Marchiaci, Pomerani, Galli, Italique. Demortui Principis vxor fœmina lectissima Pragam Crumlouia demigrans, sex sacros Sacerdotis ornatus, non parui pretij, tabulasq; egregiè pictas, auroq; ornatas Collegio dono dedit. Nouus Bœmię Prorex nobis mirificè studet, id verò in Collegij nostri negotio magni momenti satis ostendit. Ad Scholas maximo hoc anno facta est discipulorum accessio. Accessionis causa fuit quod Passauium Germanię Ciuitas haud ignobilis primorum Ciuiũ liberos, quos antea partim Ratisponæ, partim Ingolstadij, partim domi bonis litteris instituendos curabant, hoc anno in nostram disciplinam tradidere; Eius autem rei author Episcopus extitit, qui cum Fra-

fratris filios optimæ indolis pueros nobis cõmisisset, suo exemplo, & authoritate reliquos ad idem faciendum incitauit. Nec ex finitimis solum, sed etiam ex longinquis populis Gymnasij nostri fama complures auditores exciuit. Pleriq; Sacrorum Antistites superioris Austriæ, Boëmiæq; proceres etiam hæretici suos ad nos liberos mittunt, idque eo libentius, quod parentalibus demortui Principis adolescẽtulum nobilem ex nostro ludo summa venustate de eius laudibus dicentem audierant. Nostri quoque Collegij sumptibus quatuor & viginti auditores pauperes sustentantur. Sodalitas B. Mariæ Virginis virtutibus & christianæ pietatis officijs floret, vt cum maximè. Eius primus præfectus in Societatem adscriptus est, quem secundus item, ac tertius propediem sequentur. Duo item ex nostris Discipulis se ad Cistercien sem familiam contulerunt.

Collegium Thurocienſe, & Chomotouienſe.

T*Hurocienses Socij & si vndique ab hæreticis cincti oppressiq;, tamen & domi & foris suam Deo, atque hominibus fidem atq; operam præstiterunt. Per ferias Paschatis ad mille hominum apud nos sacramenta ritè*

sum-

sumpserunt. Complures ad auitam religionem reuerterunt. Quo in numero vnus fuit, qui diuturno molestoque implicitus morbo, cum nulla spes esset fore aliquando leuius, impia in Deum verba iactabat. Huius vt animi morbo mederetur Sacerdos noster, corporis morbum curare statuit. Itaq; illi ad spem salutis erecto cretam sigillatam ex iure sorbendam dedit ita; ille exudato morbo, haud ægre adductus est vt hæresi deposita, sacramentorum beneficio rediret in gratiam cum Deo. Adolescens nobili loco natus, cum ab hæreticis desciuisset, catholicoque ritu animum expiasset, parentem iam grandem natu, qui quinquagesimum annum à catholicis rebus abstinebat, ad idem faciendum adduxit. Scholas minus frequentes habemus, propter improbitatem hæreticorũ, qui omni ope atque opera teneram ætatem nostro congressu prohibere conatur. Nam & illorum concionatores vulgo pro suggestu in nostrorum nomen inuehuntur, & multi viri nobiles, atque opulenti, qui authoritate, & potentia inter suos plurimum possunt, id agunt, ac pugnant ne quis eorum, qui nostram ædem adeat, in numero ciuium habeatur, neue eis sui iuris obtinendi facultas detur. Patresfamilias quoque seuere cauent, ne eorum liberi omnino ad nostros accedant. Tamen his omnibus rebus efficere non possunt quin multi ex ipsis ad vostrum Gymnasium vẽ-

titent,

sitent, & per eam occasionem ad Catholicam fidem traducantur. Iamque hoc profecimus, vt ipsi hæretici suspiciant nostram in docendis pueris sedulitatem. Sed ita disciplinam probant, vt horreant religionem; quam nihilo serius eorum liberi à nobis haustam retinent, & impiam parentum curam eludunt. Adolescens honesto natus loco, cum à parente hæretico ad nostros accedere prohibitus esset, & à multis obseruaretur, rustico vestitu ad nos venit, et procurato sacris mysteriis animo cuius rei causa venerat, confestim domum reuertit. Alius summo loco natus, ex nostra disciplina domum regressus, à Lutheranis concionatoribus iussu patris circumsistitur. à quibus cum acerrime oppugnaretur, tāta animi præsentia eorum commenta refutauit, vt et ipsis imponeret, & patri suæ religionis expugnandæ spem omnem adimeret. Haud ita multo post patri mortuo ipse successit atq; in omni sua ditione catholicam religionem propagare, ac fauere instititit. Ab eo Natales Christi ferias vnus è nostris sacerdotibus euocatus triginta homines de totius vitæ peccatis confitentes audiuit (vt ex eo coniectura fiat cæterorum) eosq; & cælesti pane, & præceptis salutaribus pauit. Alius nostræ item disciplinæ alumnus domi suæ nobilis simul ab eodem illo ad sacra mysteria inuitatus ægre scilicet impetrauit a parente Luthurano eundē

P pote-

potestatem. Qui veritus ne filius apud illum (id quod erat futurum) Catholicorum sacramenta perciperet, Præfectum aulæ suę comitem illi & custodem adiunxit, eique magnopere mandauit, vt omnes templorum, ac sacrariorum aditus diligenter obseruaret, omninoque prouideret, vt nullā adolescens haberet Catholicæ confessionis, communionisue facultatem. Cęterum vt ad locum ventum est, adolescens cum sacerdote nostro congressus ab eo in domesticos hortos deducitur, ibiq; cum illo solo inambulans de peccatis confitetur. Sub confessionem vnà cum oppidi domino in secretum conclaue introducitur, & diligenti illo custode templi aditus obseruante, in abdito sacrario domus diuinorum sacramētorum fit particeps. Ita eluso custode ac parente, lætus domum reuertitur. Dynasta quidam Caluini peste contactus, cum in grauem morbum incidisset, sacerdotem nostrum acciuit, quem vt appropinquare cognouit, & si admodū æger, continere se se non potuit, quin lecto desiliret, & occurreret venienti. Quem cum in limine offendisset, amplexans in cubiculū ipse deduxit: eiusq; sacerdotis opera, & erroribus animum, & peccatis exoluit, statimq; salus animi in corpus redundauit. Paucis intermissis diebus, plane conualuit, accessit in cumulum lætitiæ, quòd per eos dies arces amplissimas duas ex Turcis recepit. est

etiam

etiam his locis Dynasta, & genere, & opibus clarus, qui olim nostrorum conuictor Viennę fuit. Is, vt est egregie Catholicus, vnum aliquem è nostris sacerdotibus postulauit, qui paganos populares suos Cathecnismo erudiret, pagi erant omnino sexdecim, quibus in pagis ex quo tempore Lutherana pestis ea loca corripuit, nunquam Catholicus concionator auditus. nulla diuina sacramenta rite administrata fuerant. Itaq; noster sacerdos eò profectus pagorũ Domino omnia ad eius arbitriũ gerente, multa cõstituit incolis salutaria; Gregorianũ Calendariũ, vetere abrogato, introduxit, Lutheranum Parochũ eiecit, sacrã ædem contaminatã ab hæreticis expiauit, aras pictis tabulis, & sacris vestibus ornãdas, locupletandasq; curauit. Et simul concionibus habitis nõ nullos à prauis opinionibus abduxit, plurimos ad suorũ scelerũ confessionẽ pellexit. Quibus rebus Dynasta permotus agitare cœpit de nostroru domicilio cum satis copioso vectigali in suis finibus collocando. Per idem tempus Thurocienses socij magnum periculum adierunt amittendi vectigalia Præpositurę, quibus Collegium sustinetur. Thurociensis Præpositura olim societati nostræ in Vngaria à rege attributa hoc anno in regni Vngarici concilio in disceptationem vocata est. Ter septemdecim comitatuum legati postularunt, vt Præpositura eius vectigalibus Vn-

garici milites alerentur. Quo propior periculum res fuit, hoc magis diuina benignitas extitit. repudiatis legatorum postulatis Prępositura societati est à concilio confirmata. Chomotouiensium sociorum, & labor, & fructus maior quam pro numero fuit; vel ex eo intelligi potest, quod amplius sexcentos, & sexaginta ab hæreticis ad Catholicos traduxerunt. Magnus sanè adolescentium numerus ad nostras scholas in disciplinam cōuenit; Eorum studia eleganti Dialogo sunt excitata. quem Dialogum cum alij illustres viri, ac Dynastæ per multi sua præsentia cohonestarunt; tū verò ipse collegij fūdator, qui preciosissimas nobis vestes ad choragium donauit. Collegij forma egregia est ac perampla; eius bona pars hoc anno ædificata. Fundatoris rogatu, quadraginta horarum supplicatio pro victoria Cæsaris de Turcis habita, & summa oppidanorum, rusticanorumq; frequentia peracta, quod eo magis mirandum fuit, quod omni populo decem in partes distributo quaternas singuli horas supplicarent, cum quater per omnes supplicatio in orbem iret. Prima hora senatus, & magistratus cum Principe supplicationi operam dederunt; tanta fuit Principis modestia, vt cum sibi maxime incommodæ ad supplicandum horę obuenissent, tamē nihil sua causa commutari voluerit, atque ipse cæteris diligētia, et assiduitate exēplo fuerit.

Sedes

Sedes Vratislauiensis, & Transiluana.


ET in Sede Vratislauiensi suus laboris fructus constitit. Cōuersi sunt ad auitam religionem xx. nonnulli dubij confirmati. Mulier vna à desperatione salutis ad spem reuocata. Hæreticus ob homicidium supplicio afficiendus sacerdotis nostri opera, ad sanitatem mentis rediјt, & quamquā diabolus eum spe libertatis, magnisq; præmijs, & pollicitationibus sæpenumero hortabatur, vt se illi deuoueret, maluit salua religione admissum scelus suo sanguine luere, quàm fide prodita, Dæmonis beneficio viuere. Cum Episcopus tota Silesia quadraginta horarum supplicationem aduersus Turcici belli terrorem fieri iussisset, eaq; res Vratislauiæ planè noua esset, & nunquam memoria hominum visa, itum est ad nos vt supplicationis rationem prescriberemus, ea à nobis præscripta ratio est, quam omnes probarent. Itaque peracta est supplicatio in templo maximo incredibili piorum religione atq; concursu, vt omnes mirarentur tantum Catholicorum in medio nationis prauæ reperiri. Atq; illam nostram supplicandi rationem ad reliquas Silesiæ vrbes, atq; oppida circummitti placuit. vt in re noua haberent quod sequerentur. Nec frustra tot locis supplicatio-

nes ad diuinum numen placandum, conciliandumq; sunt habitæ; numquam antea Vngari atque Germani cum Turcis pluribus secundis prælijs contenderunt, vt appareret non tā humana, quam diuina ope rem geri.

In Transyluania quoque diligenter elaboratum est, & satis copiosus fructus ex syluescenti illa regione perceptus. Albæ Iuliæ duo è nostris, non modo conciones ad Principem, ac populum habuerunt; sed etiam in summa Catholicorum sacerdotum penuria, omnia Parochorum munera obierunt, amplius quadraginta ad auitam religionem reduxerunt, ædē Angelo loci Præsidi sacram, ubi conueniāt, Catholici excitarunt. Ad ornatum aræ præter alia sex candelabra argentea præclarè faciendā curarunt. Tecta item Cœnobij S. Michaëlis (quod cœnobium vnà cum rure peramœno societati fuerat attributum) restituerunt. Cum Turca bellum in Vngaria Christianis indixißet, Princeps super ea re sacerdotem vnū è nostris Romam ad Pontificem, inde ad Cæsarem allegauit, ut aduersus communem hostem communi consilio res gereretur Fenesini (Trāsiluaniæ id oppidum est) vnus sacerdos è nostris quinq; & triginta ad fidem Catholicam deduxit. Mulier hæretica cum sacræ concioni interesset, inspectantibus omnibus à diabolis è medio abrepta, per saxa, rupes ac flumina, ab eo loco tria paßuum millia, in

montis iugo derelicta est cum illa crucis signo beluas illas abegisset. Itaque sub vesperam domum reuersa ab hæreticis ac diabolis ad Catholicos confugit. nec eam sacra confessione expiatam, Diaboli amplius attigerunt. Ciuis Agnum Dei à sacerdote nostro impetratum, cum in ignem, quo domus eius conflagrabat, iniecisset, statim restinxit incendium. complures pueri atque adolescentuli etiam vicenorum annorum baptismo lustrati sunt, in his mater vnà cum filijs quinque. Porrò Vduaraliæ à Sacerdote nostro ducenti quinquaginta ad Catholicam fidem aggregati. Plurimi baptizati denûm, vicenum, ac pene tricenum annorum. Ibidem aperto ludo litterario facilè centum adolescentuli ad nostram disciplinam se contulerunt, qui ad Catholicam religionem nullo negotio traducuntur.

PROVINCIA RHENANA.



EPERTVS est in hac prouincia numerus sociorum trecenti quinquaginta. In Coloniensi Collegio duo de quadraginta, vno minus in Treuerensi. In probationis domo quę Treuerensi collegio est

adiuncta, septem & viginti. In Moguntino Collegio vnde sexaginta, in Spirensi xxiij. in Herbipolensi vnus, & quadraginta. In Fuldensi duo de triginta. In Heilingestadiensi sexdecim. In confluentino vndeviginti, totidem in Monasteriensi. In Paderboriensi xiiij. duobus minus in Molihemensi. In Fordiensi sede duo. quatuor in Hildociensi. In Embricensi nouem. Mortui tres, adsciti duo de viginti.

Collegium Coloniense.

Diebus festis, quinas socij conciones ad populum habuerunt, singulas in Sacello Gymnasij ad discipulos latino sermone, reliquas patrio. Hinc magna morum facta est commutatio in Catholicis; opinionum in hæreticis; Mercatoribus persuasum, vt non nisi procurato sacris mysterijs animo in viam se darent. Sublata capitalia odia multorum. Mulier quæ Dæmoni se in seruitutem dicare statuerat, ab incepto deterrita: altera quæ summa ægestate adducta restem ac venenum sibi, ac liberis meditabatur, ad saniora cōsilia deducta. Tres, & viginti ad Catholicorum partes reuocati, ob eam rem cum hæreticus quidam sacerdotem nostrum verborum contumelijs affecisset, exortus est Catholicus, qui tabellione, ac testibus accitis, illum calumniæ

ad

ad senatum postularet; & calumniator graues vtique pœnas dedisset, nisi eius vxor nostris deprecatoribus esset vsa. Societatis existimatio ea est, vt eius fama exciti complures à multis millibus paßuum per magna pericula ad nos contenderint. In his fuere septē illustri genere nati, qui hic salua religione exulare, quam domi suæ circumfluere delitijs maluerunt. Discipulorum frequentia, nunquam aliàs maior extitit. Eorum studia drama duplex, Pedagogus Christianus & Daniel Ephæbus, additis prēmijs excitarunt. Spectauit Nuntius Apostolicus cum nostro Principe, multisq; proceribus. Sodalitas B. Virginis quos processus habeat in pietate hinc poterit æstimari. Sodalis vnus prēoptauit apud Catholicos parcè ac duriter viuere, quàm apud Hæreticos laute, & copiosè; alter ex multorum animis prauas atque impias opiniones euellit. quinq; ad societatem, nouem ad alias Religiosorum disciplinas se se adiunxerunt, & simul Sodalium fama Sanctitatis complures viros clarißimos, atq; in his Regis Catholici capitaneum vt vocant ad sodalitatis institutum allexit.

Treuirense Collegium.

ET si minor in hac difficultate temporum discipulorum numerus, fructus tamen hoc

anno

anno, nihilo minor fuit. Decem in varias Religiosorum hominum familias, tres in societatem nostram transierunt. Sodales B. Virginis ceteris longe antecedunt. Horum multi per anniuersarias studiorum ferias in oppida finitima ad suos reuersi, ita eos morum suauitate, ac modestia deuinxerunt, vt plerosq; eorum ad nos deinde confitendi causa deducerent. Repertus qui letali vulnere ab ebriorũ manu accepto, non prius quietem caperet quam iniuriam condonasset. Eius funus summo sodales honore curarunt. quæ res & parenti eius moerorem abstersit, & magnum sodalitati nomen conciliauit. Præter conciones senas diebus festis in sex ædibus habitas, traditus est in precipua parecia Catechismus fructu maximo. Mulierculæ complures à turpi corporis quæstu ad honestam vitam traductæ sunt, tres qui diabolo se deuouerant, pactũ rescidere. Puella quę se dæmoni in seruitutem dicarat, tedio infelicis conditionis, cum ad libertatem spectaret, Satan improbæ felis specie in eius humeros insiliebat identidem, dorsoque insidens cã ab adeundo sacerdote reflectebat. Ad extremum depulso Dei benignitate, importunissimo domino per nostrũ sacerdotem asseritur in libertatem. Saga mulier, ac venefica nefariam artem quamuis quæstuosam abiecit. octo ab hæresi emerserunt. In his fuit mulier ex Vrbe Argentina, quæ Catho-

Catholico militi cum nupsisset, vnà cum viro Treuires commigrarat. hæc multorum precibus vix tandem ad ædem nostram perducta spectaculo fuit. vt limen intrauit, relinquit eam animus, deficiensq; inter manus domum defertur. Id cum bis accidisset, nostri eam adeũt erroribus, ac peccatis liberant, diuinisque mysterijs ita confirmant, vt omnia iam perferre cum marito malit, quam facto diuortio (quod mater iubebat) Argentinam remigrare.

Arcis Prefectus cum domo nocturnis spectris infesta vteretur, simulac nostrorum hortatu confessione animum noxis expediuit, etiã tecta terroribus liberauit. *Multorum item discordiæ sunt sedatæ, diuortia impedita, desperatio sublata. Complures sceleribus obstricti diuina ope expediti. Ex hoc numero vnus fuit, qui licet pluribus, diuinitùs casibus afflictus nihilo secius in sceleribus hærebat. Nam ipsa Natali Christi nocte, cum eques ad scelus anhelaret, ita effusus est, vt pene currentis equi pedibus obtereretur. inde ex scelerum conscientia tantus ei terror diuinitus est iniectus, vt omnium in se ora conuersa, omnes suorum facinorum conscios crederet.* *At ille rabie in Deum versa, diabolum implorat, verum horrenda eius specie perterritus; signo crucis cruentam beluam expellit, nec tamen pertinacia desistit. Tandem graui correptus morbo nostrorum opera ad sanitatem redijt mentis.*

Rusticus malis oppressus restim, aut aliud con simile mortis genus meditabatur. iamq; anxius animi longe ab hominum consuetudine errabat in Syluis, cum sacerdotem nostrum offendit, & simul Dei beneficio salutem inuenit.

Collegium Moguntinum.

IN studiorum instauratione D. Viti cum parente certamen in scæna datum est. in cumulum præmia Victoribus persoluta. ex Discipulis B. Virginis Sodales principatum obtinent. Nec desunt pietatis eorum argumenta. Ex his vnus rusticanum hominem nactus iam diu in peccatorum sordibus iacentem, domum suam deduxit, eiq; & lectum suum concessit. ipse interim humi cubans, & res omnes necessarias subministrauit, quoad hominē ad omnem vitam confessione purgandam satis erudiuit, & ad Sacerdotem nostrum perduxit. Nonnulli eorum cum mendicum, omni humana ope atq; insuper membrorum vsu destitutum offendissent, certatim hominem subleuare cœperunt: alius solari ægrum alius stipe iuuare, alius cibo recreare, quorū exēplo adductus medicus forte præteriens curationem illi præscripsit gratis, & simul medicamenta curauit. Repertus est, qui domum ad hæreticos parentes reuersus nullis neque promissis, neq; minis impelli potuerit, vt sub ferias Paschatis

schatis ad Caluinianam cœnam accederet. Itaq; ob eam rem in vincula coniectus, omnia carceris incommoda forti atque inuicto animo pertulit, & impiorum acerbitatem pia constantia vicit. Solenne illis est Christianę humilitatis munera obire, misericordię officia in pauperes, miserosque præstare. Ab his perfectę virtutis rudimentis quatuor in societatis castra se coniecerunt. Collegium hoc anno, fauente Archiepiscopo, vinea sanè fertili est auctum. Templo duę accesserunt aræ columellis, picturis, aliisq; rebus magnifice ornatę. Quarum altera, quæ ara maxima est sacrosanctæ Eucharistię armarium, tabernaculum vocamus, sustinet. opus pulcherrime descriptum, cælatis Christi patientis, ac resurgentis mysterijs, & statuis, ac sigillis Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, Doctorum Ecclesiæ scite factis. pulchreq; dispositis sanè visendum; Cum cultu Eucharistiæ etiam vsus creuit. Cui rei magno adiumento fuerunt conciones binæ quæ tum in nostra, tum in maxima æde à nostris fieri consueuerunt. Hinc magna in Ciuitate morum facta est commutatio, maiorq; solito in ægros, atq; inopes benignitas extitit. Fuerunt, qui ægris cibaria sibi cocta submitterent, quiq; in occultos pauperes, ac verecundos magnum frumenti numerum conferrent. Cathechismus in tribus Vrbis Parœcijs, vicisq; suburbanis

expli-

explicatus est. Decem qui à piorum cœtu desciuerant, Ecclesiæ Catholicæ restituti.

In his quatuor, errores quos iam multos annos pro suggestu docuerãt, pro concione sunt detestati. Quorum vnus Caluiniana disciplina in celebri Academia à puero imbutus, cum vnius è nostris Theologicas theses perlegisset, nutare primum cœpit; idem cum P. Bellarminij controuersys studere instituisset, ob eam rem expulsus ab Hæreticis sese Catholicis adiunxit. Persuasum est multis, ne se mallent, quã libros noxios perdere. Quo in genere quiddam accidit memoria dignum. Sacerdos noster ad Bibliopolã amicũ diuerterat. ille de paucitate epmtorum, atq; iniquitate temporum, vt fit, cum eo querebatur. Noster ipsum esse in culpa dicere, qui Lutheranos libros venales haberet: instare vt eos sibi omnes traderet: quos cum ex eius manibus expressisset, illo inspectante combusit, mira res, vix dies vnus ab illa traditione librorum intercesserat, cum plurimi librorum emptores ad illius tabernã librariam ventitare cœperunt. Itaq; bibliopola admirationis, & gaudij plenus nostro deinde cõfirmauit plures se libros vno die, quam antea multis hebdomadis vendidisse.

Colle-

Collegium Spirense, & Herbipolitanum.

SPirenses socij binis concionibus habitis, catechismoque quinis locis tradito, ciues rusticosq; iuuerunt xxv. hæreticos ab erroribus auerterunt. Plurimos totius vitæ sceleribus, ac flagitijs expiarunt: in his nobiles aliquot, qui a multis paßuum millibus ea de causa nos adierunt. In cęteris quoq; societatis officijs operam præstiterunt. Iuuentus nostræ disciplinæ commissa tum litterarum, tum pietatis studio flagrat; Sodales B. Mariæ præcipuè, quorum ope duæ puellæ Lutherum repudiarunt. Fuit qui & si prouideret fore, vt exhæredaretur à Patre, tamen sororem ad Catholicam religionem perducere non dubitaret. Diues ex auaro liberalissimus in scænam datus mirè, & discipulorum industriã & disciplinæ nostræ nomen auxit. Amicorum ac præcipuè Episcopi, & Canonicorum in nostros beneficia nec leuia sunt, nec obscura, testimonio est quod P. Georgium Baderum Romam ad conuentum generalem iturum copioso viatico, & equo regio donarunt.

Herbipoli Florentissimis vtitur scholis, discipuli octingentorum numerum explent. conuictores sunt ad centum quadraginta, exedræ nouis subsellijs exornatæ. Isaac victima, bel-

lum

lum sanè theatrum ac plausum habuit. In spectatoribus Langrauius Hassiæ, & Dux Luneburgicus vrbis princeps fuerunt, & Langrauius non exigua pecunia, luneburgicus cētùm taleris Collegij inopiam subleuauit. Magistri ex discipulis rite appellati sunt xxv. Diuinam in sacris rebus vim experti sumus. incendium domi fortè excitatum Dei agnus cum lustrali aqua iniectus extinxit. Porrò exemplum Principis, et Sacerdotis nostri conciò tantum ad ciuium pietatem valuerunt, vt præter sexcentos alios, viri quoq; primarij præmissa familia, apud nos sacramenta obirent. Mulieri ab angustijs rei familiaris diabolum inuocanti omni ope subuentum est. Nouus Pelagianus (Francisco Puccio Florēti no nomē falso erat) qui pestiferos spargebat errores, à nostro sacerdote confutatus. Homo litteratus ex hæretico Catholicus subita cæde per iram facta, cum à Melanchtonianis in vincula coniectus teneretur, & spe veniæ, ac libertatis ad illorum sectam inuitaretur dextram eis precidendam sponte porrexit, cum diceret, malle se sine manu, quam sine religione viuere. Ad fidem Catholicam redierē non pauci, In his vnus veteris pietatis igniculis excitatus nocte ad Dei opem implorandam surgebat. Diabolus eum specie lupi identidem territabat. at ille contemptis infestæ belluæ terriculis, Deo duce veritatem dispicit,

ſpicit, noſtros conuenit, Catholicam fidem ſequitur. Homo nequam ex fæce Lutheranorum, cum ſacerdoti ſacris operanti obiectaſſet, quod ipſe panis ac vini ſpeciẽ ſumeret, cæteris negaret; haud impune tulit audaciam. Subito mente captus ad Noſocomiũ adducitur. Nec ita multo poſt moritur inſanus. Complures diſsidentes ac propè inter ſe digladiantes ad concordiam ſunt adducti. Viro dignitate & opibus claro, cum ſocietatis nomen multis, ac grauibus contumelijs oneraſſet, veniam petenti facile à nobis data eſt, Inde cum ad ingenium rediſſet, rurſus cõdonatur iniuria, tandem patientia impotentem animum vicit: iam ex inimiciſsimo factus eſt amiciſsimus. Ægro crus abſcindendum erat, ne malum ſerperet longius, is cum per ſalutaria ſacramenta noſtrorumque preces robur à Deo petijſſet, adeò ad ſenſum doloris obduruit, vt ſecantis medici ferrum omnino non ſenſiſſe videretur.

Fuldenſe Collegium:

Conciones & catecheſes cum in vrbe, tũ in vicis finitimis viguerunt, nec minimo fructu. Adoleſcenti Catholico puella eximia ſpecie, cum ampliſsima dote deſpondebatur ſed ita, ſi noſtræ ędi, noſtrorumq; conſuetudini, hoc eſt religioni, nuncium re-

misisset; at ille, vt spes suas in cælo defixerat, omnia religioni post habuit. Ex hæreticorum regionibus multi ad nos diuinorum sacramentorum causa commeant. Ciuis nobilis globulorum decadas singulis templi nostri subsellijs alligauit, quibus qui ibidem orarent, vterentur, si vellent B. Virginem salutare. Germani fratres duo huc in seminarium Pontificium è Saxonia venerant, uix biennium nobis dederant operam, cum à parente domum, oblata reditus spe, reuocantur. Suspectæ erant hæreticorum insidiæ. Itaque priusquam se viæ committerent, aduersus omnem casum nostrorum consilijs pectus munierunt. Vbi ad Patrem peruenerunt fatetur ille, idcirco eos ab se reuocatos, vt in proxima Academia litteris studerent: tum illi ita se ab Iesuitis institutos dicere, vt dicto audientes essent parentibus; nullamq; in ipsis moram futuram. leni filiorum responso patris suspicio sublata, & consilia fracta nam cum illi deinde seminarij Pontificij commoda, contubernales, studia, progressus in litteris commemorassent, eorum precibus adductus pater eos à talium rerū peritis interrogandos curauit, qui facto ingeniorum ac doctrinæ periculo, magnopere parentem hortantur, vt eos institutum studiorum cursum absoluere pateretur. Ita boni adolescentes subdolas parentis artes cedēdo vicerunt. Scho

læ auditoribus, ædes nostræ bonis auctæ. Ex amicis duo centenos aureos, vnus hortos legauit. Abbas Fuldensis Collegium ab se conditum tueri non desistit, haud liberalior nostri huius domicilij conditor, quam patronus.

Collegium Heilingenstadiense.

HEilingenstadij quoque vtiliter elaboratū est. Ad Catholicam fidem adiuncti vndeuiginti. In his mulier fuit, quæ cum Caluinianam cœnam obiisset grauissimis conscientiæ facibus, horrendisque spectris cœpit agitari; neq; prius consistere animo potuit, quam sacerdotis nostri opera ad auitam religionem recepit se. Catechisticę exhortationes, nec in vrbe, nec in pagis finitimis suo fructu caruerunt. Sed duo Catechistę è nostris magnum periculum adierunt. Hos domū ex vico quodam reuertentes repente duo, agrestes homines, alter sclopeto, alter hasta adorti sunt in via. Sed sacerdotis comes Deo beneiuuante, pręsentia animi præsens periculum discussit, is vt vidit sclopetum adducto silice in patris pectus intentum, subitò prosiliit, & momento temporis huic tormentum, illi hastam extorquet. Subinde nostri, cum in eos Magistratus animaduertere statuisset, impetrarūt, ut cum expiatione conscientiæ constituta pœna commutaretur. Rite confessi liberi dimit

tuntur. ita nostri maleficium beneficio vlciscuntur. Nostrorum officia ægris prǣstita ad par studium alios excitarunt. Mulier rustica, sed quod res docuit pia, vnum è nostris conspicata Heluetio ægroto operam dantem, Heluetium illum in suum tugurium asportat, eumq; non secus ac filium vnà cum filio curare instituit. Interim contagione morbi uir eius moritur, fœmina autem virili animo, & si viro orbata, non prius ægrum illum deseruit, quam sanum, ac valentem conspexit. Subinde noua res Catholicorum in vrbe hæretica multitudinem ostendit. Archiepiscopus vicinus amplius tria millia quingentos sacro Chrismate confirmauit. In his matronas duas longè clarissimas, quinquagenariã vnam, alteram sexagenariam. Sunt his locis cœnobia duo sacrarum Virginum è Saxonia, quarum inuicta in religione constantia Hæreticorum conatibus egregiè restitit. Igitur Saxonicarum Virginum fama ab hinc biennio Romam perlata, Pontificem max. impulit ad eas collaudandas, & appositis muneribus colendas. Quippe singulares indulgentias, & ipsis largitus est, & ijs qui earum religionem tuerentur, Adiecit agnos Dei, globulos piaculares, & sacras ex ære icunculas, aliaq; eiusmodi, magna his locis, vel propter egregios vsus, vel propter rerum nouitatem munera. Hasce nos Virgines

Vica-

Vicarij missu adijmus, & in altero cœnobio xx. in altero xxxxiij. salutaribus mysterijs refecimus, eisq; Pont. max. dona distribuimus. Incredibile dictu est quanta illę lætitia sunt affectæ, quod sibi contigisset, vt inde vsq; ab vrbe Roma talia munera ab ipso Pontifice max. ad se transmißa apud se haberent. Mirum autem quiddam, & memorabile accidit. Virgo erat quæ reliquis ad sacram mensam accedẽtibus, vna ex omnibus tanti boni expers manebat, Hęc cęteras obseruans animaduertit, eis à sacerdote cœlestem panem diuina luce circumfusum impertiri. Qua specie commota, sub sacrum cum lacrymis ad sacerdotem accessit, & expiato confessione animo, rogauit ut ipsa quoq; cœlestis illius boni fieret particeps.

Collegium Molshemense.

Molshemenses Socij etiam in magna tẽporum commutatione sui similes extiterunt. Cum Molshemium proximo anno exeunte in manus hostium deditione venisset, Rector socijs ad alia societatis loca dimissis, Card. Lotharingum, Argentinensem Episcopum prosecutus est in Lotaringiã. Inde Tabernas (oppidum idest tria millia passuum à Molshemio) reuerti iubetur, vt legationis de pace exitum expectaret. Ibi ille ne-

cessaret, ita laborem cum socio partitur, ut alter ad populum, alter ad præsidiarios milites sermonem haberet. Paucis diebus eiusmodi specimen Societatis nostræ dederunt, vt oppidani illos Molshemenses socios apud se domicilium collocare vellent. Vbi pax necessarijs magis, quam honestis conditionibus conuenit; Rector Molshemium remigrauit, ibi magna senatus ac ciuium gratulatione exceptus domestica omnia salua atque integra offendit, præter frumentum, vinum, penum, bonamque supellectilis partem. Ac permirum nobis accidit, quod armarium in loco aperto positum, vbi in repentina profectione sacras reliquias, & pretiosa altarium ornamenta incluseramus, hæreticorum in scrutando, ac prædando curam fefellisset. Cæterum cum nostri ex fuga reuocati Molshemium remigraßent, in vacua domo (quod necesse fuit) omnium pene rerum inopia laborabant. Sed amicorum liberalitas nostræ necessitati subuenit. In quo Cardinalis Lotharingus primas tulit, qui cum ædes nostras adisset, & illata nobis damna spectasset, in multos menses frumentum suppeditauit. Ad hæc bibliothecam compluribus, neq; ignobilibus libris locupletauit. Nostri post reditum ad pristina concionum, cathechismi, confessionum munera se retulerũt; nec frustra. quatuor ab Hæreticis abstractis

complures ad bene pieq; viuendum adducti. Scholæ item Ciuium precibus restitutæ satis vigent.

Collegium Confluentinum, Monasteriense, Paderbonense.

TReuirensis Archiepiscopus Collegij conditor ædificium ab hinc biennio inchoatũ magno sumptu extruere, atque ornare instituit. Idem nos tertio fermè quoque die interuisit, sanè quam familiariter. Spectauit iucundissimè tria data à nobis dramata, S. Ioãnis Baptistæ pueritiam, sacrificium Caini, atq; Abelis, & immolationem Isaaci. Cleri item, Senatus, populiq; Confluentini magna in nos obseruantia. Templum non modo sacra supellectile, sed etiam sacris S. Ioannis Baptistæ Patroni nostri reliquijs (Quippe & maxilla, & digitus index sanctissimi illius viri nobis donatus est) singulari Dei, hominumq; beneficio, auctum. Eius diei celebritatem tum Indulgentia Pontificis Max. tum Archiepiscopi præsentia insigniorem fecit. In oppidanis colendis non inutiliter opera à nostris posita est. Quindecim hæretici ad auitam religionem redierunt. Complures dubitationem abiecerunt. In his vnus ab

impijs hominibus diabolisq; vexatus ad Catholicos confugit, & religionis causa domesticis commodis ærumnosum exilium prætulit. Cœnobium Virginum à nostris ad veterem disciplinam reuocatum ea fama esse cœpit, vt complures virgines certatim eò recipi studeant. Monasterij, & si difficillimo tempore carissimaq; annona, discipulorum numerus amplius mille capitum fuit. His non plus in doctrinis capessendis, quam in tuenda religione laboris ac negotij fuit. Nam vt per Quadragesimam carne abstinerent, à parentibus ac domesticis omnes contumelias indignitatesq; pertulerunt. Verum ad extremum pia constantia impiorum pertinaciam vicit. Itaq; parentes liberis cibaria, quę vellent concesserunt. Et puerorum exemplum apud adultos etiam valuit, vt ipsi quoq; carne per id tempus careant. Ita paulatim in restituenda veteri Ecclesiæ disciplina satis profectum est. Constat opulentum institorem palàm confirmasse, iam dena halecum dolia per maioris ieiunij tempus distrahi, cum antea vix vnũ distraheretur. Gymnasium nouũ ab hinc biennio institutum, hoc demum anno perfectum atq; absolutum est. In eius in auguratione Ioas tragædia acta, maxima nobilitatis populiq; frequentia, præsente Episcopi Suffraganeo, & Ciuitatis magistratu. Inde oratio de societatis in erudienda iuuentute

consilio habita, cum carmine tum Græco, tum latino. Accessit tertio die distributio præmiorum cum festiuo dialogo. Exceperunt deinde variæ disputationes publicę non sine magna auditorum approbatione. Cum energumenis, nobis hoc anno, plusquam cum hæreticis negotij fuit: quinq; enim à Diabolis vexatos nostri liberarunt. In his mulier fuit, quæ missu Senatus verbensis ad nos cum literis commendatitijs venerat. De Paderbonensibus socijs, quia eorum annales litteræ perlatæ nō sunt, nihil habemus, quod scribamus.

Sedes Erfurdiana, Hildesana, & Embricensis.

ERfurdi duo nostri Sacerdotes plusquam pro numero in iuuanda propagandoq; religione profecerunt. Septingenti ferme ad sacram confessionem, paulo pauciores ad sacrosanctam Eucharistiam adducti. quatuordecim ad auitam fidem reuocati. Solenni supplicatione circūgestatum Christi corpus, tam longo Catholicorum ordine, tanto Symphoniacorum, tubarum, lituorumq; conuentu; tanto denique ad maiestatis speciem apparatu, quantum in his locis etiam patrum memoria viderat nemo. Ipsi impiorum Duces dicuntur ad Iesuitarum nomen contremiscere,

re, eorum occursum declinare. si fortè occurẽrint, obiecto crucis signo (quod etiam suos facere iubent) aspectum auersari, in quo quidem illud est commodum, quòd homines à cruce alienissimi quocunque animo id faciant, salutare signum crucis usurpant. Illud incommodè accidit quod nos falsis criminationibus in tantam senatus populiq; inuidiam adduxerunt, vt pleriq; eorum nobis decedant, nostrum aditum, sermonemq; defugiant, ne quod ex contagione incommodum accipiant. Itaq; non dum facta nostris potestas est verba faciendi ex superiore loco ad populum. Sed vt speramus dies aperiet veritatem; & impudentissimorum hominum mendacia coarguet.

Hildeseæ totidem sacerdotes æquiore senatu ac populo sunt vsi. In concionibus catechismo, confessionibus audiendis haud inutilem operam collocarunt. Catholicis adiuncti sunt quindecim. In his unus tantos aduersus hæresim spiritus atq; animos sumpsit, vt ipsis olim magistris suis terrori sit: Catholicæ vero fidei haud dubio Deus miraculo fauit. Duo erant fratres nobili loco nati, qui nuper ad Catholicos transierant. Horum alterum cum grauis febris urgeret, alter ad nos curru delatus Sacerdotem nostrum ad fratrẽ adduxit, hoc consilio, vt eius animum rite procuraret. At æger vbi sacerdos sacra my-

steria


steria eius animo adhibuit, repentè corporis quoq; valetudinem recepit, Lutheranis amicis, qui aderant, stupore attonitis. Domus erat, quam multos iā annos diaboli spectris, ac varijs pestibus infestam habebant, vt homines, & pecudes ignotis morbis contabescerent, frumentum ac cibaria corrūperentur. Omnibus remedijs frustra tentatis, itum est ad nos. Sacerdos noster vniuersa familia sacramentis expurgata; ædes quoque exorcismis expiauit. mirum dictu. continuo homines, & pecudes pristinæ valetudini restituuntur; tecta ipsa dæmonum terriculis liberantur. Idem Sacerdos Virginum cœnobiū, quod propter intestinas discordias ad interitum ruere videbatur, constituta inter eas pace, in pristinum statum restituit.

Embricenses socij, vt initia Collegij iacerè conantur, collegiorum officia præstare institerunt. Iamque ex finitimis vicis plurimi adolescentuli nostram in disciplinam se tradiderunt; & hæreticis licet orti parentibus (ipsi enim parentes liberos ad nos vltrò deducunt) sacramentis confessionis, & Eucharistiæ crebro vti cæperunt. Domum è scholis reuertentes Christi ac B. Mariæ laudes per vias & compita canere consuerunt, cum Sacrosancta Eucharestia solemni supplicatione per vrbem circumferretur; nostri discipuli singulari modestia ac significatione pietatis reli-

reliquijs ſpectaculo fuere, quippe qui ne imbri quidem adduci poſſent, vt operto incederent capite. Per ſtudiorum inſtaurationem præmia ſunt diuiſa victoribus maxima ciuium frequentia, & plauſu, Catechiſmus in ſchola pueris traditus in aliorum quoq; qui ad audiendum conueniebant, inſtitutionem redundauit. Pueri etiam domos regreſsi domeſticorum magiſtri ex diſcipulis extiterunt. Sed nouus exortus in vrbe motus noſtram diſciplinam illuſtriorem fecit. Vetus erat conſuetudo, longo vſu corroborata, vt diſcipuli in contubernia diuiſi à Rectore Gymnaſij, qui in eos ſummum haberet imperium, pædagogos acciperent, eiuſque animaduerſionem ſubirent. Sacerdos quidam diſcipulos noſtros, quos domi ſuę habebat, Rectoris cognitioni animaduerſionique ſubtrahebat. Rector ius ſuum obtinere conabatur. At ille vno ex veteribus ludi magiſtris ſibi adiuncto, rumores ſpargebat, velle noſtros in vitas ciuium inquirere. Itaque Rector dimiſsis per finitima oppida, in quæ diſsipatus rumor peruaſerat, litteris, facti ſui rationem ita expoſuit, vt omnibus probaret. Neq; enim conſtare poſſe diſciplinam, niſi diſcipulorum mores Rector cognoſcat, & vitia corrigat. Simulq; vrbis Iudex Decani iuſſu ſtatuit, vt ſacerdos ille aut Rectori audiens eſſet, aut contubernium dimitteret. Quin etiam

etiam Decanus ipse, homini contumaci sacris interdixit; & ciues ab eo liberos suos omnes ad vnum auocarunt. Ita ille cum suo magistro desertus ab omnibus, cum nostris rediJt in gratiam.

PROVINCIA POLONIA.



OCIORVM quos Prouincia Polonia hoc anno habuit, summa fuit circiter trecentorum septuaginta. In Collegio Vilnensi vnde saxaginta. In Cracouiensi probationis domo triginta nouem. In Professorum domo vndeuiginti. totidem in Pultouiensi Collegio. In Brunsbergensi vndetriginta. In Posnaniensi totidem. In Iaroslauiensi xxx. in Lublinensi vnus & xx. In Polocensi, & Niesuiziensi seni deni, viginti septem in Calisiensi; duo & xx. in Derpatensi. In Regensi quatuor & xxx. In Sede Leopoliensi quinque. In Gedanensi duo: in Suetia quatuor. Adsciti in Societatem duodequadraginta, mortui tres.

Colle-

Collegium Vilnense.

Vilnæ a nostris opera præclarè est posita: Octoginta partim hæretici, partim schismatici ad Ecclesiam Catholicam redierunt. In his Caluinianus minister, qui in æde nostra cum concionatorem nostrum de hæreticarum opinionum inconstantia è superiore loco disserentem ad populum audisset, suos errores detestatus est, tãto doloris sensu, vt illo ubertim flente, concio lacrymas tenere non posset. Ex eadem disciplina resipuerunt matronæ nobiles duę, quarum altera nobilissimi, ac potentis viri vxor, frementibus nequicquam hęreticis, imprimisq; eius viro, luce ac palàm in æde nostra catholico ritu, sacramẽta percepit; & gratias Deo impense agens hymnum Te Deum solemni symphonia alternis choris decantandum curauit, ingenti gaudio piorum. Iudæi item tres, Tartari duo baptismate abluti sunt. Porrò societatis Gymnasium satis frequens est: plurimaq; in eo nobilitas, quę non magis bonis artibus, quam pijs moribus informatur, & doctrinæ quidem suæ specimen dedit, cum sæpè alias tum uero in funere Alberti Radiuilij Ducis Lituani, quòd certatim pro se quisq; vario carmine decorarunt. Simul repentinus tanti viri casus apposito dramate deploratus est, cui

dra-

dramati Cardinalis Radiuilij Ducis germanus frater, alijq; complures Regni proceres interfuerunt, mista dolori voluptate. Pietas autem discipulorum præcipuè sodalium B. Virginis maximè illa die declarata est, quo die acerbissima Christi Domini mors anniuersaria cæremonia colitur. Etenim ad Christi monumentū magnificè à nobis extructum procedentes semel atque iterum in sua terga sæuierunt, & suo exemplo alios ad simile factum excitarunt. Ex hoc numero in Societatem cooptati sunt quatuor in alias religiosorum hominum familias quinq;. Magna item extat erga nos beneuolentia Catholicorum hominum, etiam Principum. Cardinalis Radiuilius, cum huc Cracouia ad funus fraternum se contulisset, iustis fratri persolutis, e vestigio ad nos diuertit, & omisso epulo solenni, multisq; principibus viris, apud nos cœnauit. Stanislaus autē Radiuilius germanus eius frater villā nobis suburbanā cū suo fūdo attribuit ad oblectationē, relaxationēq; nostrorum. Satis constat hanc Villam eam esse in qua villa primum in Lituania initium factum sit lutheranæ sectæ prodendæ. Ita Dei immortalis consilio factum videtur, ut quod primum in Lituania Lutheranæ pestis receptaculum fuerat, salubre societatis rus fieret ad pestem illam è Lituania depellendam. est enim locus natura peramænus, vndique

nemoribus cinctus, & quod caput est ab hominum oculis remotus. Nec domi solum nostri rem bene gesserunt, sed etiam foris. Sępe numero in finitima oppida commearunt, oppidanosq; salutaribus præceptis imbuerunt. Præcipuus fructus in Samogitia vrbe præcipua constitit, quæ Vrbs cum à Lutherano Domino oppressa amplius xx. annos in hæreticorum ditione ac potestate fuisset, morte domini liberata Catholicæ Ecclesiæ se adiunxit. Dimissi etiam alij per Samogitiæ vicos nostri sacerdotes rem Catholicam non parum adiuuerunt. Confessiones auditæ sunt plurimorum, qui ante quinquagesimum annum aut etiam nunquam omnino confessi erant de peccatis; complures baptizati; non pueri solum sed etiam adulti, quod sæpe numero cum liberis parentes ad baptismum accederent. Praui etiam mores emendati, superstitiones sublatę, quæ in animis multorum penitus insederant. Persuasũ vulgo habebant, mortuorum animos cibis vesci. Proinde præcipuum exequiarum munus erat, mensas eo ciborũ genere extruere, quo mortuum cum viueret, maximè delectatum eße constaret. Ex his dapibus vbi aliquid decerptum, ac delibatum erat, à viuis, submensam iactabatur, vt ad mortuum illum de mensa aliquid mitteretur. Cautum etiam est ne rustici (quod facere consuerant) telluri sacra facerent, ne ue lares

dome-

ſticos colerent, multiſq; perſuaſum, vt aqua luſtrali, cæteriſq; eiuſmodi rebus ad abigenda veneficia, ac faſcinationes (quibus ea gens maximè obnoxia eſt, vterentur. Ad hęc nõnulli quorum animi ad ſchiſma Græcorũ inclinabant erecti, & in fide Catholica confirmati.

Collegium Pultouienſe.

Nobiles ac Principes viri vſq; eo addicti ſunt Societati, vt cum ad cætera Religionis officia, tum vero ad funebres conciones non niſi ſocietatis homines velint adhibere. Complures ab hæreticis abducti, vnus à Turcis. Adoleſcens honeſto loco natus, cũ in Turcarum poteſtatem veniſset, vi ac minis adductus deſerto Chriſto, ſe ad Mahometem aggregarat, Is quinquennio poſt conſcientiæ ſtimulis incitatus Pultouiam profugit; ibi à noſtris inſtitutus Mahometis ſectam in æde noſtra magna doloris teſtificatione eſt deteſtatus, maxima hominum frequentia, & Antiſtitibus aliquot præſentibus: Bathoreus Cardinalis pro ſua erga ſocietatem beneuolentia quoties hac iter facit, noſtros interuiſit, ſeq, pueriliſ diſciplinæ, qua in hoc Collegio imbutus eſt, omnibus ſe memorem præbet. Conuentus prouincialis ſocietatis, cum hic ageretur & Epiſcopi, & Regis liberalitate ſuſtentatus eſt. Vir magna nobilitate atq; an-

thoritate Abbas declaratus nõ prius munus illud obire voluit, quam apud nos pijs commentationibus se se exerceret. Parthenia sodalitas multos alijs religiosorum cœnobijs, decem societati Sodales peperit. In his sacerdotem qui cum omnibus huius ciuitatis Antistitibus, tum verò ipsius Episcopo admirationi fuit,

Collegium Posnaniense, & Brunsburgense.

E*T Posnaniæ nostrorum opera fructuosa pijs pariter atq; impijs fuit. In Gymnasio satis frequenti adolescentuli ad sexcentos viginti bonis litteris, ac moribus instituti. in his complures nobili genere nati non modo ipsi castè sãcteq; uiuunt, sed alios quoq; exẽplis, & hortationibus ad parem laudem accendunt. Quatuor libelli, latino sermone duo, totidem Polonico ab vno è nostris contra hæreticos sunt editi, magno Catholicæ Religionis bono; obiecerant nobis impietatis ministri quæstiones quinquaginta ex media antiquitate depromptas. Quæ omnes Deo bene iuuante, & latino & patrio sermone sunt profligatæ. Ipsi quoque hæretici magnificæ Domus, quam coëmere quingentis florenorum millibus conabantur possessione deiecti,*

appo-

apposito catholico licitatore, qui multo plus liceretur, ne tam speciosam sedem inter Catholicos haberent hæretici. Ad auitam religionem traducti sunt amplius nonaginta, in quibus multi magna nobilitate, & gratia inter suos; vt iam perpauci proceres reliqui sint, qui hæreticis studeant. Ex hoc numero Anabatista xxij. annum agens, hoc demum anno rite est baptizatus. Ciuis ex hæretico catholicus abiecto mentis errore; dissolutionem tamen remissionemq; animi retinuerat. Is graui oppressus morbo, desperata à medicis salute, aliquando resipuit. Ex concepto voto sacræ confessionis, paulo post sacri olei beneficio valetudinem recuperauit. Complures item apud nos pijs commentationibus mentes exercuerunt suas; in his sacrorum antistites tres, atq; vnus insignis sacerdos. Auctum etiam hoc anno, & templum ædificio, & collegium vectigali. Palatinus Posnaniensis ad templi absolutionem iussit florenos nobis quingentos numerari. idem collegio mille florenos attribuit. Mareschallus autem Regni pridie quã moreretur, annuum vectigal nonagenorum florenorum legauit societati.

Socij Brunsburgenses è scholis vberem fructum perceperunt. sex in societate nostra, quindecim in Cisterciensi familia se se Deo dicarunt. Pontificis Nuntius Regem in Sue-

tiam prosequens cum ex Cardinali Bathoreo, Varmiensi Episcopo de Societatis collegio co gnouißet, homo nostrorum hominum, quòd apparet, cupidus, ex itinere nos adijt, ac per humaniter salutauit. Exceptus à nobis appo sito dramate, et varijs carminibus resalutatus hilarior etiam quàm ad nos venerat, ire per- rexit. Ab Hæresi auulsi amplius xxx. in his consul Ciuitatis vir vt authoritate prin- ceps, ita Catholicæ Religioni maximè infen- sus, infestusq; . Is cum amplius Quinqua- ginta annos senatum sollicitare, corrumpere quos posset, Ciuitatem perturbare nunquam destitisset, tandem ipse pertinacia destitit, ma ximo ciuium bono, & scilicet suo.

Collegium Iaroslauiense.

ET hic fructuosus nostrorum labor extitit. Triginta partim hæretici, partim schis- matici ad Catholicã Ecclesiã se receperũt. Cõ- plures istiusmodi rerũ ancipites dubitationes abiecerunt. In oppido finitimo Hære ticorum Ministri, cum ad se iri viderent, vt certamen defugerẽt turpissimè è nostror ũ conspectu se proripuerunt. Diaconus Schismaticu s stolide ferox, cum capita quædã suorũ errorũ nobis ad disputandum proponere ausus eßet, dein- de causę suæ diffisus, ne per vim quidem ad certamen pertrahi potuit. Discipuli pestilen

tiæ terrore dilapsi iam redeundi ad scholas initium fecerunt. Ad eos colligendos celebritatemq; Gymnasij Philacangelus Tragicomędia acta maximo apparatu. quippe Armenij mercatores, qui per id tempus huc ad mercatum venerant, benignè nobis quęcũq; opus erant, commodarunt. Magistrorum diligentia, discipulorumq; progressus impulit complures hæreticos, vt liberos suos à suorum scholis auocatos in nostram traderent disciplinam. cætus B. Virginis & numero & pietatis laude floret in dies magis. Omnes vulgo corrogata stipe ęgros iuuare, pauperum pedes abluere, ad omnia fermè seruilia ministeria Christi causa descendere consuerunt; supplicationibus etiam solennibus se flagris grauiter cędunt. Ex his duo Sancti Francisci disciplinam amplexi sunt. Virgines item complures repudiatis procerum illecebris Christo se se deuouerunt. Sacerdos è nostris ab Episcopo luceoriensi euocatus, concionibus, & exemplis omnem eius diœcesis clerum ad studium pietatis accendit, Catholicos iuuit. Hæreticos quatuor (in his vnum inter illos Cathechistam, nec indisertum nec imperitum) in viam veritatis reduxit. Schismaticos quinque è Russia ad Pontificis Max. authoritatem reuocauit. In his vnus fuit genere, litteris, & usu rerum gerendarum clarus, cuius authoritas apud alios multũ mo-

menti existimatur habitura. Episcopus noster cum alijs rebus tum crebris muneribus suam in nos beneuolentiam testatam esse voluit. Dux Ostrogiensis iunior, & si schismaticus, quamdiu in hac vrbe commoratus est, sæpenumero collegium nostrum familiariter adijt nostrorumq; hortatu sacrosanctum Christi corpus in solemni supplicatione est prosecutus. Idem & disertissimas nostrorum conciones, & sacrorum apparatum, non sine admiratione laudauit. Templum magno artis miraculo pulcherrimè concameratum est; quod plerique fieri posse non putabant.

Collegium Lublinense, & Callisiense.

LVblini funestus hic annus pestilentia fuit quæ tamen illustrauit virtutem, sedulitatemq; nostrorum. Tres ex his qui domi relicti fuerant ad subleuandam lue laborantem Ciuitatem, morbi contagione absumpti, in his sacerdos vnus, cuius eximiam in ægris omni ope atque opera iuuandis caritatem grata omnes memoria, & comemoratione prosequuntur. Postquam abijt pestilentia, nostri qui in salubriorem locum successerant, ad pristinā munera redierunt: nec sine fructu laboratum est. circiter xxxv. ab hæresi, aut schisma-

le discesserunt. In his Anabaptista vnus, in ea secta à paruulo educatus, qui à nostris catholica Religione imbutus ipso die Christo resurgenti sacro, baptismali aqua renatus est. Alter Adolescens à patre hæretico, quod Catholicæ religioni studeret, in vinculis & catenis habitus, tandem Lublinum profugit, seq; per nostros adiunxit Ecclesiæ. Mulier item venefica, concionibus nostrorum permota, relictis malis artibus ad bonam Catholicæ vitæ frugem, se recepit: Ciuis honesto loco natus, cum morbo comitiali conflictaretur, sic vt plerunque vicies eoque amplius affligeretur in die; ad extremum sacra confessione apud nostrum sacerdotem peracta, ac voto B. Mariæ Erestotouiensis (id templum est in exiguo vico miraculis inclytum) adeundæ facto, plane conualuit.

Callisij nostrorum opera quatuor viri, totidem fæminæ repudiatis impijs erroribus, ad Catholicam fidem aggregarunt sese. Vnus è Russia, qui puer abductus à Turcis in seruitutem, execrandis eorum sacris initiatus fuerat; cum ex fuga se huc recepisset, ad Christi signa reuocatus est; Sacræ confessionis beneficio nonnulli à spectris, et terriculis Dæmonum, alij à morbis insana bilibus liberati: Puella decennis, paralysi affecta brachij vnius, & linguæ vsum amiserat. Ad eam sacerdos noster domesticorum accitu venit, qui

paulisper Deum precatus, capiti eius manus imponit, sacram aquam aspergit. Repente illa salutare Iesu nomen elocuta, eademque manu qua modo capta erat, signum crucis ducens confessionem instituit peccatorum. Sacerdos noster Archiepiscopi (qui idem Collegij nostri author est) inuitatu ad Synodum Diœcesanam profectus cum alia multa Ecclesiasticæ disciplinæ salutaria decernenda, tum seminarium Clericorum stabiliendum sanciendumq; curauit. Duos Adolescentes nobiles Polonum vnum, alterum Ruthenum ab Hæreticis auertit. Complures item alij per alios à prauis opinionibus abstracti. In his adolescens illustri loco natus, qui constanti animo parentis hæreticæ querimonias, minasq; contempsit; eius exemplum alter pari nobilitate & euentu secutus est. Duo præterea magna nobilitate Catholicam fidem secuti, familias quoq; sua authoritate traxerunt. Vir primarius ex moerore Dæmonũ spectris & quasi furijs agitatus, cum de sua vita grauius consuleret, sacræ confessionis, & cõmunionis ope recuperauit pristinam mentis sanitatem. In discipulis quoq; erudiẽdis fructus labori respondit. Addita hoc anno schola moralis Theologię, quam ut principia se dant, sacerdotum seminarium fore speramus. Ad Christi sepulchrum sodales B. Mariæ in precibus pernoctarunt, idemque postea fecerunt in qua-

dra-

draginta horarum supplicatione egregio virtutis, ac pietatis exemplo.

Collegium Polocense, & Niesuiesiense.

Conciones habitæ sunt à Polocensibus socijs domiq; forisq; non minimo fructu. Schisma deposuerunt decem, Hæresim duo, vterque vir egregius, alter in ædibus suis tẽplum ædificaturum se recepit. Scholarum discipulorumque nostrorum illustrauit nomẽ Athalia Tragicomędia summa vel actorum venustate, vel voluptate auditorum acta, quæ etiam hæreticis quibus hæc Ciuitas abundat mirifice placuit. Deriuatum est etiam aliquid operæ in finitimos pagos, atque inde aliquis fructus relatus. Catholici in fide confirmati, & ad pietatis officia eruditi. Hæretici partim mitiores redditi, partim palam redarguti. Tres ab hæresi totidem à schismate exempti.

Nec minor Niesuiesij fructus. Amplius viginti à schismate discesserunt, vnus Zuinglianus Catechista publice in nostro templo Zuinglium repudiauit, & Catholicam fidem complexus est, præsente Lituaniæ cancellario qui per eos dies pro sua eximia pietate, singularique in nostrum ordinem voluntate, apud

nos colligendi sui causa diuersabatur. Multa etiam confessiones auditæ multorum, qui nunquam in omni vita, quamuis iam ætate confecti sacramentum confessionis obierant: compluribus desperabundis spes salutis facta. In his vnus fuit, qui cum sua sponte collum laqueo inseruißet; & aliquandiu pependißet, ab alio expeditus est; is præsenti interitu exemptus, & ad sacerdotem nostrũ adductus diuino beneficio conseruatur. Hæreticus erat summa nobilitate, atq; opulentia; cuius familia catholica vbi cognouit; per ferias Paschatis sacerdotẽ nostrum haud procul ab eo loco sacra mysteria Catholicis impertire tẽperare sibi nõ potuit, quin etiã inuito, ac prohibente Domino, ad nostrũ illũ conuolaret. Pagi cuiusdã incolæ Schismaticis asfucti vsq; eo societatis nomen horrebant, vt eorũ aspectu territi in casas se abderẽt, et si nostri ad ianuas accederent per fenestras se se proriperẽt. Hi demũ nostrorũ humanitate deliniti, eos Catechismũ docentes audire, confitentibus operam dantes adire non dubitarunt; ita plerique eorum, & Catholica fide imbuti sunt, & sacra confessione expiati. Reperti etiam, qui durissimo anni tempore, altissima niue, nudis pedibus, ex longinquis locis ad nostrum templum contenderent. Collegij vero conditorem ex Italia reuersum discipuli nostri lepido Dialogo exceperunt, magnũq;

inge-

ingenij specimen dederunt. Eiusdem munificentia templum magnificè extructum est, & argenteo lychno præclare facto decoratum. Itaq; ipso die omnibus sanctis sacro initiatū est, ingenti bonorum gaudio & gratulatione festaque displosionē bombardarum, tormentorumque bellicorum.

Collegium Derpatense, & Rigense.

DErpati nostris authoribus, complures schisma, decem hæresim repudiarunt; In his haud imfimæ sortis mercator è Liuonia qui tam forti excelsoque animo Catholicam fidem propalam professus est, vt eam ob causam paterna domo ab impio fratre prohiberetur. Nec verò hoc ille incommodo demisit animum sed & fratrem ipsum, & Principem huius Ciuitatis Ministrum Lutheranæ sectæ ad certamen de religione prouocauit. Catholici quoque magnos in pietate progressus fecerunt. Indicio est, quod hoc anno facilè septem millia quingenti diuina mysteria rite sumpserunt. Gotus erat qui demsexagenarius, qui nunquam omnino usus erat sacra confessione, Is graui morbo cum vrgeretur, facile sacerdotis nostri hortatione adductus est, ut aduersus mortem sacramen-

mentis se se muniret. Dictu mirabile, adhibita animæ remedia, etiam corpori fecere medecinam. Ad templi nostri supellectilem ciuium liberalitate bini calices argentei accesserunt.

Rigensibus socijs ocium hocanno ab hæreticis fuit. Id adeò euenit diligentia, & beneuolentia erga nos senatus, qui multo honorificentius nos quam suos ministros tractare consueuit. Plebs senatus authoritatem secuta, & frequens ad ædem nostram conuenire solet, & adeò modestè se gerit, ut ad quietem nihil possit amplius desiderari. Ita sensim ciuitas hæretica assuescit ceremonijs, consuetudinique Catholicorum, & simul probos horum mores cum Hæreticorum improbitate conferens paulatim, & his conciliatur, & alienatur à suis. Primus Prætor Ciuitatis quem ipsi Burgrabium uocant, illustre nobis testimonium, multis audientibus dedit, cum ministrorum suorum leuitatem, inscitiã, temulentiam carperet, contraque nostrorum modestiam, doctrinam, sobrietatem amplissimis verbis prædicaret. Quæ res Societatis authoritatem apud ciues non parum amplificauit: Itaq; nostrorum hortatu tres & xxx ad auitam religionem reuerterunt, ccc. fermè in tanta Catholicorum paucitate ad sacram mensam accesserunt. Plurimi prouectæ iam ætatis, qui perpetuo sacra confessione car

uerunt

uerunt, confiteri cœperunt. Aegris duobus desperatę valetudinis sacramenta remedio fuerunt, qui triduo plane conualuerunt. Quadraginta horarum supplicatio, noua his locis res, in nostro templo satis magna frequentia est peracta. Duplex sacerdotis sacrificantis ornatus sericus sacro instrumento adiectus. Primarius Medicus Ciuitatis, tres filios suos vltro nobis in disciplinam tradidit cum diceret, se persuasum habere, eos plus apud nos vno anno, quam triēnio apud ebriosos suos magistros in litteris profecturos: neque ullis hæreticorum vocibus, negotio destitit. Ea res alijs patribus familias exemplo fuit, ita in dies discipulis augemur. Itum est ad finitimos vicos, quibus in vicis mira ad Catholicam fidem propensio cernitur. Vulgo impietatis Ministros detestantur; ad nostros verò vbicunque eos adesse cognouerint, vndique conuolant. Catholici mercatores, qui Rigam liuoniæ emporiū compēdij, quæstusq; causa multum commeant, ad nostram ædem sacramentorum causa ventitare consueuerunt. Adiuncta est Rigensi collegio Tyronum domus ex quo numero vnius extitit in proposito inuicta constantia. Is cum ab Hæreticis parentibus sanè opulentis, & per ipsos, & per summæ authoritatis viros sollicitaretur, omnium authoritatem, parentum lacbrymas, lamenta, minasq; contempsit.

Con-

Contra alteri ad nos venienti mater singulari pietate mulier in digressu cilicium, & flagra donauit, vt his armis sic (enim aiebat) sub Christo militaret.

Cracouiensis Professorum, & Tyronum Domus.

CRacouienses Socij Hereticis circiter septuaginta errores eripuerunt, ex quo numero multi fuerunt illustres & insignes viri, nonnulli suo, alij alieno malo docti. Miles perditæ nequitiæ, Argentorati Catholicorum templum cum adißet, ligneum inde B. Virginis simulacrum abripuit, quod commilitonibus inspectantibus, ita constituit, vt commode eius ceruices ferire posset. Tum districto gladio ad eos versus, videte, inquit, quã belle huic amputem caput; verum cum ne tertio quidem ictu abscindere potuißet, irrisus ab illis negotio destitit. Nihilo secius Deus matris suæ Violatorem celeriter debita prosecutus est pœna. Eodem ipso die, dum contubernales suos conuenit nefarium facinus prædicaturus, subita morte extinguitur. Aderat eius sodalis, qui vt erat eius consilij conscius, manifesta Dei vltoris ira perterritus, cum ex casu sodalis sui cultum sacris imaginibus tribuendum eße didicisset,

Catho-

Catholicam fidem appetere cœpit. Itaq; sine mora Cracouiam ad nos venit scelus execratur, Catholicis se adiungit. Schismatici quatuor ad communionem piorum reuerterunt. Mulier quæ peccatis excęcata lumen etiam oculorum amiserat, postea quam planè statuit confessione animum expiare, recuperauit etiam videndi facultatem. Duæ foeminæ quærentes aliquod egestati subsidium Dæmoni sese deuouerant; hę à nostris edoctæ cum Deo in gratiam redierunt. Rusticus metu Domini cultro se ipse transfoderat, quem moribundum conspicatus vnus è nostris, ad facti pœnitentiam sacramq; confessionem adduxit. Hæreticus propter cędem factam extremo supplicio afficiendus, nostrorum opera resipuit. & meritam pœnam forti animo luit Decem meretrices à turpi quæstu abductæ sũt ex his tres in matrimonio collocatæ, reliquæ piorum subsidijs sustentatæ. Anus venefica ad innocentem vitam traducta. Pater cum filio, qui ad Iudęos defecerant ad Christum reuocati.

Nec in Cracouiensi Tyronum Domo cessatum est. Complures Hęretici ad auitam fidem adducti. In his duo illustri loco nati, tertius Hæresiarchæ nobilis filius adolescens acri ingenio magnaq; prudentia. Quartus ex hæresi emersus ad societatis nostræ portum confugit. Ruthenus schismate implicitus dum

a no-

à nostro concionatore edoctus expedire animum errore cunctatur, in grauem morbum incidit, ita accersito nostro sacerdote, facit æger, quod valens facere differebat. Mulier quæ confessionem procrastinabat tecti ruina, & filij periculo admonita confiteri maturauit. Miles Scyta cum nullius oratione adduci potuisset, vt Christi fidem sequeretur, ad vltimum lethali vulnere affectus à socio, nostri sacerdotis hortatu ad Christum se aggregauit, ac baptismo ablutus, proximo die ad eum euolauit in cælum. Inter multos diu, multumq; dissidentes pax composita est. Adductus vnus, ut ab inimico, qui grauem sibi iniuriam intulerat, coram multis vltro veniam peteret. Tyronum virtus, & costantia ab amicis, & cognatis non leuiter exercita est Adolescens post multas, grauesq; cum parẽtibus pugnas, ad Crucis vexillum victor euasit. Alter solicitatus à suis, ut pium vitæ institutum desereret, epistola quadam D. Bernardi ad verbum descripta ita respondit, vt eis silentium imponeret, & sibi quietem pararet. Repertus est Nouitius, qui cum alterum iã mensẽ lãguore corporis, cuius naturalis nulla causa suberat, planè torperet, summa animi contentione magnum laborem subiens mollitiem exuit corporis, et eadem opera languoris authorem Dæmonum vicit. Nouitiorum ædes cubiculis compluribus adiun-
ctis

ctis commodiores sunt redditæ. Sacellum calice argenteo, sacrisque vel altarium vel sacerdotum vestibus ornatum.


Sedes Leopoliensis.

LEopoli ab hæresi ad Sexaginta, à schismate paulo minus quadraginta deducti. In his Caluinianæ sectę minister disertus, ac vehemens in maxima æde Leopoliensi, maxima nobilissimorum hominum frequentia, deposuit errores, non sine mætu, lacrymisq; multorum. Alterius Ministri vxor, cum verã religionem suscepisset, nullis nec blanditijs, nec minis, nec plagis viri sui à proposito deterreri potuit. Fuit etiam Mulier Ruthena quæ prædicaret Gregoriani maxima Calendarij ratione, se cum alijs ferme quadraginta adductam esse, vt ad Romanę Ecclesiæ authoritatem rediret. In his fuerunt duo Podoliæ Duces, Visnouocensis, & Sbarauiensis, qui cum alijs rebus tum vero cõdendis Catholico ritu tẽplis religionem suam pietatemq; declarant. Horum alter sex, alter septem assecla s heresi contaminatos ad Catholicam fidem adduxit. Nonnulli præterea à Iudæis, Turcisq; ad Christum aggregati sunt. Septem Virgines ad colendam Virginitatem adiutæ, Magistratibus amicissimis vtimur: itemq; præfecto arcis, & scilicet Vrbis Præ

 fecto,

fecto, qui idem est Palatinus scmondiensis. Is enim cum aliis plurimis nos affecisset beneficiis quinq, florenorum millia se nobis daturum recepit.

PROVINCIA LVGDVNENSIS.



OCIORVM summa fuit ducenti quinquaginta quatuor, Collegium Lugdunensis incoluerũt quinque & quinquaginta, Turorense xxv. Billomense, Auenionense, & Dimonense viceni bini. quinque, & quadraginta. Dolanum, Camberiense septemdecim, vno plus Aniciense, Domum probationis Auenionensem duo de triginta. Inierunt Societatem nobiscum tredecim, abierunt in beatorum, vt speramus, societatem sex. In his duo P. Iocobus Silesius, & Gulielmus Santemonchius pro Catholica religione mortem oppetierunt. De quorum fœlicissimo exitu, Et si fama in omnes penè regiones perlata est, tamen nostræ partes videntur, rem vti gesta est exponere, & ad posteritatis memoriam literis consignare. Atq, vt martyribus honos habeatur, nihil de cæteris huius Prouinciæ rebus at-

tin-

tingam priusquam de illorum beatissima morte breuiter dixero, qua quidem in re explorata persequar atq; testata.

Beata mors P. Iacobi Silesij, & Gulielmi Santemonchij, pro religione obita.

Iacobus Silesius à puero in Societatis disciplina educatus, ijs laudibus floruit, vt non immerito vnus penè ex omnibus huius prouinciæ socijs ad tantum honorem delectus videatur. Is quippe non modo à latinis, Græcis, Hebraicis, Caldaicis litteris, sed etiam à philosophia, ac Theologia insigniter instructus, mentem ac pectus omni virtutum genere compleuerat. Eximia in illo modestia, mansuetudo, contemptio sui, Ingens perfectæ vitæ studium, præcipuus diuini amoris ardor, quem vel ex flosculi alicuius, aut bestiolę aspectu identidem inflammabat. Collocutionis tempore quoties cum socijs ageret, Sermonem semper aliquem inferebat de Deo, diuinisue rebus. Vbicunq; versaretur, idoneum aliquem ex domesticis sibi comparabat admonitorem, à quo diligenter obseruaretur, & si qua in re per imprudentiam dicto, factoue offendisset, libere admoneretur ita fiebat, vt ne imprudenti quidem esset impune peccan-

di locus. Porrò sanctissimum Christi corpus eximia pietate, cultuq; prosequebatur. Nulla de re libentius, ardentiusue loquebatur, cũ loquendum erat cum socijs eiusq; sermonis facultatem cupidè solerterque captabat. Nullus abibat, dies quin accederet in tēplũ sæpius seque ante sacrosanctæ Eucharestiæ aram proijceret, quam singulis fermè horis piè sanctèq; colere gestiebat. Creber eius de martyrio sermo, non quasi tantum à Deo expectaret munus, sed quasi cupidissimè appeteret, præcipuo colebat honore reliquias Martyrũ, eximius fautor sanguine parte immortalitatis, ad quam cum diuina ducebat prouidentia Patris Edmundi Campiani Epistolam ad se missam, habebat carissimam; Atq; etiam quamuis diuturnis laboribus fructus, litteris Romam missis profectionem Indicam impetrare conabatur, vt esset facultas & quam plurima faciendi Christi causa, & grauissima patiendi. Sed aliam illi Deus Indiam destinarat, & ipse iam maturus martyrio appropinquabat. Oppidum est in Heluijs in Diæcesi Viuariensi Albenacum nomine, ut antiquitate, sic auita religione olim inclytũ, quod nuper Caluiniana contactum peste multum veteris amiserat laudis. Huc tuendæ rei Catholicæ causa, alij alias ex Collegio Turnonio multum commeabant; Sed Silesium cœleste martyrij donum manebat. Is Turnoni

Theologiã iam alterũ docebat annum, cũ nobilissimi viri rogatu Albenacũ profectus est comite ac socio Gulielmo sãtemõchio antiquæ simplicitatis, eximiæ pietatis, atq; obediẽtiæ viro. In digressu à Socijs cũ eos de more cõplecteretur, visus est impendentem ab Hæreticis præsagire mortẽ, & sine ambagibus prædicere. Albanici toto Aduentus Dominici tẽpore, ita verba fecit ad Populum, vt magnæ Catholicis esset vtilitati Caluinianis admirationi. Itaq, placuit primoribus oppidi, eum ad ferias Paschatis in suscepto munere permanere, nequicquam frementibus Caluinianæ sectæ magistris. Per id tempus Chiambandus quidam hæretica perfidia nobilis Albenacenses per pacis fiduciam incautos opprimere statuit. P. Silesius rem subodoratus cum priuatim Prætori, tum publicè pro suggestu populo denunciat, caueant ab Hæreticorum insidijs, pro communi salute diligentius excubent. Verum siue illi minus creditum, siue minus constanter in oppidi custodia perseueratum sit, dies prænunciatas insidias aperuit. Sexto Idus Februarij Chambandus oppidum sine vllis penè stationibus, & custodijs nactus cum magna latronum manu ad portas, noctis silentio aduolat, atque à proditoribus intromissus de improuiso vrbem occupat. Diuersabantur nostri in ædibus Varenici Iurisconsulti paulo ante demortui,

quas ciues Collegio societatis destinabant ; Ibiq; à Carolo Boyronio vno è Magistratibus publicè alebantur. Exaudito strepitu armorum, ac tumultu, id quod erat suspicati, cum circumfusis hostibus, nullum sibi patere effugium viderent, effusi in preces totos se Deo permittunt, suaq; capita eius gloriæ deuouent, vnum orant, tantum vt sibi animorum viriumq; addat, vt ne quid ipsius Societate, ac nomine indignum aut dicant aut faciant. Prima luce hostes oppidum diripiunt. Tres Caluinianæ impietatis Ministri Labatius Beor, Railletius Mairas, & Verinus Valzius, spolia sibi è nostris deposcunt. Ergo horum instinctu intromissi in tecta Sicarij nostros Deo supplicantes offendũt. confestim iactatis in eos maledictis, atrocibusque minis crumenam poscere, diligenter eos excutere, arculasque scrutari. Nec mora. paruam crucem inauratam, vbi Pater sacras aliquot reliquias cum globulis piacularibus, & agno Dei asseruabat, detrahunt è collo; pauculos libellos, nescio quid preconiolæ sudario inuolutæ auferunt. Malè illos habuit, quod longè minor spe, atq; opinione preda fuerat. Neq; enim plus triginta assibus inuenerunt, quos nostri domo extulerãt, ad necessarium vsum datos. Itaq; furore incitati in Silesium impetum faciũt, obtortoq; collo flagitant argentum. At ille nihil con-

sternatus

sternatus animo, len ac placido, vt solebat vultu, sic eos affatus dicitur. Si de nostri peculij tenuitate quærimini, nos quidem præterea pecuniæ omnino nihil habemus, sin autem nos velut bello captos in vinculis habere vultis, dum redimamur; nullum vobis pretium pro nostris capitibus paciscimur, Quod si religionis causa hæc patimur, nihil moramur, parati sumus non æquo solum sed etiam libenti animo vitam, ac sanguinē pro auita religione, & Romanæ Ecclesiæ authoritate profundere. His illi vocibus incitati vtrumq; comprehendunt, nec sine contumelijs, in Ludouici cuiusdam Caluiniani domum traducunt. Hic tres illi Ministri, quos diximus, septi armatis, armati ipsi pacata primum ac blanda oratione captos salutant. Inde ducto in longam diem sermone, varijs artibus conantur eos ad se pellicere, atque etiam altera post meridiem hora, cum adhuc eos ieiunos perstare cognouissent, homines videlicet humani ciborum aliquid iubent afferri. Dies erat Sabati, tempus fraudi accomodatum. celeriter apponitur ex carne iusculum. Id erat eiusmodi, vt imperitos specie falleret. Iamq; sorbere Silesius, fraudis ignarus parabat, cum Socius eum opportunè admonuit, vt videret, quid ageret, id sibi iusculum videri ex carne. Ergo ille fraude perspecta, quod appositum erat

remisit, negans se eo, saluis Ecclesiæ legibus, vti posse. Hac Ministri occasione inuitati, Silesio adhuc ieiuno saturi ipsi, quæstionem de ciborum delectu, itemque de libero hominis arbitrio ponunt: quæ ab illo super his rebus dicuntur, oppugnare conantur. certatur vtrinque acriter, & si inique comparatum erat certamen, cum inermis & captus cum armatis, iratisq; pugnaret; Sed capta, & inermis virtus non erat, quæ accerrime pro se ipsa pugnabat. Itaq; ad extremum Ministri causa et rationibus inferiores se se ad verborum contumelias, ac maledicta conuertunt. Quod vbi animaduertit Silesius, rem non ratione, sed iracundia ab his geri, vt iurgijs finem imponeret, libellum de sacramentis ab se olim scriptum, quem fortè penes se habebat, eis offert, additque quoniam in tantis clamoribus, atque conuitijs nullis sit veritati locus, si cognoscere velint, quid ipse sentiat, & cur ita sentiat, eum libellum perlegant, vt videant ecquid habeant, quod opponant. Arripit libellum Raillctius (quem hodie propter multiplicem eruditionē carissimum habere & diligenter aßeruare dicitur) & cum reliquis ministris repentè consurgit, cunctiq; pariter victis similes se se e conspectu proripiunt, Silesium sub noctem per frigida tempestate, seminudatum, ac ieiunum sine cibo, sine strato militum petulan-

tiæ

tiæ illudendum, ac vexandum relinquunt. Postero die (is erat Dominicus) Ministri cibo ac somno refecti ad oppugnationē inediæ, vigiliaq; confecti Silesij reuertuntur, acris de Eucharistia instituitur disputatio. vrgent, instant, non minus clamoribus, quam argumentis, refellit ille omnia forti animo pariter ac sedato, eosq; vicissim grauissimis rationibus configit, vt ipsi hostes erectiorem malis animum mirarentur. Iamq; suæ illos pudebat inscitiæ, cum Labutius admonitus instare tempus concionis, in ædem accurrit, ascendit in suggestum, & è re nactus garriendi argumentum pro concione in Papistas, ac Iesuitas, ipsumq; Silesium debacchatur. Ad extremum Eliæ scilicet exemplo, qui Baalis Profetas interfecerat, imperitam multitudinem ad Silesij eiusq; socij cædem impellit. Illum igitur è concione digreßum viginti circiter armati sequuntur, & in tecta irrumpunt duce Labasio quibus in tectis Silesius adhuc reliquis duobus Ministris de religione respondebat. Tum sergentius latronum illorum dux minaciter Silesium appellans, exi foras, inquit, scelestè, quid cessas? in publico tibi moriendum est. & Silesius præsenti animo. ego vero exeo, inquit, Deo Duce, cuius causa mori paratus sum. Exin ad Gulielmum versus. Quid te fiet, inquit, Frater? bono animo es, videri quanti ex

quan-

quantulis futuri simus? Paulum ex eo loco progreßus iubetur consistere. Paret ille, & suspicatus id quod erat illum ab hostibus captum supplicio locum, orare hominem institit, vt liceret sibi, & sua & ipsorum causa paulisper Deo supplicare. Breui spatio egre impetrato, Apostoli Iacobi, cuius nomine appellabatur, memor, etiam mansuetudinem in inimicos æmulari cœpit, & modo decussatos in crucis formam pollices osculaturus labris admouebat; modo sublatis in cœlum, aut in B. Virginis ædem oculis submittebat, genua, & supplex magna voce (& si impuri homines eius os luto compleuerāt) veniam inimicis identidem orabat à Deo; aliàs Christi Domini, alias Protomartyris Stephani vocem vsurpans. Interim Sergeatij iußu miles à tergo Silesium supplicem adortus admoto igni eius humerum sclopo appetit. Quo ille ictu afflictus corruit pronus, ac pene exanimatus. cum Iesu nomen inclamaret, ferro confoditur, ac paulo post ad eum quem moribundus implorabat, martyrij decore ignis euocatur in cœlum. At Gulielmus nihil eius casu territus, sed ad æmulandā virtutem accensus complectitur morientem, rogatq; ne socium comitem, commilitonem suum deserat, eadem quam ipse ingreßus esset via sequi paratum. His rebus incitati milites eum circumsistunt, clamoribus territant,

tant, & quo grauior, ac diuturnior sit cruciatus, pugionibus configunt. Ille interea se ipse adhortabatur, constantiam breuis cruciatus, æternum sibi præmium proponebat, & doloris acerbitatem dulcissimo Iesu nomine leniebat. Demum confectus vulneribus exanguis in terram collabitur, brachisq; ad pectus in crucis modum conformatis, extinguitur & victoriæ socium Silesium pari cum palma subsequitur in cælũ. Nec verò immanis hæreticorũ rabies sanguine, ac cæde piorũ satiari potuit. Iacobum planè nudum, Guilelmum cũ conciso vulneribus indusio, ex via in plateã per cænosa pertrahunt loca, & funebrem Catholicorum pompam per lasciuiam illudentes vestimenta cæsis detracta pullarũ vestiũ instar, militaribus superiniĳciunt sagis & solennes exequiorũ precationes incõditis vocibus imitantur. Vbi tandem vesanis, atq; importunis latronibus illudendi, irridendique finem defatigatio, ac satietas attulit, sergentius non dum Iesuitarum cruore, ac ludibrio satiatus seuerè edicit atque interdicit, ne quis mortuos sepeliat. Tandem diebus aliquot intermissis; expletis iam oculis atque animis hominum cruento illo spectaculo, in ruinosi templi angulum cadauera raptari, atque humari iubet, ita beati Martyres ipsorum inimicorum opera, sacrato in loco adepti sunt sepulturam. Hic fuit

gloriosus Patri Iacobi Silesij, & Gulielmi Santemonchij exitus, quem singulari Dei munere sua sibi virtute pepererunt. Erant ambo patria Aruerni, ætate pene pares, Iacobus enim annos septem et xxx. natus erat, vno plus Gulielmus, sed ille xx. annos hic xij. in societate transegerat. Vterque à Bellomensi Collegio profectus, quod collegium primum in Gallia societas habuit. Visus est Silesius sui exitus non ignarus fuisse. Namque octo ante mortem diebus litteris Turnonem ad Rectorem datis, illam Dauidis vsurpauerat vocem. Benedictus Deus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, vt imminentem ab Hæreticis pugnam præsagire animo aut potius diuinitus prouidere uideretur. Restat ut ad huius Prouinciæ collegia ueniamus, sed ita ut viuorum facta commemorantes, præclara nostrorum Martyrum exempla respectemus.

Collegium Lugdunense.

INgens hoc anno non nullorum operá Lugduni extitit motus, cui malo dum remedium queritur, Archiepiscopus de pontificij legati sententia Parisiensium exemplum secutus, ad quatuor, & viginti vrbis templa, redeunte in Orbem labore, perpetuam supplicationem indixit. Ergo nostri pro con

cione

cione ciues identidem cohortari, vt expiatis confessione animis supplicatum irent: Discipulos incitare, vt tam difficili tempore suæ pietatis specimen darent. & sanè discipulorum nostrorum studia in hoc genere enituerunt. Quater linteati de more supplicarunt; multique ex his aut cilicio ad carnem induti, aut nudis pedibus incesserunt, omni motu corporum, ita ad modestiam composito, vti admirationem, approbationemque ciuium magnam haberent. Suus etiam sacrarum concionum fructus extitit. Non nulli ab Hæreticis, quos contra ius fasq; sequebantur, defecerunt. multi nutantes in Catholicorum partibus constiterunt. Adeundi nosocomia, et orphanotrophia intermissa pestilentiæ metu, ac bellorum tumultu consuetudo nostris authoribus reuocata est. Persuasum matribus familias primarijs sex septemue, & valetudinaria interuisant, ægros collata corrogataque pecunia subleuent. Ad sacram Synaxim vix vnquam concursus nostra memoria maior fuit. Proposita eucharistia in æde nostra supplicationis causa ad cœlestis iram numinis auertendam, insigni pietate ac frequentia est celebrata. Sacramentorum administratio multis salutem attulit in quo genere illud ad memoriam insigne. Æger magno febris æstu confluctatus inter confitendum vrgente morbo; de potestate mentis exie-

diu fuit nostris familiariter est usus, ac prius quam discederet, vt fidem faceret probari sibi B. Mariæ Sodalitatem, die B. Mariæ Virgini assumptæ festo atque solenni, sacrum in sacello fecit. Sodales omnes & cælesti pane, & cohortatione pia atque apposita pauit. Lugdunensis Episcopus quanti nos faciat cum plurimis indicijs declarauit, tum vero quod ex Regijs comitijs reuersus collegium adijt, recepitque daturum se operam, vt nobis aucto vectigali Philosophiæ Theologiæq; inibi tradendæ facultas esset. Ducis item Nemorei egregia in nos voluntas, eximia etiam pietas extitit, cum apud nos sacramentis usus esset, bidui sibi ieiunium in singulas hebdomadas indixit, ac magnopere in studium virtutis incubuit. Inde cum domi suæ tanquam in libera custodia asseruaretur à ciuibus. solitudinem languere passus non est, otium quod necessitas afferebat, sapiẽter ac pie in sacræ historię, piorumq; librorum lectione, diuturnis ad Deum precibus, & salutaribus cũ sacerdote nostro colloquijs collocabat. Tantum autem nostris tribuit, vt cũ Marchio eius frater fraternam iniuriam vlturus satis magna manu sub messem frumento, commeatuq; vrbem interclusam teneret, facile adductus sit, vt vno è nostris ad fratrem allegato, aliquot dierum inducias impetraret. Ducis authoritatem secuti asseclæ,

quam

ad quod procliuis fuerat admissurum, & post aliquot dies, quę humana est imbecillitas, lapsus esset, facinus ederet memorabile, simulatq; is se lapsum animaduertit, grauiter ingemiscens rite animum expiat: sibiq; infensus Deum magnopere erat, vt quicquid meritus esset pœnæ, à suis auerteret, in ipsũ conuerteret fontem, violatoremque promissi. Nec irritæ ceciderunt preces. Paucis intermissis diebus, in varios grauissimosque corporis dolores, & cruciatus incidit, quibus per aliquot menses afflictatus summam Dei misericordiam pariter & iustitiam prædicabat, seq; voti compotem factum esse dicebat. omnia carminum ac superstitionum genera, quibus morbi leuatio promittebatur constantissimè repudiabat: totum se Dei voluntati ac prouidentię permittebat. Ad extremum vbi causam morbi sacramentorum ope curauit, contra spem atque opinionem omnium pristinam recuperauit valetudinem.

Collegium Turnonense.

HVius collegij patronus, ac penè parens est Dynasta Turnonius, qui de augendo scholarum numero cogitat sedulo; Is cum subito in grauem, periculosumq; incidisset morbum, confestim intempesta nocte ad nos mittit, qui Prorectorem ad se deducat, suãq;

salutẽ nostrorũ precibus cõmendet, Vtraq; in re mos ei gestus est a nobis diligẽter. Non ita diũ nostri ante sacrosanctã Eucharestiã supplicarãt, cũ ille melius habere cœpit: Inde B. Virgini Aniciensi votũ nuncupat, vnũq; è fratribus ad id votũ soluẽdũ, è vestigio destinat, nec frustra. Ex eo in dies magis conualescebat, & quo die redditum est Virgini votum, eodem illi est sanitas restituta. Mulier honesto loco nata; infamiæ & periculi metu adducta, fœtum ex adultero conceptum perdere cogitabat. hæc in Sacerdotem nostrum incidit, cuius prudenti consilio, & partus saluti, & parturientis famæ consultum est. Alia inanibus distenta curis in pietatis studio languebat, cui secundum quietem spectrum horribile oblatum dicitur, quod ei vitam eripere conaretur. Itaq; illa Dæmonem esse rata, horrendoque visu exterrita virum inclamare, omnibusque precibus petere, vt nostrũ sacerdotem e vestigio accersi iubeat. vocatur Sacerdos accurrit, monet. Quid multa? ea res perterritæ mulieri saluti fuit, quæ ab sacra confessione nouum vitæ genus instituit. Per solenne quadraginta dierum ieiunium sacerdos in finitimum oppidum missus rem aggressus est arduam non irrito incœpto. Consueuerant ibi viri æquè ac mulieres, ipsiq; sacerdotes in cauponis, ac popinis frequentius, quàm in domibus conuiuari,

ri,

ri, Hinc temulenti nullum rixarum ac flagitiorum faciebant modum; conniuebat ad hæc Toparcha, quòd ex ea morum licentia vectigal augeretur. Nihilo secius persuasum est ei, vt popularium suorum salutem suo emolumento duceret potiorem, & oppidanis caupona, popinaq; interdiceret graui pœna constituta. ita flagitiosam consuetudinem compressit poenæ magnitudo: Itum etiam est in montes proximos, quibus in montibus, & si vix vlla extent veteris Religionis vestigia, templis ab Hæreticis per furorem euersis; incolę tamē nostros eò commeantes tam amāter excipiunt, vt nihil vltra. Quamuis pro festis, & negotiosis diebus sæuiente hyeme cupidissime ad sacros sermones conueniunt; vix vt quisquam per id tempus audeat in suis muneribus operibusque versari, sępenumero eos cogunt ad multam noctem ducere sermonem, aut ipsis confitentibus aures dare. Insigne autem erga nos studium quorundam vicanorum extitit. Qui cum cognouissent sacerdotem nostrum alio concionandi gratia contendentem, per ipsorum fines transiturum, speculatorem in via collocarunt, qui obseruaret venientem, ipsosq; de eius aduentu faceret certiores. Ab his igitur noster benignissime acceptus, & quamuis nox subiret, adductus in templum. & coactus ad circumfusam multitudinem, quæ frequens conueni-

rat, verba facere. Duobus item è nostris in presenti periculo haud dubium Dei immortalis auxilium adfuit: Hos in via armati latrones in equis adorti primo cædis metu territare cœperunt, quòd in vrbem Catholicorum proficiscerentur, Inde se sequi iubent, simulabant se in arcem proximam ad insignẽ hæreticorum Ducem contendere, sed id agebant, vt eos in solitudinem aliquam perductos spoliarent, atq; interficerent. Non fefellit ea res nostrum Sacerdotem. Itaq; sibi non defuit, sed blanda oratione feroces eorũ animos permulcere institit. Ad extremum vbi se nihil proficere sensit, veritus ne gratis moreretur. Videte, inquit, quid agatis, si Catholici estis, & nos; Sin hæretici, en ego Sacerdos sum, quin me pro Catholica religione iuguletis non recuso. At illi hac voce ferociores facti intẽtatis gladijs silentium indicunt. Sub vesperum cum in desertum locum ventum esset, ex equis desiliunt, nostros excutiunt, pecuniam flagitant. Quinque dum taxat assibus repertis, vtrumque pallio spoliant, statimque eos districtis gladijs petunt. Nostri cum in se iri viderent, exclamant se non mortem recusare, sed causam mortis exquirere. Si quod Catholici essent, occiderentur, libenter morituros. exiguam moram rogant, dum se ad mortem comparent. Facta Dei orandi potestate, vterque

sup-

supplex diuinum numen placare institit. Interea prędones illi cum paulum secessissent, conferentes capita inter se consultare, tum accedere ad nostros, tum recedere; quod cum bis ternè fecissent, tandem nescio qua re obiecta, subito citatis equis sese proripiunt. Nostri tanto periculo diuina ope erepti gratijs Deo impensè actis, ad oppidum quo intenderant multa iam nocte peruenerunt. Ibi cum exposuissent quantum periculi adissent in via, nonnulli oppidani ex quibusdam indicijs magnopere suspicati sunt, latrones illos equites fuisse quosdam, qui pridie ex oppido discesserant. Orta igitur luce rem ad ducem, qui pręsidio praeerat, deferunt. Is centurionem cum manu militum protinus mittit, qui equites illos, quam diligentissime conquirerent, uinctosq; in oppidum retraherent. Breui intermisso spatio capti, vinctique sistuntur Duci. Quæstione habita de latrocinio confitentur pecuniam, & pallia reddere coguntur: grauissimisq; verbis à Duce castigati in custodiam traduntur. Cum grauius in eos consulturus videretur, illorum poenam nostris deprecantibus condonauit. Nec in reuocandis ab errore hæreticorum mentibus nihil profectum est. Vir præcipua inter suos authoritate Caluinianam disciplinam à paruulo susceptam ita mordicus tenebat; nunquam vt eam dimissurus videretur: Is tamen

à Sacerdote nostro veritatem edoctus aliquando resipuit, & expiatis rite noxis, coelestiq; recreatus pane cum Catholica religione Christianam imbibit morum suauitatem. Mater familias primaria Caluino addicta nunquam à marito, aut liberis ad Catholicos traduci potuerat. conueniunt eam viri rogatu aliquot e nostris; disputationem de religione instituunt, illa primo omni ope resistere, pertinacissimeque repugnare. Denique rationibus conuicta Deo fauente manus dedit; seque Catholicorum coetui aggregauit. Discipulorum nostrorum non doctrina tantum, sed etiam pudicitia enituit. Adolescenti iter facienti famosa meretrix occurrit, à qua cum ad flagitium illiceretur, non modo se in officio ipse continuit; sed illam graui oratione commotam ad officium reuocauit. Sodales B. Virginis hoc anno, vt pauca de multis, dimissi per vicos christianæ disciplinæ elementa tradere, talium rerum rudibus instituerunt. Itaque singulis prope modum Dominicis diebus Vicani ab his catechismo erudiuntur, magno ipsorum bono parique admiratione & gaudio bonorum. Iidem ægris identidem præsto sunt in valetudinario, eisque libenter, & officiose ministrant, eosdemque pro facultatibus, quoad eorum facultates ferunt, verbis pariter rebusque solantur, festis præsertim diebus;

vbi cœlestibus epulis saturati diuinam in se experti sunt largitatem. Complures ex his iam diuinis comentationibus, afflictionibus corporis, frangendisque cupiditatibus diu multumque assueti Deo se in seruitutem dicare cogitant. Vnus in Carthusianorum claustra se abdidit, alter Cœlestinorum, tertius nostrorum amplexus est institutum. Et cœlestium Regina suorum clientium pietatem cordi sibi esse, haud obscuris declarauit indicijs. horum vnus graui emersus morbo, non dum recreatis viribus, ad proximum oppidum, exigendæ pecuniæ causa ire decreuerat. Dimidia fere itineris parte confecta, ad torrentem peruenit rapidissimum & continuis imbribus tumescentem, linter quo traijceretur nullus, pro ponticulo trabs erat in transuersum collocata, quà transiretur, non sine prolapsionis atque interitus metu. Ergo ob pedum imbecillitatem arboris ramum defringit, cui nitatur. Quod auxilio fore sperabat, pene exitio fuit; ventum erat ad mediam trabem, cum inflexo ramo inclinatus in contrariam partem enitēs in medium torrentem delabitur. Quo casu afflictus, & madida veste degrauatus magnum periculum adijt; nam manibus ac pedibus rapido flumine ægre obluctatus subsedit; cumq; se aquarum vi abripi animaduerteret, ad Dei Parentem animum & vota conuertit. mirū

dictu. Subito in trabem diuina vtique ope restitutus in vlteriorem ripam incolumis eua sit. Alter pecunia onustus iter faciens cũ incidisset in latrones, comprehensus est quidem cum reliquis comitibus; sed ex aliorum casu præcipuam D.Mariæ tutelam clientium agnouit: nam cæteris nihil omnino relictum est, ipse intactus dimittitur. Alius summæ spei adolescens grauissimo affectus morbo incredibili animi voluptate fruebatur, prorsus vt cœlestem beatitudinem animo præcipere videretur. Adit hominem sacerdos noster, eique susceptum antea societatis nostrum ineundę consilium commemorat; ac tali potissimum tempore constantiam ab eo requirit. Non surdis auribus hæc dicta: confestim ille quia metus humanæ fragilitatis in proposito dubium eius animum faciebat, diuino fretus auxilio se se Deo religionis voto suapte sponte deuinxit. Mira res, ac memoria dignā. Voto nuncupato, repentè non modo animi diffidentia, sed etiam tribus grauissimis corporis morbis liberatur. Est in Vrbe Allobrogum finitima sacerdos probitate morum insignis, qui annum iam quartum adeò graui, ac pertinaci laborat ægritudine, vt affixus lectulo nullius membri prę ter linguam, vsum habeat. Is cum de Sodalium B.Virginis eximia pietate multa fando inaudißet; cum his suppliciter egit per

lit-

litteras, vt eum in ſuum numerum adſcriberent. Qua re impetrata eam cœpit animo voluptatem, quæ magna ex parte vim mali leuaret. Iamque vt ſe ſodalitate non indignum prębeat, ſemper aut diuinis, piarumq; rerum commentationibus ſtudet, aut de ſalutaribus rebus ad eos qui ſe inuiſunt verba facit, aut pueris circumfuſis rudimenta religionis Catholicæ inculcat & diligentioribus ſacras imagines, coronaſque diſtribuit, vt vnus omnium ſodalium valentium officia quamuis æger præſtare uideatur. Ergo maximi fiunt ad eum concurſus eorum qui aut indubijs rebus conſilium, aut in periculis orationis præſidium expetunt. Idem acceptam à nobis ſacræ ceræ particulam honeſtæ mulieri ex partu periclitanti miſit, quo illa præſidio ſine dolore fœtum edidit, ac tam præſens experta remedium, apud ſe diligentiſſimè conſeruauit.

Billomenſe Collegium.

ET ſi hoc difficillimo Galliæ tempore annuũ vectigal per hos annos, ſex ſeptẽuè nobis periјt, rus autem ſuburbanum, non magnum ſæpenumero ab hoſtibus eſt direptũ; tamen (quæ Dei piorumque hominum eſt benignitas) æs alienum nouum contractum nullum, vetus pene diſſolutum, nec quicquam

no-

nobis ex rebus necessarijs defuit. In animis etiam Deo quærendis, & conseruandis non parum lucri fuit. Sodalitas B. Mariæ Tyrones aliquot Societati dedit. Quidam Sodalis parenti persuasit, vt opulentum sacerdotium quod contra ius fasque obtinebat, redderet. Alij domum reuersi authores suis fuerunt animi confessione expiandi. Fuit etiã qui cælestis Patronæ auxilium in periculo sentiret. Is ab hostibus captus, iam diu in vinculis habebatur sine vlla spe libertatis. At B. Mariæ ope implorata, votoque nuncupato elabitur e custodia, ac domum e vestigio reuertitur. Episcopus Claramontanus vir turbidis æque, ac tranquillis rebus egregius, quanti Societatem faciat, haud obscure significauit. Bis hoc anno in æde nostra complures sacris ordinibus initiauit. Cum verò hostis ad vrbem esset, item apud nos rem diuinam quotidie fecit. Maximè autem admirabilis in eo fuit, quod cum perinde cæleste auxilium imploraret, ac si nihil præsidij in rebus humanis poneret, idem tamen ita humanis est vsus viribus, vt si nihil opis expectaret e cælo. Nam cum hostis ad obsidendam Vrbem minus munitam venturus diceretur, Episcopus ipse ad defendendam vrbem, dictis, factisque animos addidit ciuibus. Ipse humum fodere, ipse cespites vectare humeris, ipse fossas, atque aggeres ducere,

nul-

nullum boni Pastoris ac Ducis officium prætermittere. Antistitis exemplum valuit apud nostros ac reliquos, nemine detractante munus quod tantus Antistes occupasset. At hostes veriti tanti viri præsentiam, vno Deo pro nobis pugnante, alio signa verterunt. Episcopi virtutem, ac pietatem frater æmulatus apud nos menses aliquot est diuersatus; quo tempore ita cælestibus commentationibus operam dedit, vt etiam nostris esset exemplo. omnino solidas virtutes sequitur, ac plane assequitur. nihilque sibi reliqui facit, vt Christum possideat. Horum *mater fœmina lectissima nihil liberis de amore erga nos, ac liberalitate concedit; quæ cũ omni benignitatis genere nos complectatur, numquam tamen sibi ipsa satisfacere potest. Digna cui Deus (quod oramus) & voluntatem remuneretur, & tribuat parem voluntati benemerendi facultatem.*

Auenionense Collegium.

NVnquam frequentiores aut florentiores Scholæ fuerunt. Accessit hoc anno explicatio de officijs hominis Christiani, Archiepiscopi rogatu, qui ut cuius rei autor fuerat, etiam fautor esset non semel ipse cum magna religiosorum hominum manu se præbuit auditorem. Idem nostrorum con-

silio,

silio, & opera, magnis in rebus est vsus; Datum est pium drama, quod pro sacra concione fuit. Complures ad confessiones adduxit, Auenionensis Archiepiscopus, itemq; Gilbertus Genebrardus Agunensis, cum collegium viserent, varijs epigrammatis sunt excepti, seorsum vero à Parthenijs Academicis, qui virtutem, ac litteras, quibus egregiè student cæteros longè præstant; Hi Nosocomia adeunt, plebem catechismum docent; seq; in reliquis Christianæ humilitatis officijs diligenter exercent. Confitentium apud nos frequentia tanta, quanta numquam antea. Sub Natalem Christi diem auditi plus mille quingenti. Ad eam rem magno vsui fuit aucta nostrorum hominum doctrinæ opinio. Nam cum Antistes edixißet, ut nemo confessionibus audiendis operam daret, nisi ab vndecim doctoribus interrogatus ac probatus esset, euenerat, ut nostri sacerdotes omnes, non absque singulari commendatione probarentur. Ea fama cum increbuisset, nostrorum existimationem mire amplificauit. Nec exiguus confessionis fructus. Odiorum, ac inimicitiarum semina, quæ improbi inter principes Viros sparserant maturè sublata. Mulier minus pudica ad cœnobij disciplinam perducta. Ad Catholicorum partes traducti quatuor, qui cum nostrum pro concione audissent magna & animi & vocis contentione dicentem

tem

tem; admirabundi & attonitis similes affirmabant, nunquam ab se auditos rabulas suos talibus de rebus differentes. Sacerdos noster in oppidum hæreticorum cum venisset, in publico, toto inspectante, atque audiente populo. tres Caluinianos comiter adortus libera voce conuicit, magnamq; in spem venimus, eam rem multis saluti futuram. Porrò Tyrones Aueniorenses; qui in separatis ædibus habitant, nihil ferè prætermiserunt eorum, quę ex usu vel societatis, vel Ciuitatis esse viderentur. Itaque Deo hominibusq; iuuantibus non exiguum æs alienum dissolutum est. Auctum etiam vectigal annuum, & domestica suppellex, cum aliorum libertate, tum vero Archiepiscopi, qui filios suos Nouitios appellat.

Collegium Camberiense, & Deuionense.

C*Amberij in maxima annonæ caritate perfectum est, vt pauperes quorum maximus erat numerus, partim ciuibus alendis distribuerentur, partim unum in locum coacti corrogata pecunia sustentarentur. & Ciuitatis benignitatem illustrauit diuturnitas benignitatis, quæ sex septemue tenuit menses. Nostri autem interim dum egentium*

corpora cibarijs reficerentur, coelestibus sacramentis pascebant animos. Non exigua etiam pecuniæ collata est ad ædificium Gymnasij. Atque item ad subleuandam nostrorum inopiam aurei duceni à Subabiæ Duce in aliquot annos attributi. Alfonsus Labantus Sacerdos e societate, ex misera hac ad beatam illam vitam migrauit, cuius rei testimonium mortem eius pietate ac patientia insignem habemus.

Diuionensis collegij res tenuis, & angusta multorum liberalitate est amplificata. Vidua locuples quadraginta nummos aureos, quos nobis olim eius vir mutuos dederat, vna cum nostro Chirographo remisit. Meduasiæ Dux idemque inter rex Galliæ deprecante Vrbis huius Vicecomite, regijs comitijs annuum vectigal millenorum, ac ducentorum aureorum regio nobis diplomate concessit. In Gymnasio discipulis amplius sexcentis, non inutilis opera data: Ex quo numero quidam pietate, & ingenij laude præstans B. Mariæ Sodalitati adscriptus, cum ante Natalem Christi diem domum ad breue tempus reuertisset, re ipsa expertus est inimicos esse hominis domesticos eius. Nam pater veritus ne tanta illa filij pietas orbitatem sibi afferret, eum ad nos redire prohibuit. Ecce tibi puer morbo corripitur graui æque ac diuturno, ex quo tandem recreatus cum in villam animi causa profici-

sce-

sceretur, ex equo desiliens crus omnino comminuit. Sensit pater adesse vltorem paternæ indulgentiæ Deum, ac multo etiam magis Filius in cuius animo omnis ferme pristinę pietatis memoria consenuerat; Sed sero vterque sapuit. Melius actum cum alio, qui à parentibus domum reuocatus, & ad hæresim amplectendam incitatus, fortiter restitit. atq; vt ab hęresi quam longissimè recederet, fuga elapsus ad nostram societatem se se recepit. Nonnullorum nostræ disciplinæ alumnorum probitas aliis auxilium tulit. Adolescentulus nobili loco natus, qui aliquandiu nostris operam dederat, delicta sua memoriæ causa notarat in chartula. hęc forte chartula cum ei excidisset, peruenit ad Pedagogi manus. is quid tandem rei esset ignarus, cum eam legere cœpisset, incidit in eum locum, vbi Adolescentulus quem dixi, vitio sibi vertebat, quod Pedagogum suum temere apud alios iurantem pudore adductus non reprahendisset. Castigauit ea res tacita verberatione præceptoris licentiam, tantũq; profecit (quod ipsemet vni e nostris familiariter narrauit) ut linguam in posterum in officio contineret. Mulier virilis animi quæ crebro apud nos sacramentis vti consueuit, paratum duorum militum certamen miro artificio diremit. Nam dum alter, vt paribus armis depugnaret, deposito gladio hamatam loricam exuit, Mulier

sur-

surrepto clàm gladio, effecit ut dato iræ spatio, dextras inter se amicitiæ, ac fidei pignus darent. Tres B. Mariæ sodalitates sacerdotum, discipulorum, ciuium satis vigent. Ex vno fiet coniectura. Quidam ex his, qui Catholici exercitui curabat annonam, a rusticis comprehensus, & pugnis, fustibusque male multatus tantam iniuriam moderate tulit; & cum facile vlcisci poßet, Deo concessit, & simul vt aduersus maleficium beneficio certaret, eorum tecta à direptione atque incendio liberauit. Inter duas familias octauum iam annum pertinaci periculosoq; odio dissidentes, itemque inter matrem, & filium conciliata pax est, atque sancita. Complures item adducti ut contumelias condonaret. Ad sacelli nostri aram ornamenti plurimum accessit ex præclaro vase argenteo inaurato. opus est vario artificio egregiè factum, centum quinquaginta aureorum prætio. Catechesis puerorum cum langueret, per aliquot hebdomadas intermissa inde magno animi ardore repetita est res cum pueris utilis, tum eorum parentibus iucunda. Ciuitatis erga nos beneuolentia, vel ex eo sat s apparet, quod cum in nostrum concionatorem alius e religiosa quadam familia pro concione inuectus esset. iterumq; alius societatem pari audacia perstrinxißet, mirum immodum ciues in illorū maledicentiam exarserunt. Itaq; eorum ordinum cœnobitis sti-

pem

stipem ostiatim de more cogentibus, non modo subsidia quæ dari consuerant negata, sed pro his iurgia cum verborum aculei ingesta. Eorum qui ad nos mysteriorum causa ventitant, complures totius vitę turpitudinē confessione deleuerunt. Vinctis, & capite damnatis opera subinde nauata ex sententia. Ex quo numero dux militum fuit bellicis laudibus insignis. Is quo die ducendus erat ad supplicium, in carceris cubiculum se abdiderat, & fores summa ope occluserat, vti si minus vitam tueri posset, certe ignominiosam mortem effugeret. Placuit igitur quoniam ianuam per vim aperiri non poterat, cum fumo necari, At sacerdos noster, ne miseri illius animus cum corpore interiret, impetrata supplicio mora, ab ianua cum eo agere de salute animi cœpit, nec frustra. ille sacerdote admisso vinciri se ducique quocunq; vellent passus est. imo etiam rite confiteri voluit & hæc ipsa res illi salutem peperit. Dum ducitur à mulierum manu impetu facto ex carnificis manibus eripitur, & in tuto locatur. Nostrorum in hoc genere labor ita gratus senatui accidit, ut quoniam alij, id onus ægrè susciperent, hoc munus detulerit societati,

Dolanum Collegium

GYmnasium humanis diuinisq; discipli-nis instructum, & multitudine audito rum, & pietatis doctrinæq; studijs floret maxime. litterariæ exercitationes à Præside ipso ac senatu cohonestari consueuerunt. Ex discipulorum numero in Societatem cooptati nouem, multo plures dare nomina gestiunt. Instituta à nostris supplicatio ea pietate ac modestia. ut omnis ad spectaculum cuncurreret ciuitas multique lacrymas non tenerent. Sodales B.Virginis magnos in pietate ac virtutibus processus habent. Sic enim à Magistris instituti sunt, vt festis diebus terni Nosocomium inuisant, Christianæ legis capita rudibus tradant; egentium inopiam subleuent, Qui è minore sunt sodalitate pauperibus epulum satis latum dederunt, eisque epulantibus summa diligentia, ac modestia ministrarunt. Concio frequens in æde nostra, catechismus binis in templis inculcatus, assidua sacramentorum administratio, quotidianusque nostrorum congreßus magno multisq; vsui fuerunt. Inuenti sunt duo, qui à pueris Caluiniano errore imbuti, cum ad nos litterarum causa ve titarent. veram cum litteris religionem haurirent. Virginitatis florem Deo puellæ octo consecrarunt. Cuius tuendi studio corpuscula sua flagris, cilicijs, inedia in officio continent.

nent, Ex his tres tenera ætate, sed matura virtute ad cœlestis sponsi complexum euolarunt. duę in Nosocomio pauperibus suam operam addixerunt. Delicta item morte luituris nostrorum vtilis fuit labor. Iuris peritus ob nescio quod scelus supplicio afficiendus, ita est animo confirmatus à nostris, vt omnibus admirationi foret. Quippe inimicis, quos ipse amicos vocabat, immortalem se gratiam habere dicebat. quod eorum opera ad cœlestem fœlicitatem se peruenturum confideret. Idem vltro brachia præbuit vincienda lictori, quem Angelum, Deique ministrum appellabat; & simul oculorum obstutu animoq; in cœlum defixo, quid ni inquit, Domine Iesu, ego homulus facinorus, ac nocens hasce manus constringi patiar, cum tu & Deus, & innocens mea causa te dederis vinciendum? Vbi vero ad patibulum venit, procumbit in genua, & sublatis oculis, Euangelici adolescentis resipiscentis sensu pariter ac verbis suppliciter exclamat. Pater, peccaui in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus, atque his similia multa subiecit. Inde facta dicendi ad populum potestate, sermonem instituit de breuitate vitæ, & amore virtutis; eosq; qui aderant, vt suo periculo discerent, sibique ignoscerent magnopere rogauit. Ad extremum collacrymantibus omnibus, lętus orationem Dominicam,

& Symbolum fidei recitauit, ac Iesù nomen iterans ceruices fortiter dedit. vt nemo dubitaret, quin illi mors aditus ad immortalem vitam foret. Itaque Senatui ob virtutis admirationem, eius deinde corpus solenni funere efferri placuit; & funus curatum à viris foeminisque primarijs, atque ab eisdem exequiæ cohonestatæ, tantum etiam in rei capitalis condemnato admirationis habet vera, & Christiana virtus. In reconciliandis etiã dissidentium animis vtiliter laboratum est. Ardebant intestinis odijs annum iam quintum familiæ duæ totius Burgundię nobilissimæ; mater à filia, socrus à genero dissidebant, alebant inimicitias maximæ, vtrumq; opes, & clientelæ. Pax inter eos à multis authoritate, & sanctimonię fama præstantibus viris frustra tentata; ad extremum per nostros Deo bene iuuante conuenit; maxima omnium lætitia, & gratulatione. Sacerdotes tres in aliquot Burgundiæ Vrbes profecti; nihil prętermiserunt eorum, quæ ex vsu communis priuatæq; salutis esse intelligebant. Graues inter Ducem, & Parochum simultates sublatæ. Toparcha cum suis popularibus reconciliatus, frequens Eucharistiæ vsus introductus. Repressa facinora. Turpis libido compressa, consuetudo agendi diem tutelari Diuo sacrum in popinis & gancis emendata. lætos hisce rebus nostrorum animos tristis de

Re-

Rectoris morte nuncius moerore compleuit. Is fuit P. Petrus à quercu, qui Romam ad Generalem conuentum proficiſcens, ex itineris vexatione cum grauiter ęgrotaſſet, Mediolani paucis diebus eſt mortuus. Vir eximia prudentia ac probitate, inſtituti autem Societatis in primis tenax, chriſtiana præterea humilitate inſignis adeò, vt cum ſacerdotem, qui eum Romam euntem proſecutus erat dimiſſurus eſſet, in digreſſu ad eius pedes prouolutus, ſibi ab illo benedici voluerit. Nec illi mors aut improuiſa fuiſſe uidetur, aut inexpectata. conſtat eum non ita multo ante profectionem ſuam dixiſſe, nihil ſibi optatius eſſe, quam diſſolui & eſſe cum Chriſto. omnino is, & de hac ciuitate, & de noſtro Collegio, cui ſeptem annos totos cum laude præfuit, optime eſt meritus. Itaque quam carus eſſet omnibus, non modo noſtrorum, ſed etiam Senatus, Magiſtratuum, ciuium moeror oſtendit, noſtris vero quam ſingularium virtutum, ac ſanctitatis exemplum reliquerit, iucunda cum imitatione memoria, commemoratioq; dederat.

Anicienſe Collegium,

Pari ferè ſanctitatis opinione rerum domeſticarum adminiſter Aniciæ deceſsit, multis ac magnis patientię, obedientiæ, pie-

tatis exemplis memorandus, is animam agẽs auditus est B. Mariæ hymnum cantitare, quem valens in ore habere consuerat, vsque adeò B. Virginis præsidio tectus exultabat animus, cum corporis vinculis solueretur. Primus est in nostro sacello sepultus, vt tam pius vir nouum sepulchrum initiaret, non leue solatium morituris. Cæteri omnes socij ad vnum alius alio tempore morbis tentati, sed haud ita multo post depulsa ægritudine recreati. nec abfuit opinio cœlestis auxilij, ex eo numero vnus, cuius præcipua semper fuerat erga Dei Matrem religio, periculosam æque ac pertinacem febrim; qua iam pridem æstuabat, implorata sanctissimæ Virginis ope restinctam prædicat. Hæc priuatim, illa publicè administrata: Ad Catechismi disciplinam, quæ cum cantus suauitate in animos teneros ac molles facillimè influit, haud parua facta est accessio. Namq; à ferijs Natalitijs ad cineralia, quo tempore frigere consueuerat, feruere cœpit, diebus festis pulsu æris campani signo catechismi ciuibus dato. Præibat enim puer cum tintinnabulo, sequebantur duo de nostris, totidemq; Sodales Parthenij grandiores, qui rei nouitatem attonitam plebem in sacellum nostrum blanda oratione cogerent. Sacrosanctum Christi corpus per Quadragesimam in æde nostra solenni ritu propositum maiore concursu frequentiaq; celebra-

bra-

bratum, quàm annis superioribus uidimus. Aderant symphoniaci ex principe B. Virginis templo ferè quotidie, interdum cum musico instrumento sane vario, & ad concentum pietatemque iucundo, singulis autem diebus discipuli nostri in classes distributi sacros hymnos vicissim canebant, eo pietatis sensu, vt multi accurrerent, visendi audiendique studio adducti. Gratam rem fuiße ciuibus indicio est, quod compluribus quadraginta horarum spatium breue nimium est visum. Nec domi solum benè res administrata, sed etiam foris. Controuersiam de affinitatis vinculo quæ inter honestos ciues erat dissidij causa, Nostri in eam rem arbitri dati ita composuerunt, ut ad concordiam reducerentur, magna gratulatione multorum. Item Momstrolij (oppidi nomen est, in quo oppido nostri per Quadragesimam concionibus, catechesi, reliquisque societatis officijs magno oppidanis vsui fuerunt) inter fratres germanos viros primarios tantum extiterat odium, vt alter alterius congressum atque cōspectum effugeret; hi quoque nostrorum suasu Deo iuuante in pristinam gratiam redierunt. Eodem in oppido quedam tenui re, qui subuehendis vltro citroque mercibus familiam sustentabat, cum à prędonibus captus magnum fortunarum suarum detrimentum accepißet, eo dementiæ venit, vt vltro vitæ animiq; iactu-

ram facere decreuerit. Itaq; dolore suo cum vxore communicato, sed occultato consilio, sub noctem altissimam murorum turrim conscendit ea mente, vt e summo se se præcipitē daret, Priusquam conceptum animo facinus exsequatur, veteri consuetudine sua procumbit in genua Deo, Deiq; parenti, Diuisq; omnibus quam perditurus erat animam enixe cō mendat ea ipsa res perire properanti saluti fuit, nam cum se se precipitasset, grauiq; casu afflictus iaceret, oppidani complures accurrunt, moribundum inter manus in oppidum deferunt sacerdotem nostrum propere accersunt. Ab hoc igitur ille sceleris admonitus, & à desperatione ad spem reuocatus, statim mentis haud ita multo post etiam corporis recuperat sanitatem, tantum momenti ad salutem habuit pia Dei, Diuorumq; implorandorum consuetudo. Discipuli cuiusdam, pari in periculo, haud dispar exitus fuit. Is vt erat difficili ingenio, & à Musis alieno, diutius abfuerat à scholis, ob eam rem graues pœnas luere eum oportebat. Itaq; desperatione adductus consilium capit præcipitandi se se in flumem. Iamque vrbem egressus amnem petebat; cum Christi cruci affixi effigiem in triuio conspicatus primo cohorruit. Inde memor eorū, quæ de sacrarum veneratione imaginum acceperat olim in schola positis humi genibus Christum colere, & orare instituit. Vix oran

di

di finem fecerat, et in mutata diuinitus volun tate demens illud consilium abiecit, & simul religiosior ac diligentior factus ad scholas reuertit; cultus sacrarum imaginum haud leue incitamentum. Alius parentibus natus hę reticis posteaquam aliquandiu nobis operam dedit, demum ad suos remigrauit. Ibi catholicæ religionis, quam à nostris hauserat, maximè tenax, nullis parentum verbis, aut verberibus à sacro Missæ Sacrificio abduci, nunquam ad impiam Caluiniorum cœnam adduci potuit. Tantumque valuit pij adolescentuli in retinenda religione constantia, vt tandem irritatos parentum animos mitigarit, & ad aspiciendum veritatis lumen erexerit. Præcipue inter omnes discipulos Sodalium Deiparę Virginis pietas eminet, quorum egregia virtus in studio sui vincendi, corporisque castigandi & exequēdi officia christianæ charitatis enituit. Duo sodales graui diuturnoq; morbo semestris fuit, impliciti patientię materiem & ipsi habuerunt, & reliquis præbuerunt. Sodales .n. certatim vtriq; horum identidem interuisendo solatio fuerunt, alteri etiam subsidio. cum enim matris, & pauperis & viduæ facultates breui morbus exhausisset, sodales summo studio prouiderunt, ne quid filio, matrive in tanta rerum omnium inopia deeßet Itaque & de suo plurima in eos contulerunt,

&

& ostiatim, itemq; ad templorum valuas à ciuibus corrogarunt. Tandem ingrauescente morbo dies, noctesq; illi præsto fuerunt; & ægri patientia cum illorum benignitate certauit, quoad discessit e vita. Vtriusque funus elatum est à sodalibus & exequiæ cohonestatæ. Prosecuta est eos magna opinio eximiæ virtutis, quam opinionem auxit, quod alter eorum duobus ante mensibus, tempus obitus sui præsenserat, ac prædixerat. Nec discipulorum nostrorum virtutis maior extitit quã ingenij laus. Bachanalibus Gallica Tragicomedia data productiq; sunt in Theatrum Diues delicatus, & Lazarus mendicus, ex Euangelio. res acta est sumptu Consulum, maxima Ciuium frequentia, & plausu. Accidit etiam quiddam ad memoriam insigne, quod miraculi instar habere visum est multis. Erat é regione scænæ tectũ satis amplum. hoc Consules, vt maior esset spectandi copia, imbricibus ac tegulis nudatum nouis trabibus fulciẽdum curarant. Prima igitur luce spectatores tectum omne complerunt. Vbi ad tertium Actum ferè extremum ventum est, Ecce tibi subita ruina cum amplius mille ducentis hominibus ingenti fragore tectum omne collabitur, magnãq; vim mortaliũ in præceps trahit Nec obscura fuit Dei prouidentia hanc à nobis quærelam atq; inuidiam propulsantis. Ex tanto numero, tam præcipiti ruina, nemo omnino

nino obtritus, aut extinctus est, pauci tantum debilitati. Consternatis eo casu actorum, spectatorumq; animis, discessum est, & res omissa. confestim Magistratus, non tam casu exterritus, quam irrito periculo lætus, ut populo spectandi auido morem gereret, nostros adit, magnopere orat, vt postero die actores rem ab initio exorsi ad finem usq: peragant. Difficile fuit Magistratus, amicorum, populiq; voluntati repugnare. Proximo igitur die, maiore etiam frequentia res peracta est, maximo Ciuium fructu. Porrò exeunte Septembri, ante anniuersarias scholarum ferias, præmia diligentioribus discipulis, non sine apposito dramate data, sumptu ac liberalitate D. Antonij Detalonis medici Regij. Accessit in cumulum celebritatis, quod Præfectus vrbis, Magistratus omnes, aliiq: primarij Ciuitatis alienum sua dignitate non duxerunt, victores laureatos præcinente tibicinum choro ad ædem B. Virginis deducere, Deo, Deiparæq; gratias acturos. Mirificè omnium animos excitauit etiam in pueris virtus honorata. Et spectaculi voluptas cum pari discipulorum vtilitate coniuncta magnam habuit omnium approbationem, non sine præconio nostri Mœcenatis. Itaq; is, vt tam frugifera delectatio perpetua sit, annuum vectigal in eam rem assignare statuit.

PRO-

PROVINCIA BETICA



ENSI sunt hoc anno Socij quadringēti quinquaginta sex. Hispali in domo profeßorum vndesexaginta. Iu Collegio septuaginta duo. In Anglicano seminario octo. Cordubæ quinquaginta nouem. Sex & quinquaginta Gronates, itēq; Monlellę. Sex in Baerano Collegio, & Gaditano viceni singuli. In Malacitano vnde viginti. totidem in Inguerensi, Sexdecim in Marcenensi. in Xerensi, & Carzolano deni. In Eccizensi sede vndecim, quinque in Vbedana, in Guadexensi tres, trium morte numerus imminutus, accessione trium, & viginti suppletus est.

Hispalensis Domus professa.

M*Agna est apud omnes existimatio, autoritasq; nostrorum. Itaque & sæpè consuluntur à Ciuibus, & ipsi sua sponte ciuibus consulũt, dum per eam occasionem hos ad confessionis, communionisq; sacramenta perducunt. Ad templum tantus fit omnium ætatum atq; ordinum confitendi causa concursus, vt pręcipuis diebus festis socios ali-*

quos

quòt ex collegio venire ſubſidio neceſſe ſit. Iiſdem diebus bina, ternauè hominum millia ſacroſanctum Chriſti conuiuium ineunt. Conciones in æde maxima alyſq; præcipuis Vrbis templis habitæ maxima frequentia parique fructu. Cohortationes quoq; ad deſidioſos homines in foro, in compitis, in portis vrbis frequentes, nec inutiles fuerunt. Cœnobia quoq; virginum, aliarumque mulierum Deo ſacrarum crebris ſermonibus adiuta, atque interdũ earum confeſsiones auditæ. Nec Neophyti ex gente Saracena (quorum Neophytorum hic eſt maximus numerus) à noſtris neglecti. Prætor vrbis cum Senatoribus, itemq; Præſes cæteriq, Miniſtri Regij multum ad nos ventitant, noſtrorumq; & conſilio, & opera multum vtuntur. Iidemq; noſtris deprecantibus, multorum ſolitudini, orbitati, inopiæ in cauſis fauent. Noſocomijs & vinctorum cuſtodijs diligens opera nauata eſt: nec ijs negata, qui ad patibulum ducebantur, qua in re pretium operæ feciſse nobis videmur, cum feri homines, ac ſcelerati complures ad mentis ſanitatem reuerterint, ſuorum ſcelerum veniam publicè à Deo, populoque flentes petierint, & mortis cruciatum ſubierint, tanta æquitate animi vt ad exploratam cœli fælicitatem eos proficiſci crederes. Multi qui graues inter ſe inimicitia gerebant reconciliati; in his vnus, qui colapho

per-

percußus, cum percussoris cæde iniuriam ulcisci moliretur, forensi concione vnius è nostris adeo permotus est, vt condonata inimico iniuria, ipse confessionis beneficio suorum delictorum à Deo veniam impetraret. Erat alterius ira iustior, qui deprehensam in adulterio vxorem, ita coniecerat in carcerem, vt in eam lege agi vellet omnino, nec cuiusquam præcibus ab ea mente deduci posset. Is tamen sacerdotis nostri oratione adductus, adulteram vxorem eduxit e custodia, atq; ad nostrum deduxit sacerdotem: & posteaquam illa cum Deo reconciliata est, ipse eam in pristinam gratiam recepit. Atque ea res vtrique coniugi salutaris fuit. Ex eo tempore vterque in nostra æde sacramentis vtitur octauo quoq; die, Ad quęstuarias quoq; mulieres habitæ interdũ vtiles conciones: ex nequissimis fœminis frugi factæ sunt quinq; & earum pudicitiæ consultum. Tres item virgines quarum periclitabatur pudor in cœnobio collocatæ. Mauri aliquot Christianæ fidei rudimentis imbuti, baptismoque lustrati, non vulgari celebritate & apparatu. Per dies festos pomeridianis horis in æde nostra cœtus haberi ciuium solet, vbi sub recitationem pij alicuius libri sacerdos noster exẽplum aliquod ex sanctorum hominum vitis proferre consueuit, ac deinde appositum aliquem subijcere sermonem. Ex hoc numero ciuium trecenti ita in cœtum nomina dederunt,

vt

vt binis in hebdomada diebus, per Quadragesimam trinis se se, sub noctem rite diuerberēt. Sodalitium est in vrbe virorum principum & copiosorum. B. Mariæ visitationi Sacrum, quod olim institutum subsidio vinctorum, paulatim ut fit consenuerat. Huius sodales vnius nostri oratione adeò sunt ad exequendum suum munus accensi, vt sodalitium magno vinctorum bono restitutum videatur complures porrò à pellicatu, à fęneratione, ab alijs vitijs, quibusdiù iam implicati tenebantur, diuina ope expediti. Hispalensis autem ciuitas officijs certare nobiscum videtur. Namq; ciues omnia ad victum cultumq; corporis necessaria nobis prolixe abundèq; suppeditant, in sacros etiam vsus largiti sunt aureos nummos quadringentos.

Hispalense Collegium, & Seminarium Anglicanum.

Hispali Gymnasium, vt magistrorum, sic auditorum numero, & studijs floret maximè. Præceptores duodecim sunt, discipuli prope modum mille, & elucet in omnibus ea modestia, ac pietas vt facile societatis discipulos posſis agnoscere, eorum octauo aut certè quintodecimo quoque die sacrosanctis mysterijs vtuntur, Singulique in orbem audite-

ditorum ordines, ornato, quam magnificentissime templo, Symphonia, musicique, organi cōcentu sacrum conuiuium celebrare consueuerunt magno uel suo gaudio ac fructu, uel approbatione ciuitatis. Inter omnes autem Academici Parthenij, & virtutis & industriæ laude maximè excellunt. Itaque quoties auditorum studia propositis, prœmijs excitantur (quod bis in anno fieri solet) Parthenij præmia facilè prœripiunt cæteris. Quoniam multis pueris bonæ indolis per ætatem aditus in Sodalitatem non patebat, tria uelut seminaria instituta sunt, vbi tenera ætas culta probe adolescat, quoad adulta in sodalitium transferatur. Publicis disputationibus tum Theologicis tum Philosophicis doctrinæ specimen datum. Ad hæc Christianę disciplinæ tradendę noua sodalitas incredibile dictu, est quantopere aucta, et erecta sit Pontificio deplomate ab vrbe transmisso. Eius initium factum ipso sanctissimæ Trinitati festo die, solenni sodalium supplicatione, magna voluntate ac frequentia ciuium peracta. A supplicatione Pontificiæ Indulgentiæ omnibus præsentibus à Rectore Collegij recitatæ. Atq; ut initia se dant, res & ipsis & Ciuitati magno est emolumento futura. Aedibus nostris hoc demū anno fastigiū impositū. sexaginta numero cubicula concinnata. Exedræ præterea Shcolarū et ad vsū appositæ, et ad elegātiā præclaræ

In

In Collegio Anglicano, cuius fundamenta iacta anno superiore, Alumni sunt numero triginta, omnes magna ad virtutem, ac sapientiam indole. Ad nostrum Gymnasium ventitant, modestia pariter ac diligentia excellunt, magnoque sunt scholis nostris, vel exemplo, vel ornamento, ex hoc numero quatuor se nostris aggregarunt, cæteri se ad opem Patrię ferendam instruunt.

Collegium Cordubense.

EX magno numero appetentium societatem sex dumtaxat electi Domi veterani ad religiosę disciplinæ studium excitati. Sacerdotes æquè ac discipuli cæteriquæ se se Patri nostri Ignatij commentationibus exercuerunt. Hinc mirus extit ardor pietatis, perfectaq; virtutis, quæ foras emanauit. In ęde maxima, alijsq; præcipuis Vrbis locis conciones habitæ magno animi ardore, nulla ostentatione artis atque doctrinæ, quo maior non solum vtilitas sed frequentia auditorum fuit. Atque eò res progressa est, vt occupandi loci causa, ante lucem in ædem concursus fierent & ciues duabus, tribùsue horis tempus concionis anteuerterent, ne sero in refertum templum venirent. Hisce concionibus plurimi adducti, vt ætatis vniuersæ confessione expiati nonum vitæ genus susciperent, diuinaq; my-

 sterię

steria frequentarent. Multi odijs depositis, inimicis se reconciliarunt. In his vnus fuit vir illustris, qui ab altero ciue graue vulnus acceperat in rixa. Multorum etiam vitia aut emendata, aut exterminata. Flagitiosus erat quidam ciuis, ac dissolutus cum offensione multorum, is cum nulla ratione corrigi potuisset, eiectus est à Magistratibus veritis ne illa pestis familiaritatis, aut exempli contagione multos contaminaret. Itum est festis diebus præsertim Aduentus, & Quadragesimæ tempore in compita, & cælebriora vrbis loca instituendæ, & ad salutis studium accendendæ infimæ plebis gratia. Nec spes fefellit, Complures catechistam domum redeuntem confitendi causa sequebantur. Adiuuabant negotium nostri discipuli, etiam Philosophi atque Theologi, itemq; alij sacerdotes, & ciues ętate iam prouecta; qui & ipsi agmine composito prima christianæ religionis elementa per vrbem canebant. Atq; item nostræ Societatis sacerdotes, ac præcipue professi ad litterarios vrbis ludos sępenumero commearunt, & pueros elementarios christianæ disciplinæ capita docuerunt. Itaque adeò pueriles animos propositis pręmiolis ad catechismum perdiscendum incitarunt, vt parui pueri qui non dum per ætatem probe loquerentur, omnia illa vel optimè tenerent. Piæ quoque cantiunculæ ijs traditæ, quas pro ineptis cantilenis iu-

tundissime canunt. Duo de viginti hoc anno pijs commentationibus exculti partim sacerdotes, & parochi, partim primarij ciues, atq; alij quorum probitas redundat in alios. Victorum procuratis nostris commißa est. his praest sacerdos qui nullum ab se boni custodis ac parentis officium desiderari patitur. Ille eos identidem interuisere, ille sermonibus instruere, ac solari, ille confessionis & Eucharistiæ sacramentis abluere ac pascere. ille per viros pios ac locupletes, modo res necessarias egentibus subministrare, modo obæratis æs alienum dissoluere. Aliàs iniuriarum reis veniam à læsis impetrare, aliàs rerum capitalium condemnatos ad supplicium sapienter ferendum hortari consueuit. Iis quoque qui ob læsam religionem æternis vinculis mandati sunt, nostri tum solatio, tum subsidio fuerunt. Commearunt præterea omnibus prope festis diebus, ad sex præcipua Nosocomia (quo etiam plurimi ex ijs qui ędem nostram celebrant, confluere consueuerunt) & cum his pariter adeò cupidè ægris subuenerunt, vt eos, & verbis solarentur, & factis. Itaq; eximia horum benignitas ciuibus ad nouum spectaculum concurrentibus magnę admirationi fuit; nec paruum societati nomen, atque, amorem conciliauit.

Iam nostræ Scholæ mirum in modum, & numero augentur, & fructu. In eas nomina dederunt circiter octingenti, qui tantos in pie-

tate ac litteris processus habent, vt nobis id ipsum gratuletur ciuitas vniuersa. Mirus omnium feruor, mirum studium sacrarum concionum, sacramentorum, arctioris disciplinæ, officiorum christianæ charitatis. Valetudinaria identidem interuisunt; & ægris certatim ministrant. Videres adolescentulos nobili loco natos circum grabatos cursare, ægros verbis, & pecuniola subleuare, abiecta ac seruilia officia luce palàm obire. Iidem bis terue in hebdomada verberibus sua corpora castigant, & simul Magistris in foro concionantibus ipsi corrogant auditores; aut etiam cogunt. Verum in hisce rebus omnibus Parthenij primas tenent, quo ex numero præter eos quos in Societatem adscitos diximus, varijs religiosorum hominum ordinibus addixerunt se amplius quadraginta. Tanta porrò est in hac Vrbe societatis existimatio atque authoritas, vt omnes omnium ordinum religiosi æque ac ciues si quid grauius inciderit, nos consulant. Ad hæc duo sacerdotes septem oppida in Montibus (qui Mariani dicuntur) sita pedibus obierunt; atq; incolis erudiendis bimestre spatium posuerunt, fructu laborem superante. Nam plerique eorum docendi, aut dedocendi erant; & difficillimis itineribus adibantur. Super cæteras difficultates summa rerum inopia laboratum est. Illi tamen quamuis egentes multos tamen locupletantes bonis cælestibus ege-

statem

statem virtutis materiem, & industrissimulum habuerunt. Confessionum numerus præ multitudine iniri non posuit, à prima luce ad vesperum confitentibus aures dabātur; vix tantulo intermisso spatio circiter meridiem corporibus curandis Conciones item ad Populum habitæ quotidie & Christianæ disciplinæ summa pueris idiotis, aliisque pomeridiano tempore itidem quotidie tradita. Quàm fuerit nostrorum opera non vtilis solum sed etiā grata oppidanis, ipsorum lacrymæ in nostrorum digressu testatæ sunt, vocesq; maturum eorum reditum expetentium.

Collegium Granatense.

EX discipulis (hi sunt numero trecenti) in societatem vnus adlectus est. Benignitatis officia ægris in Nosocomijs præstita diligenter. & eximia diligentia solito magis enituit ob non nullorum maleuolentiam. Non nemo in Nosocomium ubi nostri versabantur, insinuauerat se se eo consilio, vt actiones nostrorum obseruaret & carperet. Sed egregia nostrorum sedulitate captus repente mutata voluntate, laudator discessit eius facti cuius vituperator accesserat. Qui ædem nostram frequentant, horum pietas excellit. Vnius præter cæteros perspecta est ac nobilitata virtus. Is falso crimine circumuentus, capitisq, damnatus

mulauit. Nam præter quingentos aureos, quos adornatum sacelli, vbi sepeliri voluit, tria aureorum millia in ędificationem Gymnasÿ testamento reliquit. Ad hæc superante ex piorum hominum largitate pecunia, tantum agri coëmptum collegio, quantum ad exarandum frumentum domesticis necessarium satis esse videatur. Profectio etiam suscepta in vicina loca, non parum frugifera extitit. Complures scelerum vinculis quibus multos iam annos irretiti tenebantur. Deo bene iuuante expediti. In his vnus vigesimum iam annum conscientia sceleris, & nocturnis spectris agitabatur, ut nec quiescere poßet, neque corpore, aut mente consistere, hic nostri oratione adductus cum facinus expiasset, mentis tranquillitatem inuenit. Alÿ porrò ex odiorum acerbitate ad concordiam adducti. Quo ex numero fuerunt duo ciues primarÿ capitali inter se odio dissidentes, quorum pacificatio plurimis lætitiæ fuit, quibus dissensio periculo erat futura. Maius etiam ex duarum nobilißimarum familiarum reconciliatione gaudiũ extitit, quo pluribus ex earum inimicitÿs exitium imminebat. Hæ genere atque opibus principes, & si affinitate iunctæ, tamen diuiso in factiones oppido, inexpiabiles inter se inimicitias exercebant, vt non procul à bello ciuili res abesse videretur. Tandem nostris authoribus, omnes simultatibus depositis in-

pristinam gratiam redierunt, eamque mutu complexu, lacrimisque firmarunt. Postridie eius diei iunctis pariter manibus ædem nostrã adeunt populo inspectante; & confessione expiati vna sacrum conuiuium ineunt, omnibus qui aderant mirantibus, & incredibili lætitia gestientibus. Alterius oppidani iustior ira videbatur, quò plus negotij in eo mitigando. Fuit huius amicus familiariter ab eo acceptus hospitio, ac liberaliter habitus iure hospitij violato hospitalem filiam rapuerat, eãq; inuito hospite vxorem duxerat. Itaque ille dolore amens implacabili odio in perfidum hospitem ferri: & genero, & filiæ iratus furere, debacchariq, in eos coepit. Tertius iam annus agebatur, nec tamen orbisenis dolor ulla leniebatur ex parte, nec verò cuiusquam erat deprecationi, aut consolationi locus. Nihilo secius nostri haud ignari munus pacificandorum hominum immortalis Dei concessu, pene proprium esse Societatis, negotium omnium iudicio depositum, ac desperatum suscipere non dubitarunt. Ergo adeunt adhuc iratum atque infensum senem: rogant, ut aliquando filiæ, & genero ignoscat, oblitusque alienæ iniuriæ suam salutem Deumq; respiciat. Surdæ erãt aures dolore obstrepente. Inde nostris orare insistentibus sic exarsit, ut eos male verbis acciperet. Nec tamen illi negotium deserere, sed instare, ut situm molestum

eßet

esset homines de ipsius salute sollicitos audire, at diem constitueret quo die ad eum reuerterentur: ipsis.n.certũ ac deliberatum esse, non prius inde discedere, quam hoc saltẽ ab eo impetrassent. tandẽ ille nostrorum vel patientia in contumelijs vel perseuerãtia in negotio victus certã dixit colloquio diẽ, et in eã rem nostris vrgẽtibus suam obstrinxit fidem. Redeunt ad dictã diem nostri, deliniunt iratũ animũ, ac demum iuuante Deo, adeo flectunt, vt se suaq; omnia nostris permitteret, filiamque ac generum in gratiam, ac domum reciperet. Sacrarum porrò concionum, confessionumq; fructus maximè memorandus fuit, concionator enim cum maxima hominum frequentia diceret, sæpe numero cunctorum animos ita permouit dicendo, uti suspirijs, gemitibus, comploratione templum omne complerent, ipsumq; dicentem obruerent. Inter confitendum autem non pauci lacrimis, & suspirijs confessionem institutam interruperunt, sic ut qui aderant rei nouitate magnopere mouerentur.

Collegium Montellanum, & Bæzanum,

MOntellano Collegio, Domus est probationis adiuncta. Mirum exiſtit in veteranis æquè ac Tyronibus Victoriæ sui ipsius, & virtu-

virtutis absolutæ studium. Per Aduentum Domini celebriores vrbis vias pannosi obierunt, & panum frustra inter pauperes emendicata ad vinctos pauperes detulerunt. Ad accēdendos discipulorum animos Octobri mense Dialogus pius ac venustus habitus est maximo ciuitatis motu atque fructu. Spectauit inter alios egregios viros ipse Marchio tanto cum animi sensu, vt lacrimas tenere non posset. Vicarius autem Episcopi omnibus precibus orare institit, vt in maximo templo iterum haberetur, cum diceret, vberiores fructus ex huiusmodi dialogo percipi, quam ex sexcentis concionibus. Domestici omnes pijs commentionibus accensi maiore quam consueuerant studio ac diligentia Societatis officia præstiterunt. Per solenne ieiunium Quadragesimæ quatuor in templis cathechismus est traditus, eò pueri tanto studio conuenerunt, vt etiam parentes suos eo pertraherent. Sacerdotes aliquot primique Ciuitatis festis diebus in æde nostra pios conuentus agunt. ex his non pauci, ac præterea multi viri boni, atq; etiam discipuli bis in hebdomada de more sua corpora verberibus pulsant. Missi aliquot è nostris per Aduentum Domini in finitima oppida, magno vsui oppidanis fuerunt. constat in oppido quodam nostri Sacerdotis concionibus tantam incolis suæ salutis curam iniectā, vt qui per confessionem sibi Deum non reconcilia-

ciliaret, pene reliquus fuerit nemo; cum sacerdotes octo totos dies operam darent confitentibus. Idem fere altero in oppido usu venit, vbi ex omni numero vix centum fuerunt sacræ confessionis expertes.

Baezani quoque nostri vrbi optimæ meritæ haud paruo vsui fuerunt. Catechismus rudibus non vtili solum, sed etiam speciosa ratione inculcatus. Per singulos menses certis ac statis diebus pueri agmine composito vrbem abierunt elementa Christianæ disciplinæ canentes. Id autem semel insigniori pompa est effectum. Præferebat crucis vexillum ipsæ Baezanæ Ecclesiæ Portinarius. sequebantur honesti homines, & illustres facile quingenti. In his Rector Doctores, auditoresq; Academiæ, Alijq; viri nobiles complures, vnusq; eques S. Ioannis, qui ea ipsa de causa à tribus quatuorue millibus passuum de industria in vrbem venerat. Itum est à nostris non semel in compita ad homines desidiosos iuuandos, & compitalitijs illis cohortationibus ingens vis hominum ad confessionem adducta; ac ne quis eorum non expiatus discederet, his ab omnibus collegij patribus opera ad multam noctem data. Octauo quoque die sacerdos è nostris de more ad Academiæ publicæ exedras commeauit, qui posteaquam Philosophicas Teologicasque eorum disputationes, & præsentia sua, & arguta quapiam argumentatione co-

hone-

hohestarat, Doctores pariter & auditores blanda piaque oratione delinitos ad Nosocomium deducebat; quo agmine subnixus maximo erat ægris, vel solatio vel subsidio. Eorum qui per Aduentum & Quadragesimam, bis, terue, in hebdomada castigandi corporis causa conueniunt, tantus est numerus, vt bis aut etiam ter ædes nostra compleatur, Magna extant Ciuitatis erga nos beneuolentiæ argumenta, unum sine flagitio reticeri non potest. Non sat habuit magnam pomærij ac murorum partem cũ excelsa Turri nobis ad ædificationem concedere; quod muri intercedebat suo sumptu solo æquauit, & simul eam donationem regio deplomate confirmandam curauit. Ad hæc perennis fontis vsum, ductumq; nobis benigne dedit. Nec ciuitas vniuersa benignior, quam singuli Ciues. Rector initium ædificandi facere cum vellet, in eam rem circiter mille aureos à priuatis ciuibus dono accepit. his tanta vis vltro tributorum accessit, vti spes sit breui ædificium absolutum iri. In proximum oppidum (Martos nomen est) duo de nostris missi quorum incolis, & aduentus gratus, & commoratio vtilis fuit. Nullus dies abyt sine antemeridiana, pomeridianaque concione: magna semper frequentia; maximus Sacramenta vsurpantium numerus. trecentæ omnis vitæ confessiones auditæ sunt. à multis male parta pecunia reddita, deposita odia, inimi-

citiæ

titiæ in amicitias cõuersæ, Vincti sermonibus, sacramentisque subleuati Pueri elementarij Christianæ fidei rudimenta piaque cãtica edocti. Quorum vni exitus accidit memoria dignus. Hic puer tredecim annos natus pietate ac prudentia præcurrebat ætatem. Prædicare erat solitus aduentum operamq; nostrorum, per quos tãtum eis diuinæ lucis affulsisset. Inde cum suasu nostri sacerdotis primum sacra mysteria gustasset, illico cęlesti lætitia perfusus gestire, efferriq; gaudio cœpit. vbi in matris conspectum uenit, exclamat ò mater quam libenter ego nunc moriar. Prorsus erat quamuis imbecilla ætate, maturus cœlo. Nec Deus irritam eius vocem esse voluit. Eo ipse die fortuito ictu lætale vulnus accepit, ex quo non ita magno spatio intermißo est mortuus. Porrò nostri ex oppido discedentes, ita suis officijs obstrictos oppidanos reliquerunt, vti collegium societatis expeterent, atque in eam rem tantum pecunię deferrent, quantum satis eßet ad vectigal annuum sexcentorum aureorum. Accendit eorum voluntatem modestia nostrorum, qui à Xenodochio, quo primum diuerterant, nullis precibus abduci potuerant. & munera missa constanter remiserant. In reditu aliud oppidum ex itinere lustratum. Et multorum mentes sacra confessione expiatæ sunt.

Colle-

Collegium Malautanum.

EGregie opera nauata est vinctis. Hi omnium rerum inopia premebantur. Itaque vnus è nostris transegit cum Episcopo, vt Sodalitatem institueret. Subsidio uinctorum lecti sunt ex primis ciuitatis quatuor, & viginti, & spe præmiorum etiam ciuilium ad negotium suscipiendum incitati. Prętor vrbis senatu habito de consilio nostri Sacerdotis beneficia illis complura vel honorifica vel fructuosa decreuit, ita perfectum est, vt hisce Sodalibus necessarias res curantibus, in posterum ægri nec cibarijs, vestibus, patronis dum valent; nec medicis aut medicamentis cum ægrotant, indigeant. Illud palmarium. Quæstor regius vir clarissimus, & cum ciuitatis principibus cognatione aut affinitate, cum reliquis beneuolentia iunctus iam diú in vinculis habebatur. Eiusq; sponsores Regi Philippo decem aureorum millia persoluerant. Causa tamen adeo erat implicata, ut spem illi omnẽ liberalitatis adimeret. Quò maior ciuium lætitia, & gratulatio fuit, cum is præter spem omnium vno e nostri deprecatore, liber ac incolumis est dimissus. Multi pręterea extremo supplicio exempti opera, ac deprecatione nostrorum. Coniuges complures à dissidio ad concordiam adducti. Mala societatis opinio, quæ in nonnullorum animis insederat, Eu-

nlsa.

ulsa. Ad ædem nostram Sacramentorum causa tanti concursus hominum facti, vt multi duabus tribusue horis ante lucem accederēt, quo alios anteuerterent. Nec prius domum corporis curandi gratia redirent, quam rite animum procurassent. Ciues erant quidam qui siue falsa suspitione, siue maleuolorum vocibus adducti abhorrebant à nostris, nec confessionis, aut Eucharistiæ causa ad nos accedere audebant. Qua re cognita noster concionator, ita de nostræ societatis instituto atq; officijs disseruit, ut illi abiecta omni suspicione, suspicere nostros inciperent, vltroque veniam ab eis peterent, quòd fidelia, ac salutaria officia pro insidiosis ac noxijs habuissent ciuis erat honestus, qui annum iam quintum inimicitias gerebat cum altero, à quo maximis se fortunarum, ac dignitatis detrimentis affectum quærebatur. Nec cuiusquam precibus, vel authoritate perpelli potuerat, vt ignosceret inimico. Sed tandem ab vno e nostris mollitur eius animus et ad pacē adducitur. Simul pax in publico, quia publica odia fuerant, mutuis amplexibus confirmatur, non sine magno gaudio & gratulatione multorum. Fœmina item nobilis, nostrorum suasu necem filij Deo condonauit, & interfectori, in quem ut grauius aliquid statueretur, certum iudicem postulabat à Rege. Controuersia porro alia plena dissensionis ac periculi per nostros com-

posita

ac benignitas augetur in dies. Hoc anno in nostrorum ędium ædificationem aureos quadringentos contulerunt, ac prætereain ornatum templi ducentos. Nobilis mulier serica peri stromata quibus sacellum maximum conuestiatur testamento legauit. itemque lychnũ argenteum cum certa summa pecunię in oleum quo perpetuo luceat. Eadem sexcentos aureos nobis donauit, qui post viri sui mortẽ ad nos perueniant. Nec Europæ finibus se tenuit nostrorum industria, sed transijt in Africam. Arces sunt duæ maritimæ in Africæ Hispanæ ditionis septa, & tanger, olim Tingi, quæ Tingitanæ Mauritaniæ nomen dedit. Huc Antistitis rogatu duo è nostris alter ex Gaditano Collegio, alter ex Hispalensi traiecerunt. Incredibile dictu est quanto uterq; honore ab Episcopo sit exceptus, quanta inibi sint cum incolarum vtilitate uersati. Defecerant illis locis ea tempestate non nulli, & à Rege & à Christo, quę res magnum reliquis incusserat terrorem cælestis iræ. Itaq; opportunissimo nostrorum aduentu lux eis quædam oblata uidebatur, & spes salutis ostensa. Proinde pro se quisq; ad ędem sacram cõfluere matutinis pomeridianisq; concionibus interesse, cupide quæ à nostris dicerentur arripere, exsequi quæ monerentur. Ne multis confitentium, & communicantium numerus tantus fuit, quantum ne ipsa quidem sancta hebdoma

latur; hic dum nostri tempestatem nauigationi idoneam expectant, ne inutilis esset mora, redintegrato labore societatis obire munera institerunt. Alij porrò sunt missi ad Ducis Metinensis oppidum, Almadrabas vulgo appellatur, quo propter peccandi licentiam tanquam in sentinam regionis huius sceleratissimus quisque confluebat. Atq; ex hac quoque hominum colluuione complures ad bonam frugem Deo adiutore per nostros emerserunt.

Collegium Xerense, Marcenense, Triguerense, & Cazorlanum.

XErenses socij, & si pauci numero, non parum tamen vtiliter laborarunt. industriã vero adiuuit authoritas, qua apud omnes ordines valent. Horum hortatu multæ sunt restitutiones factę sedatæ discordiæ, iniuriæ condonatæ, Ciuilis & Ecclesiasticæ ditionis principes nõ sine ciuitatis incõmodo grauiter inter se dissidentes æquis conditionibus ad pacem adducti; complures è carcere dimissi, vel controuersijs compositis, vel ære alieno cui soluendo non erant à creditoribus condonato. Tum etiam ad Triremes, remigesq; ac nautæ Christianis monitis ad suæ salutis curam excitati, & adiuti. Maurus vnus Christo adiunctus,

solemniq; pompa baptizatus. Alter catechesi institutus. Ciuitas ad templi ædificationem aureos ad quingentos se daturam recepit.

A Marcensibus socijs quatuor meretrices nobiles à turpi quæstu adductæ, & in tuto locatæ sunt, Patres qui huc ad Prouincialem congregationem conuenerant Ducissę liberalitate sustentati alius post alium concionando magno vsui incolis fuerunt.

Triguerense collegium ad huc recens præclare radices agit. Templi ædificatio strenuè urgeri est coepta. In eam pręter nonnulla priuatorum subsidia, insumpti hoc anno aurei octingenti, & ciues aliquot ad subuehendam materiam plaustra, & operarios sua sponte misêrunt. Porrò ad templi ornatum accesserunt aurei nonaginta.

Cazorlanum item collegium templo atque insuper Scolis, vel ad vsum vel ad elegantiam egregijs auctũ est. Nec nouo tẽplo aut Gymnasio sua defuit frequentia, quę augetur in dies. Ad ritè initiandas scholas pridie eius diei, quo initium docendi facturi eramus discipuli omnes, qui (præter elementarios prope innumerabiles) erant ad octoginta; mentes sacra confessione expiatas: non sine iucunda Symphonia cœlesti pane pauerunt. Habita deinde ab vno è nostris oratio luculenta et ad eam rem accommodata, cui drama successit iucundissimum maximèq; opportunum. Diebus

Do-

Dominicis Discipuli omnes quadrato agmine catechismum canentes celeberrimis vrbis vijs ducuntur. Vbi ad maximam vrbis plateam ventum est, magna oppidanorum multitudine spectandi studio prosequente, in superiorem locum (quo conspici ab omnibus possint) ascendunt. Ex eo loco in maxima hominum frequentia, aptis interrogationibus responsionibusq; præcipua Christianæ religionis capita enuntiant. ita præparatis auditorum animis appositæ conciones adhibentur à nostris magno incolarum bono.

Sedes Eccizensis, Vbedana, & Guadacensis,

IN sede Eccizensi iacta sunt fundamenta Collegij, aperto ludo litterario. Discipuli numero trecenti tres in classes diuisi pietate simul & litteris imbuuntur. Plurimi ad nos sacramentorum causa confluunt. Ex his multi bis in hebdomada se se verberant flagris. Ægri vinctique caritatis officijs identidem subleuantur à nostris. Ciuitas pro sua erga societatem beneuolentia perelegans asseruandæ Eucharistiæ ciborium faciendum curauit.

Vbedani socij maius quam pro numero ciuibus auxilium tulerunt. Inter claros ac potentes viros dissentio sedata est plena pericu-

lorum. Conciones & auditorum frequentia insignes, & fructu. Vrbis scholæ nostris concionibus virtute ac pietate florent. Singulis mensibus discipuli omnes apud nos sacramenta percipiunt. Horum agmen adduximus interdum in forum, primario viro signum crucis præferente, altero ciues tintinnabulo conuocante. confluxit ad spectaculum ciuitas pene vniuersa cum flore nobilitatis. Itaq; cum noster ad eos qui conuenerant, magno ardore animi è superiore loco verba fecisset; tantus consecutus est motus animorum, vt certatim ad confessionem confluerent. Tantusq; fuit numerus eorum, qui de vniuersæ vitæ peccatis confiterentur, vt his per hebdomadam satisfieri ægrè potuerit.

In Guadaxensi autem sede sociorum paucitas non paruæ incolis vtilitati fuit. In æde maxima, In precipuis paræcijs, in compitis ac plateis vrbis crebræ ad Populum habitæ conciones; quæ peccatorum confessiones à pluribus expresserunt, nonnullis pellices quibus cum diu pessimo exemplo vixerant, subtraxerunt: complures ab inimicitijs ad concordiã amicitiamque traduxerunt. Præterea vinctorum custodiæ, valetudinaria xenodochia, tuguria infirmorum hominum lustratá sunt, & rebus necessarijs subleuata. Vincti in primis consilio, ope, gratiaq; adiuti. Sacramentorum vsus apud nos fructus extitit maximus.

Complu-

Complures ad bonam frugem, piamque vitam se receperunt. Ciuium erga nos beneuolentiam quotidiana munera testantur. atq; vt ex initijs coniectare licet, magnam in spem venimus rem ex sententia successuram.

PROVINCIA TOLETANA.



ABVIT hoc anno e nostris quingentos LXVI. Domus professorum Toletana, quinquaginta. Villaregiensis probationis domus ad septuaginta, Madridiense Collegium sex & lx. Complutense nonaginta. Septuaginta Murcianum, vndequadraginta Ocaniense. Heutense quatuor, & quadraginta. Belmontanum xxij. Orepesanum vnde triginta. Toletanum, & Coquense ternos denos Securitanum sexdecim, vno plus Talaxicense. Acceßerunt ad societatem vnus & xx. e vita decesserũt duo de triginta.

Domus Professorum, & Collegium Toletanum.

TOLETI & in Domo Profeßorum, & in Collegium tum Ciuibus, tum Di-

coniiciatur ex vno. Adolescens spectatæ virtutis B. Virgini vnice erat deditus, eiusque effigiem ex ea quam D. Lucas depinxit expressam perpetuo suspensam gestabat e collo. Is cum morbo periculoso, magisquam minaci premeretur (suspiriosus enim erat, & sine febri grauiter intestino malo laborabat) diuinitus præsensit, ac præsignificauit domesticis adesse sibi supremum diem. Inde cum in sella propter morbi genus, recubans parumper quieuißet, media circiter nocte euigilans patrem appellat, rogat vt sacerdotem cui cõfiteri consueuerat, properè accersi iubeat. Se B. Mariæ monitu compertum habere non nisi sacris mysteriis rite sumptis, discessurum e vita. Pater qui medicus erat, explorato venarum pulsu, cum neq; febrim neq; aliud periculum adeße cerneret, suadet ei vti ad lucem quiescat, neu sine causa sacerdotem in tempesta nocte euocatum velit. Negare ille tantum sibi spatii dari, instare vt vocetur sacerdos. Itaq; peruicit, vt vocaretur. Sacerdos simul ac est monitus, sensit acribus se stimulis diuinitus ad accelerandum incitari sic, vt quoniam locus ab ædibus nostris prope aberat, ne comitem quidem sibi expectandum putarit. Aeger illum conspicatus tanto affectus est gaudio, vix vt eum adesse crederet. Ex in animo confessione rite procurato, sacrosanctum viaticum maturari iubet. Et in eo Dei numen

enituit

enituit. Aliquanto ante quidam admisso malesicio, perfugium in templo quærens Parochi Vicarium qui forte aberat, crebra æris campani significatione ad Paræciam reuocauerat. Igitur æger sacro instructus viatico, gratias Deo, Deique Parenti impensè agit, ac B. Virginis effigiem identidem amplexans velut in eius complexu paulo post efflauit animam, cultus egregij erga Beatam Virginem haud vulgare documentũ. Nonnulli etiã ciues ex Satanæ manibus erepti. Ciuis non admodũ opulentus ingenti pecunia multatus iam restem, & laqueum cogitabat. Incidit in hunc sacerdos noster, animaduertit eum tristem, ac flentem capite demisso terram intueri, accedit, moeroris causam scitatur. causa cognita eum blandè solatus, deducit in templum, ibi sacra confessione delinitum ad mentis reuocat sanitatẽ. Nec ægris solum, sed etiam vinctis diligenter opera nauata est. Facinorosus quidam morti destinatus nulla ratione adduci poterat vt perdito corpore animum sacræ confessionis beneficio conseruaret. Frustra adhibitis sacrarum familiarũ viris sane idoneis, itur ad nos. Sacerdos noster Deo bene iuuante durum hominis pectus breui oratione emolliyt. Itaq; dato fortiter capite, magnam omnibus spem suę salutis fecit, & nostrę Societatis in hoc etiam genere opinionem auxit. Duo e nostris nobilissimi ciuis domum prætereuntes ab eo rogantur,

tur, vt sibi paulisper in pio negotio operam darent. Introductis ostendit infimæ sortis hominem baiulum, aut operarium, morosum in primis & agrestem. Orat vt secum illi suadeant, actione desistat, quam ob vulnus acceptum alteri intenderat, quippe cum percussoris in vincula coniecti familia, quam ille suis laboribus alere consuerat, famem tolerares extremam. Ibi nostri vnà cum ędium domino baiulum aggressi tandem obfirmatum eius animum commouerunt: Et hærus euentu lætus (vt orat vir egregię pius) nequid negotium impediret, ad æqua & iniqua omnia descendit. Primum igitur mgnam illi auri summã e vestigio numerat, deinde quia longa ac luculenta uia adeundus erat scriba, suum illi equũ cum famulo attribuit, qui cum equitantem ad scribam deduceret, atque inde domum reduceret. Ipse autem quamuis, & epulentus, & nobilis cum præeuntium, & subsequentium famulorum manu, via deterrima pedes seruum equitantem ad scribam est setutus, vt præsens negotium vrgeret, atque conficeret, adeò illi christianæ charitatis ratio sua dignitate potior fuit.

Collegium Murcianum, & Villaregienſis Probationis Domus,

MVrciæ cum domeſtici omnes P. noſtri Ignatij meditationibus mentes ſuas ad perfectæ vitę ſtudium excitaſſent, ardor domi conceptus erupit foras. Ex eo tempore ſodales B. Virginis maximæ atque item reliqui diuina myſteria crebrius atque ardentius abire conſueuerunt. Præcipuè dies celebriores B. Mariæ ſacri communicantium multitudine inſignes fuere. Quibus diebus terni ſacerdotes ſeparatim ternis aris ſacram Euchariſtiam miniſtrantes tantæ multitudini ægre ſatisfacere poterant. Complures viri primarij, & propinquitate coniuncti, ſed odijs inter ſe diſſidentes ad concordiam & priſtinam gratiam reuerterunt. Quo in numero duo fuerunt, qui vt opibus valebant, cum quadragenis ferme armatis equitibus in cāptos exierant, & propè diem congreſſuri videbantur cum pernicie ciuitatis. Nonnulli etiam qui alieniore erant animo, ſocietati ſunt reconciliati. In his vnus per magnę authoritatis, qui quemadmodum erga nos affectus eſſet, noſtra plurimum referebat. Is falſis maleuolorum ſermonibus à nobis alienatus, vbi tandem diſcuſſa mendaciorum caligine, lux ei veritatis oblata eſt

commutata voluntate, nos complecti, nostrisq; rebus fauere cœpit. Ad templi ornatum, ac supellectilem, facta est accessio non vulgaris. Gymnasium schola sacrarum litterarum auctum. Ad Oretanos missus sacerdos octo mensium spatio ingentem perditorum hominũ multitudinem in viam reduxit, & in quinq; satis celebria oppida consuetudinem introduxit. Singulis mensibus sacramenta confessionis, & Eucharistiæ sumendi, ingenti, & priuato, & publico bono. cuius rei fama alias quoque finitimas vrbes ad æmulandam illorum pietatem; nostrorumq; aduentum expetendum accendit.

In villa Regiensi Probationis domo Tyrones ita se domesticis muneribus exercuerunt, vt exterorum saluti non defuerint certè hominum ad ædem nostram sacrarum concionum, sacramentorumq; causa ventitantium numerus multis partibus est, quam superior annis maior. Aedificatio quoq; domus belle procedit hoc anno ea pars extrui cœpta est quæ veterem domum cum templo coniuget.

Collegium Ocaniense, & Huetense.

OCaniæ, & Hueti, *non modo in vsitatis societatis officijs, sed etiam in catechismo*

mo vel in vrbe, vel in finitimis vicis tradendo egregie operam socij posuerunt. Illud Ocanię proprium. Sacellum est in ęde nostra, quo in sacello sacræ reliquiæ, de quibus anno superiore scriptum est, asseruantur. Hæ reliquiæ hoc anno aliquot editis miraculis (quæ idoneorum hominum testimonijs confirmata, & publicis consignata sunt tabulis) mirum in modum cœptę sunt celebrari. Satis constat nonnullos grauibus ac periculosis morbis implicitos, Diuis illis imploratis admirabili quadam ratione liberatos. Qui vt gratos se liberatoribus suis præberent, fæstos eorum dies agitare instituerunt, & votiuis donis redditis accepta per illos à Deo beneficia testata esse voluerunt. Vir nobilis æque ac opulentus lychnum argenteum, qui centum aureis æstimatur, fœmina primaria arę amiculum egregium paris formę pretij alij alia dono dedere. Conuictores in quibus complures ac prima nobilitate, sunt amplius centum. Sodalitas B. Virginis satis multos cum cæteris sacris familijs, tum vero nostræ hoc anno peperit.

Hueti vero aliquid non indignum memoria euenit. Quædam mulier prædicabat Huetensis ciuis paulo ante mortui animam sibi sæpenumero per quietem oblatam horrenda specie, planeque confessam esse, sempiternis poenis se apud inferos cruciari. Quæ fama posteaquam in vulgus emanauit, mortui illius propinquos

vehe-

vehementer offendit. Iamque ex altercatione cum aliis certamine exorto, prope seditionem rem erat, cum sacerdos noster ciuitatis rogatu sedandæ dissensionis negotium suscepit. Itaq; pro concione de tota re ita disseruit, vt rei memoriam sempiterna obliuione deleret, dissidentes animos ad concordiam reuocaret, & maximam ab omnibus gratiam iniret.

Orepesanum Collegium, & Placentinum.

ORopesæ hoc anno addita est schola Philosophiæ. Diem obiit Nouitius tanta animi alacritate, ac spe beatæ vitæ, vt veterani parem sibi exitum expeterent. In Conuictorum Domo adolescentulus decessit memorabili exitu. Is cum quartana grauissimè conflictaretur, impetrauit à Prorectore, vti conuictores omnes in suum cubiculum conuocarentur. Quibus ad præcauendas omni animi prouisione inferni leonis insidias incitatis, prædixit fore, vt ipse triduo quartana liberetur; Sed non multo post grauiore morbo extinguere tur. Prædictionem comprobauit euentus octauo postquam quartana abierat, die subito morbo correptus extinguitur. Retulit deinde eius contubernalis, ac præter cæteros familiaris, illum adhuc quartana laborantem sibi ita nar-

rasse,

rasse, diabolum leonis specie ipsi occurrisse, qui vasto oris hiatu deuorare eum velle videretur; sed implorato B. Mariæ auxilio horrendam illam belluam profugisse. Inde obiecta alia spectra satis formidolosa, quæ item B. Virginis nomen diffugerint, & simul B. Mariam cum D. Bernardo collegij Patrono oblatam esse, cuius aspectu mirifice recreatus, voce de quibusdam vitijs increpitus sit, vt eandem & parentem haberet, & magistram. Nec domi solum res bene administrata, sed etiam foris Egressi sunt nostri in finitima oppida orepesano Comite sumptus suppeditante, Nauata est oppidanis opera diligẽter, & operæ pretium fuit. Vno in oppido institutum est vt plerique octauo quoq; die ad sacramentum confessionis accederent. In altero perniciosa discordia sedata, quæ oppidum in factiones distraxerat, atq;ita oppidanos ad arma concitauerat, vt ne Quæstor quidem à Regio senatu missus in pœnis ac minis continere in officio posset. Tandem nostri sacerdotis concionibus adducti, positis armis pacem inter se sanxerunt. Porrò in alio oppido tanti ad sacras conciones facti sunt hominum concursus, vt non modo parentes liberos adducerent; Sed domini seruos villicos, pastores, ab officinis, fundis, pascuis aduocarent, adeò præ hominum salute nulla rei familiaris ratio ducebatur. Nec hi concursus plus admirationis,

quam

quam vtilitatis habuerunt. Quindecim diebus assidua quinque sacerdotum opera (e quo in numero tres nostri fuerunt) totum oppidũ sacra confessione lustratum est. Quoquidem tempore nostris nunquam ferè labore ad quietem intermisso, vix necessarij cibi somnique spatium dabatur. Vnius oppidani pœnitentia maxime memorabilis. Is sacris concionibus permotus admißis sceleribus ac flagitijs expedire animum decreuerat. Verum id molienti ter Satã de nocte se obtulit, eumq; à nostrorum congreßu deterruit: cum nihilo secius perstaret ille in sententia, horribilis eum adorta est Dæmonũ manus, si secus quam iuberetur, faceret, minas iactans, & perniciem intentans. At ille vt se hac molestia, & periculo liberaret, confestim ad sacerdotem accurrit, & sacræ confessionis ope importunos illos monitores profligauit.

Placentiæ cum cætera societatis muuera diligenter obita sunt, tum vero ex tradendis plebi Christianæ fidei rudimentis, adeundisq; institutionis gratia vrbis scholis maximi fructus capti. Magna apud ciues opinio societatis. Itaq; plerique ciues & nobilissimus quisque ad nos concionum sacramentorumq; causa ventitant: & inter se dissidentes nostris authoribus odia deponunt. Episcopus nostrorum opera libenter vtitur, & vbicunq; se offert occasio, de societatis nostræ laudibus

prædicat. Quæ laus ne inanis sit nostros animos vehementer accendit, vt tantæ opinioni pares esse posimus. Excursum est etiam in oppida extra diœcesim Palentinam non maiori labore quam fructu. Oppidum fuit vbi spatio vnius mensis omnes ad vnum sacram confessionem obierunt. Sæpenumero etiam accidit, vt cum de sacerdotis nostri in aliquod oppidum aduentu percrebuisset, confestim ex vicinis oppidis uicisque eo quam plurimi aduolarent, ita nostrorum labor pariter augebatur & fructus. quos labores ut facilius ac libentius nostri ferant, villa in suburbano (accepta in eam rem ab amicis summa aureorum circiter septingentorum) satis aucta est, & ad rusticationem opportune, & ad salubritatem commode concinnata.

Collegium Talabricense.

INopia qua hoc Collegium pręmitur, excitauit liberalitatem multorum ad nos pecunia subleuandos. Nonnulli etiam sacellum domesticum egregia pictura, aliisq; ornamentis decorarunt. Quidam perlegantem sacrę Eucharistiæ thecam faciendam iurauit. His officiis prouocata cumulate respondit nostrorum industria. Aegris, vinctis nostram operam desiderantibus, omni loco, omni tempore præsto fuerunt. concionibus, cathechismo, sacramẽ

torum

torum administratione summos æque & infimos iuuerunt. Perditissimus homo nostrorum opera ita se ad bonam frugem recepit, vt omnibus admirationi fuerit eius vitæ commutatio. Virgo à nostris instituta plane admirabili ratione aduersus vim pudorem defendit. Hanc familiaris adolescens perditè adamabat qui posteaquam nec prece nec præcio se quicquam proficere vidit, vim afferre decreuit. Itaq; eam in cella remoto ab arbitris loco nactus, comprehendit incautam, vinculis constrictæ vim parat. Illa in præsenti periculo B. Virginis opem implorate, pudoremq; suum eius fidei tutelæq; committere. Nec frustra id fuit redintegrato diuinitus animo, vim vi repellendi quatenus posset consilium coepit. itaque & si reuinctis manibus se commouere non poterat, dentibus inuasorem illum quam maximo potest impetu inuadit. Ita ille morsibus appetitus, ac fede laceratus negotio destitit. Virgo tanto periculo defuncta Virginitatem suam Deo dicare, & in cœnobio Virginum custodire statuit. Mulier ab incesto flagitio tandem emersa, non solum incesti amatoris preces, pollicitationes minasq; contempsit, sed vitæ pudicitia atque constantia illum ipsum ad pœnitentiam adduxit. Sacris vero reliquijs, quæ in nostro asseruantur sacello, veneratio accessit euentu mirabili Mater familias nobilis, & opulenta, eademque

nostrorum in primis studiosa erat; huius desperata a medicis valetudo, & ipsam afflixerat, & familiam luctu & squallore compleuerat. Igitur sacerdos noster, qui illi à confessionibus erat, dum nostri fæminæ optimæ salutem à Deo deprecaretur, vnius ex sanctæ Vrsulæ sodalibus caput ad eum defert id verò ægrè multum non modo solatio, sed etiam saluti fuit. Namque illam sacrum caput osculo veneratam subito arctior quidam somnus oppressit. Inde cum euigilasset animaduertit se diuinitus persanatam. Nec defuit beneficio gratia. Aderat dies B. Virgini conceptæ sacer, pridie eius diei sibi viro suo totique familiæ ieiunium indixit. Festo autem die secū omnes sacramentis rite sumptis Deo gratias agere voluit B. Mariæ coetus tanto pietatis studio flagrat, vt ab eo magnus reliquis discipulis ardor sit iniectus. Hoc in numero complures sunt, non modo honesto loco nati, sed etiam locupletes, qui multorum, vel ægrorum, vel egentium inopiam, & officijs & pecunia subleuant. Iidem sub diem Christi Natalem ad dissoluendum æs alienum vinctorum, satis magnam vim pecuniæ contulerunt; & adhibitis aliquot magistratibus cum creditoribus ita satisfecissent, vt illi parte pecuniæ debitæ accepta, reliquam debitoribus condonarent, eos qui soluendo non erant custodia emiserunt, ut liberi ac soluti

Na-

Natalem eius celebrarent, qui venerat vt educeret vinctos de domo carceris.

Collegium Cochense, & Carauacense,

Conchæ ingens pecuniæ summa, quam Gomes Zapata Episcopus pauperibus testamento legarat, ex eius testamento ab ijs qui huic negocio præerant de nostri sacerdotis consilio distributa est. Nostrorum industria cum cæteris pietatis officijs, tum vero conciliandis inimicis enituit graues; atque inueteratas multorum inimicitias, quas alij sedare frustra tentarant, Deus hoc societati decus reseruante eiusdem ope penitus sustulerunt; idque magna non solum approbatione aliorum: sed etiã ipsorum voluntate. Episcopus paterno nos amore complectitur. Religionis ac fidei quæsitores nos diligunt; suique muneris laborem libenter nobiscum communicant, Lupus Marquina Canonicus onere docendi linguam latinam; quod onus suo iure nobis imposuerat; nos leuauit, idque suo Chirographo testatum voluit. Ludus tamen litterarius, & litterarum & pietatis studijs, non modo discipulorum numero, ac genere auctior existit in dies.

Nihilo minor Carauacensium, aut labor

aut fructus fuit. Nec domi solum sed etiam foris. In oppido finitimo mulier quæ cum diabolo consuetudinem habere consueuerat, sacræ ceræ particula à sacerdote nostro accepta, ita impurum illum, atque importunum amatorem suo congressu prohibuit, vt ille cum fractis, & inanibus minis abscedens, ne accedere quidem propius auderet, ita Agni Dei beneficio pacem mentis est adepta. Iam Caravacensi Societatis templo fœmina diues ac nobilis sacras vestes satis preciosas (pluris ducentis aureis æstimantur) dono dedit.

Securitanum, & Belomontanum Collegium.

VTrobiq, nostrorum opera vt diligens, ita fructuosa fuit. Securitanum Collegium & adiutum piorum donis est & ornatum. Tēplo cum alia multa ornamenta accesserunt, tum vero pyxis egregia aßeruandæ eucharistiæ. opus est per bene factum, centum aureis stetisse dicitur.

Belomontanis quoque socijs magno cum fructu laboratum est. In adoelscente diuinorum misteriorū mira uis extitit. Huius eximia specie capta mulier, castum animum omni ratione solicitabat. Ille importunæ mulieris impudentiam constantißimè repellebat. Ad extremum

num cum mulier nullum insaniendi finem faceret, seuerè minitatus est malum, nisi ab incepto desisteret. ita demum illa, cum metus amorem vicisset, insania destitit.

Collegium Complutense, & Domicilium Naualcarneranum.

ET morbis grauis, & morte multorum funestus hic annus fuit. certauit ministrantium sedulitas cum patientia ægrotorum. Ex quorum numero duodecim varijs morbis extincti. In his P. Gaspar Sanazarius, qui amplius xl. annos in societate piè, sancteq; traduxerat. Et Pater Alphonsus Sanctius vir omnino sanctus, qui post longinquas, ac periculosas terra marique peregrinationes Christianæ rei causa susceptas, hic itinerum, & vitæ finem inuenit. Nam cum à Patribus conuentu Prouinciali alter comes Præpositi Prouinciæ lis Romam ad Generalem congregationem ituri, delectus esset, in ipsa meditatione sui muneris atq; itineris Romani in grauem morbū incidit, quem breui beata mors est consecuta.

Adsciti sunt in societatem sex, quorum non nemo à parentibus variè oppugnatus, nullis neq; minis, neq; blanditijs expugnari unquam potuit. Ingens extitit confessionum

fructus, nec minor concionum, quarum quidem tanta sæpe auditorum fuit frequentia, quantam ædes sacra vix caperet. Per Quadragesimam ter in hebdomada sub sacram prælectionem complures ex auditoribus se se domi nostræ diuerberant, bis quidem clam sine arbitris, semel autem hoc est die Sabbathi, luce ac palàm & valuit exemplum apud alias sacras familias, quæ idem in suis templis facere conantur. Theologicæ scholæ sunt discipulis sanè frequentes. Sodalium numerus capitum amplius ducentorum. In his Doctores non nulli, multi Magistri plurimi, alijs doctrinæ titulis insignes, quos Licentiatos, & Baccalaureos vocant. Complures etiam àmplo genere nati; qui omnes non minus piè; quam crebro sacramentis vtuntur. Ex hoc numero per multi pijs commentationibus se se ad vehemẽs pietatis studiũ excitarũt; non pàucι varijs sacrorũ virorũ disciplinis se se addixerunt. Sodalitatis Præfectus Abbas Caetanus Sermonetæ Ducis Filius æquè pietate, ac genere insignis suam Sodalibus Domum aperuit tum ad disputationes Theologicas, tum verò ad pia frugiferaq; colloquia.

In oppido Naualcarnero non nulli è nostris versantur, quorum vnus in tenera ætate litteris simul ac bonis moribus imbuenda, reliqui ferè in populo concionibus cæterisq; societatis officijs iuuando noninutiliter operam posuerunt

fuerunt, atque his rebus magnam ab oppidanis gratiam inierunt.

PROVINCIA LVSITANIA.



Vingenti, & octoginta quinque hoc anno in Prouincia Lusitania socij fuerunt. Olyssipone in Professorum domo sexaginta: in Collegio D. Antonij quinquaginta. Conimbricæ decem, & ducenti: centum & quadraginta Eboræ. Brigantiæ viginti quinque in Collegio Bracarensi quinque & triginta, in Portuensi, Angrensi, Funchalensi quini deni. in Angolana sede duodecim, in Insula Sancti Michaelis quinque, Madridij tres. Desiderati sex. Cooptati in societatem vndequadraginta.

Domus Professa Olyssiponensis,

Olyssippone, vt in Vrbe amplissima, & celebberrimo Europæ, Indiæq; Emporio nostri quoque suum, aut Dei potius negotium bene gesserunt. Primum igitur Domestici omnes

nes, ut congregatio generalis bene ac fœliciter eueniret, non modo precibus ac sacrificijs verum etiam voluntarijs corporum castigationibus coeleste numen placare institerunt. Interim vero in aliorum vtilitatem, ac salutem industria collocata. Conciones frugiferæ, confessiones salutares ciuibus & peregrinis fuerunt. Innumerabilia occurrunt; sed nonnulla ponam exempli causa, vt ex his quæ dicuntur intelligi possint etiam, quę tacentur. Mercatori cuidam locupleti magnum auri pondus clam surreptum fuerat. cum furti authores, & conscij penitus laterent; collata suspicio est in sontem, qui falso insimulatus, cum in vinculis teneretur, magnum tormentorum in quæstione, & supplicij, non modo famæ periculum adibat, quod vbi cognouit vnus ex conscijs, qui etiam emolumenti particeps erat, nulla interposita mora nostrum adit sacerdotem eiq; secreto rem demostrat, mille aureos nummos, qui sibi obuenerant tradit, qua pecuniæ summa delinitus Mercator a nostro sacerdote, innocentem illum e custodia dimittendum curauit. Alius qui incoesta quadam illecebra irretitus à Diabolo (is coram se illi videndum præbebat se expedire prohiberetur, ducente Deo in ędem nostram deuenit. Quem cũ tristem & cogitabundum animaduertisset noster sacerdos suspicatus id quod erat, hominem comiter ad confessionem elicuit, qua misero

illi

illi salutem attulit. Duo coniuges amplissimis familiis nati, adeo inueterato odio inter se dissidebant, vti desperata in perpetuum concordia, de diuortio agitarent. Horum efferatos animos vnus è nostris sacerdotibus Deo iuuante mitigauit; perfecitq; tandem vt veteribus offensionibus sempiterna obliuione deletis, in pristinam gratiam ac beneuolentiam redirent. Quo illustriores coniuges & discordia. etiam apud Magistratus, ac principes viros celebratior erat, hòc eorum reconciliatio, operaq; nostrorum plus admirationis atque approbationis habuit. Mater familias nobili puellæ quam domi habebat irata eam domo eiicere ad certum interitum constituerat; huic persuasum est, vt puellam apud se haberet. quoad eam confecta dote collocaret. Pudori, paupertatique honestarum mulierum, quæ ob vestitus inopiam in templum sacrorũ causa venire non audebant, à nostris consultũ est, eisq; vestimenta, atque alia subsidia curata. Virginum item multarum orbitati, famæ egestatique subuentum. complures inter coniuges reconciliationes factæ. Ciuium dissensiones sedatæ, pupillorum fortunæ defensæ, illecebræ peccandi sublatæ, salus multorum pene ab exitio erepta. Nauata etiam opera ęgris in valetudinariis, remigibus, nautisq; in Nauibus, vinctis in custodiis, ipsis quoque elephantiacis qui in remoto à ciuibus loco versantur.

Hi

peritus populares suos omni ope iuuare institit, simul ac Nauem aliquam ex Hibernia aut Anglia ad portum appulisse cognouit, eò se confert, vectores, nautas, nauarchos patrio sermone, & mira comitate deuincit sibi, inde sensim sermone, de religione illato, errantes in viam reducit, nutantes confirmat, instituit non modo ad veritatem, sed etiam ad virtutem ac pietatem. Nec labor inanis fuit. Quinquaginta numero depositis erroribus ad bene sentiendum numerum accesserunt. In his gubernatores nauium quatuor. Aliarum præterea nauium vectores apud eundem sacerdotem animos expiarunt, confessionibus ab ineunte ætate repetitis. Illud autem maxime ex vsu gentis Hibernæ curatum, effectumq; est ut Hiberni adolescentes Olysippone domicilium haberent, ubi piorum hominum liberalitate alerentur, & bonis artibus ac moribus instruerentur, quoad matura iam doctrina atque virtute populares suos iuuare possent. Princeps Albertus nautam Anglum ad nos misit Christianis institutis imbuendum. Is satis à nostris instructus animum confessione ablatum coelesti epulo pauit. Inde in grauem morbum cum incidißet, egregijsq; medicis adhibitis summa diligentia curaretur, adeò miratus est singularem nostrorum hominum humanitatem in ignotum hominem, ac peregrinum, vti palam dictitaret, vel id sibi ma-

ximo

ximo argumento esse, veram à nobis religionē coli, atq; tradi. Eadem nostrorum humanitas compluribus ex eodem genere hominum salutaris fuit. Quorum alij sacramentis Ecclesiæ rite susceptis obierunt, alij recuperata valetudine se ad nos contulerunt, & palam impietatem deposuerunt. Hibernus quidam amplissimo loco natus pijs meditationibus apud nos se exercuit. Inde sua sponte ad ædem B. Virginis satis celebrē in summo Cynthiæ promontorij iugo sitam, millia passuum viginti ab vrbe maximè ardua ac difficillima, nudis pedibus contendit. Porrò cum P. Ille Hibernus de quo ante dictum est, Iubileum à Clemente VIII. Pont. Max. concessum in Hiberniam per certum hominem ad Principes Catholicorū misisset, ocultis locis, ne ab Hæreticis impedirentur, aras statuisse, et è Catholicis xx. hominū millia coeleste epulum rite i nisse dicuntur. Impetrata etiā à Pont. max. potestas est dispēsandi in ijs rebus quæ ius Pontificium Romanæ sedi reseruat. eaq; potestas idoneis sacerdotibus permissa; quæ res illi genti maximo vsui fuit. Nec vrbis finibus se tenuit, sed foras peruagata est nostrorum industria. Aedes est B. Mariæ in promontorio ad ostium Tagi posita, antiqua religione, & miraculis inclyta. Huc certis anni temporibus maximi concursus mortalium fiunt: & sodalitates variæ cum suis quæque vexillis; & crucibus quadrato

agmine

agmine incedunt, atque in montis iugo circum sacram ædem pernoctare consuerunt. Sed nuper, lapsis paulatim moribus, nonnullorum licentia eo progreßa erat, vt in æde B. Virginis pernoctantes epulari, cum saltatricibus psallere, choros choreasq; ducere non dubitarent. Hac re nostris nunciata, eo ipso tempore duo e nostris sacerdotibus eò se se conferunt. ibi pro suggestu non semel in flagitiosam consuetudinem de die vehementius inuehuntur atq; vt coram peccandi licentiam, si quis auderet, comprimerent, noctem in somnem ante aram Virginis agunt partim orando, partim aduenas piis narrationibus erudiendo, & ira diuini numinis territando. His rebus effecerunt, ut non solum sanctissimæ ædis religio altius in eorum mentes descenderet, uerum etiam ut plerique eorum apud ipsos conscientiam exonerarent. Dimissi etiam sacerdotes alij circum vicos, qui eadem societatis officia foris quæ domi præstiterunt. Sex è societate hoc anno in Indiam transmiserunt quos secundo cursu Goam tenuisse ex ipsorum litteris cognouimus. Quatuor cum præsidiaria classe Ferdinãdi Tellij Præfecti rogatu missi, qui (dum Tellius Lusitanis classibus ex India, Brasilia, reliquisque locis venientibus aduersus Anglos piratas præsidio eße contendit) aduersa tempestate reditu interclusis, & longe ac late Oceano Atlantroq; peruage

ti

ti nono demum mense Olyssiponem tenuerunt. Magna tam longo itineris circuitu, vel agendi uel patiendi materia fuit. Sed quoniam nihil dum eorum satis compertum est, res in proximum annum integra reseruatur.

Collegium Olysiponense.

Laetus hic annus fuit demigratione ex ueteri Collegio in nouum Hēricus Cardinalis, is qui postea Regnum Lusitaniæ obtinuit, circiter duodeviginti ab hinc annis vectigal in singulos annos quod satis esset ad Sexaginta socios alendos attribuit, & ingentes ædes maximè idoneo vrbis loco excitare coepit domicilio nostrorum, ac bonarum artium. opus omnino magnificum ac plane regium, cuius vel tertia pars quæ adhuc extructa & ornata est satis nobis ampla, & capax videatur. Huc commigratum est V. Idus Nouembris, maxima & nostrorum lætitia, & gratulatione ciuium: nouumq; templum initiatum instaurato patrocinio S. Antonij Abbatis, cui vetus ædes erat dedicata. Vt autem res celebritatem haberet, in dicta supplicatio est, in eam diem ad sacras reliquias ex veteri æde transferendas; ac maximo apparatu, incredibilique bonorum frequentia peracta est. Eius ratio talis erat. Præibant agminibus in classes distincti inferiorum scholarum discipuli numero ad

duo

duo millia, omnes cum accensis facibus coronati, & (quod maxime insigne fuit) vultu, omnique corporis motu ad modestiam composito. Philosophi deinde sequebantur. post hos ex Theologiæ moralis schola ducenti sacerdotes partim lintea cyclade, partim sericis amiculis insignes. Diaconi deinde egregia veste adornati ibant, qui Diuorum simulacra, ac feretra duo magnifice. exornata humeris ferebant, quorum feretrorum altero sacræ reliquiæ continebantur, ex altero Beate Virginis effigies eminebat. vltimum ibat agmen nostrorum, & in extremo agmine Pater Rector sub pretiosa vmbella Christi corpus aurea theca, inclusum præseferebat, maximo nobilissimorum Ciuium numero prosequente; in quibus erat Patriarcha, idemque Nuntius Apostolicus in Lusitania, qui primus in nouo templo sacrum Pontificali plane ritu, ac ceremonia fecit. Inde fratres nostros omnes, ciuesq; cõplures, diuinis epulis pauit. Cæterum ne commoditas, ac pręclara species, prospectusque ędium, vt fit, aleret licentiam, libertatemque viuendi, laxato domicilio domestica disciplina est magis adstricta; om̃nes & eorum qui præsunt imperio, & suo iudicio ac voluntate certatim desidiosum otium fugere, inutiles confabulationes vitare, odisse intempestiuas euagationes, identidem se ad Deum orandum colligere cœperunt,

*vt ab initio, quod multis erat in ore, ipsi parie-
tes cubiculorũ, atq; ædiũ recenti ad huc tecto-
rio, societatis disciplina imbui viderẽtur; Nec
domi solũ, sed etiam in Gymnasio disciplina in-
staurata est. Multa enim ex præscripta in libro
studiorum ratione introducta: non nulla etiam
quæ ad confirmandos discipulorum animos
pertinebant, in mores inducta, non sine ad-
miratione, ac laude amicorum, ac bonorum.
Itaque iam etiam primorum ciuium liberi,
quibus antea difficilioribus ad omnia magistri
vtebantur, eis ad nutum obtemperant, et in lit
terarijs certaminibus vsuq; sacramentorum
primas ferunt. Quamquam in vtroque ge-
nere clientes B. Virginis, reliquis ita præstant,
vt eos præclaris exemplis excitent ad studiũ
eruditionis atque virtutis, Atque item ciues
loci opportunitate inuitati frequentius quam
antea nos adeunt, concionum confessionumq;
causa, & templum pariter, ac domus longe ma
iore quam antea, & frequẽtia ciuium, & splẽ
dore celebratur, dum alij conscientiæ vulneri-
bus medicinam quærunt, aly molestissimos
scrupulos sibi eximi volunt, alij nos de maxi-
mis rebus consulunt. vno res omnis notetur
exemplo Homo satis opulentus hærebat dubi-
us, vtrum tria aureorum millia deberet alte-
ri. Nec deerant è Theologorum, qui dicerent
in re dubia licere ei sequi opinionem, quæ sibi
magis expediret. At ille id consilium, non
satis*

ſatis tutum ratus ad nos venit: vnum ex noſtris conſulit, de eius conſilio totum illud æs alienum diſſoluit. Itum etiam multum eſt in cuſtodias ad vinctos iuuandos: Quibus ſæpe noſtri ſolatio, & adiumento, ſemel ſaluti fuerunt. Orta erat rixa inter eos qui in cuſtodia quadam aſſeruabantur, ac auctis aliorum ac curſu partibus, arreptiſque telis quæ cuique ira ſuggerebat, internecino inter ſe prelio dimicabãt. Propterea quod nemini licebat ex eo loco vbi pugnabatur exire, & in tam inſolito ac repentino tumultu cuſtos carceris conſternatus animo torpebat. Iam cædes fiebant multumq; ſanguinis vtrinque fuſum erat cum ſacerdos noſter non ſine Dei numine interuenit. cuius intercurſu, iræ mitigantur, rixa ſedatur, pax iter eos, & gratia conſtituitur, ita noſter cum alio conſilio in carcerem veniſſet, aliis occurriſſet rebus, & turbam in præſentia compoſuit, & ne iterum poſſet exiſtere, in poſterum prouidit.

Conimbricenſe Collegium.

QVatuor ſocij ingenijs, & ætate florentes ex hoc collegio abierunt, vt ſperamus in cœlum. In his Gaſpar Didacus Theologiæ auditor, cuius hæc præcipua ac propria laus fuit cubiculari ſolitudine, quoties liceret delectari, ibi cum Muſis, & cum Deo conſuetudinẽ habere, nullum pati punctum temporis officio

vicuum prӕterire. Itaque hoc ӕquiore animo diem obijt adolescens, quod florentis ӕtatis annos bene collocarat. Hunc secutus est Antonius Milo Magister Grammaticę ętate itidem florens, sed virtute maturus. nam quӕ res in nostris hominibus maximè laudari solēt in eo summӕ extiterunt. Primum eximia erga Sanctissimam Eucharistiam pietas, quam ille non modo oris habitu, in tanti mysterij vsu atque cultu, sed etiam crebris, accensisq; sermonibus declarabat. Deinde religio in B. Virginem singularis. hanc enim ille semper in ore habere, huius sacros dies sanctissime agitare, huius de laudibus domi cum socijs, in schola cum Discipulis, foris cum ciuibus, cum rusticis, cum viatoribus prӕdicare identidem cōsueuerat. Quo in genere illud accidit ad memoriam insigne. Sacerdos qui Miloni ad moriendum vicino de nocte aderat, ut illum B. Virgini vnice deditum esse cognorat, magnopere orare eum cœpit, ut vbi ad Dei Diuӕq; Marię conspectum venisset, pręcipuum quoddam sibi studium aduersus Deiperam Virginem impetraret. Annuit ille, ac subridens. Prӕcare, inquit, Deum Pater, vt quod ais mihi contingat ne tu me promissi non immemorem dices. Ne multa? illo mortuo. sacerdos iam promissi oblitus, nihilo secius sui postulati fructum cœpit maiorem in dies flammā crescere sentiebat in pectore, ac studium B. Virginis omni ope colen

da.

da. Miranti quid esset venit in mentem, & postulati sui et promissi Milonis. His rebus accedebat animi demisso, & Christiana humilitas in Milone incredibilis, quæ efficiebat, vt summa alacritate ac diligentia obiret ea ministeria, à quibus quòd minus speciosa videantur, vulgo homines ab horrere solent. Ille Vrbis compita circumire accliui, & æstuosa via; ille plebem malè feriatam ad catechismũ in templum corrogare; ille ad rei apparatum, symphoniacos, vexilla auro fulgentia, aliaq; eiusmodi comparare. Deniq; adeò cupidus ac studiosus erat instituti, rerumque societatis, ut summo studio omnia vndique colligeret, quæcunque siue ad Dei gloriam siue ad hominum salutem pertinere existimarentur. Quæ cuiusque collegij initia fuerint, quæ incrementa societatis, qui Euangelij lumen attulerint Barbaris, quas quisque gentes ad Christi fidem traduxerit, qui pro religione mortem appetierint qua occasione, quo mortis genere, quo anno, mense, die. Hęc ille diligẽtissime conquisita in commentarios coniecerit, qui commentarij magno vsui esse poterunt, si quando conscribetur societatis historia. His igitur Antonius Milo virtutum præsidijs septus yt ad Deũ, Deiq; Parentem, quam eximiè coluerat. Pro quatuor hisce, quos desideratos diximus quatuor, et viginti bonæ indolis adolescentes ad nos acceßerunt, supplementum sane copiosum collegij. Hi

cum reliquis Tyronibus, qui in probationis Domo collegij ædibus adiuncta de more exercentur, et cum Tyronibus identidem veterani dimissionis & paupertatis studio certant. Plerique eorum pannosi, atque impransi foris ad ianuam ædium nostrarum expectant, dum emendicatis ab ianitore ciborum reliquijs vnà cum pauperum grege humi cubantes, laute scilicet epulentur, has quippe illi delicias cum exquisitissimis delicatorum hominum epulis non comparant. Inuenti etiam sunt, qui emptorem in forum & circum officinas secuti res ab illo in vsum domesticum nostrorum coëmptas vt ollam, palam, et alia eiusmodi, domum deferrent. omnino in eam curam incumbitur, et quoniam hoc collegium non solum huius prouinciæ, sed etiam Aethiopię. Indiæ, totiusq; pene orientis seminarium est, qui in eo versantur, tales sint vnde ab ijs ad quos deinceps mittentur, omnium petantur exempla virtutum. Gymnasium, & doctoribus, & discipulis maxime floret. amplius quatuor, & viginti è nostris in docendi munere versantur. Auditores domestici amplius octoginta, externi ad duo millia censentur, est autem ingeniorum laus, et doctrinæ, virtutisq, fructus tanto numero par qui sane redundat in huius regni, non emolumentum, modo sed etiam salutem. Hinc potissimum exeunt, qui iuri diuino alijsq; publicis muneribus præsunt. Quo magis desudat no-

stro-

strorum magistrorum in his ad virtutem pietatemque conformandis industria. Nec parùm negotium adiuuit Alfonsi Albicastrij Conimbricensis Episcopi singularis erga nos beneuolentia, ac rerum nostrarum tutela, maximeque Gymnasij. Quęsitorum quoque de religione iudicium ad Societatis nostræ commendationē valuit plurimum. Namq; hi & consilio, & opera nostrorum multum vtuntur. Quorū enim reorum fidem suspectam aut superstitionem ignominia notandam iudicarunt; hos nobis instituendos tradere consueuerunt. nec defuit fructus. Ex his complures ad meliorem vitam adducti. octo ad rogum vsq; deducti, et ad spē æternæ salutis erecti. Aegri quoque & moribundi senserunt opem nostrorum; vincti & sacris mysterijs, & rebus necessarijs subleuati sunt. In quo genere illud et ad memoriam & ad exemplum illustre. Primores Sacerdotes, ac Magistri authoritate præstantes, per vrbem sine pallijs cibaria in custodias deferre consueuerunt, mirante simul & approbante Ciuitate.

Hęc domi, illa foris. Duodecim è nostris in regionem proximam (ea ad septentriones versa inter flumina Tagum ac Durium interiacet) missi. Hic incredibile est quantopere hi rem Christianam adiuuerint. Populorum quos adierunt vitia, prauas consuetudines, superstitiones; pactiones iniquas, calumnias corruptelas

iudiciorum, factiones, discordias vel sustulerunt, vel minuerunt. Ciuium, oppidanorum, rusticorumq; liberos libertas mancipia Christianæ disciplinæ summam docuerunt. Itaq; omissis væcordibus cantilenis, viæ, tectaq; pijs canticis personabant eaq; res non modo idiotarum aures permulcebat, sed etiam ciuium animos ad officium excitabat. Actum cum Præsidibus locorum, ut pauperum causę maturius cognoscerentur, negotia expedirentur diligentius. Vinctis præterea, & ęgris, cibaria, pecunia, vestes palàm sunt emendicatę. Egentibus summa amplius ducentorum triginta aureorum distributa: ijsdem in Hospitijs Misericordię lauta sæpè conuiuia nostrorum impulsu data, & discumbentium mensis nostri, ac nobilissimus quisque ministratione. Grandis itē pecunia, ac prædia nonnulla dolo malo possessa ad iustos Dominos rediere, falsa testamenta rescißa, lites inexplicabiles sublatæ, famæ bonorum consultum, cædes & facinora prohibita à pellicatu, incæstu, latrocinio plurimi abducti. Veneficorum ac sagarum fraudes præstigiæq; patefactę, & exterminatę, ita multi populi lustrati haud minore eorum vtilitate quam labore nostro, laboris vero fructum laborantium modestia ac patientia commendabat. Circum oppida cursantes longiora sępe itinera pedibus conficiebant, & æstuando, esuriendo, sitiendo, vigilando, concionando, confitentes

tentes audiendo, concursando nulli rei deerant, quæ ex vsu diuinæ gloriæ, aut humanæ salutis esse videretur. Quæ in his generibus præclara acciderunt innumerabilia sunt, nos ex omni numero vnum atque alterum exempli causa diligemus. Factiosi quidam iam diu capitali odio à suo Episcopo dissidebant. Serpebatque in dies latius malum, non sine pernicie ignominiaq; multorum. Id vbi cognouit noster Sacerdos, quoniam inueteratum erat malum, non nisi præparatis ante animis medicinam faciendam existimauit. Itaq; in concionibus, quibus illi ipsi discordię authores aderant, rem dissimulando, quoties se occasio offerebat, in odia, discordias, factiones, seditiones acriter inuehi, harum rerum quas vere pestes ac venena ciuitatum appellabat multa & grauia incõmoda inculcare: omnes ad pacẽ ad concordiã, ad humanitatẽ ad beneuolentiã impellere instituit. cũ quotidie aliquid proficeretur, ad extremũ ipsa feria quinta sanctæ hebdomadę vt negotiũ bene maturũ visũ est, & tẽpus ipsũ adiuuare, manũ admouit. In concione de sãctissima Eucharistia sermonẽ ingressus de singulari ac plane diuina caritate, quæ tã admirabile inuẽtum excogitasset ad homines, & cũ Deo, & inter se amore deuinciendos, ita auditorũ omniũ animos permouit, vt ipse factionis, ac seditionis princeps tẽplo egressus recta ad Antistitem contenderet, ac flens ad eius pedes se se

proÿce-

proijceret, tantiq; sceleris veniam peteret. ita eum Episcopus magnis paterni amoris indicijs complexus cum illi, ac reliquis seditiosis veniam liberaliter dedißet seditio plane sedata est, pax & concordia inter eos constituta. Pari ferme ratione in alio oppido graues ac perniciosæ inimicitiæ sublatæ. Duo ciues summo loco nati ab altercatione & certamine irarum ad arma venerant, horum alter in rixa graues acceperat plagas, qui vlcisci iniuriam omni ratione conabatur: Suos vterque cognatos, clientes, amicos suas in partes trahebat, inter hos odijs, inimicitijs, contentionibus decimum iam annum certabatur; tantumq; incendium, neque ipse Episcopus, neq; alij summæ authoritatis viri extinguere, aut sedare poterant. Eo loci res erat, cum sacerdos noster interuenit qui de tota re certior factus, dissimulato pacificationis consilio, in vtriusque partium ducis familiaritatem se insinuare cœpit, pacis & concordiæ commoda, illustria reconciliationũ exempla commemorare, feroces animos appositis sermonibus permulcere. Deniq; vbi satis res calere visa est, adit sacerdos eum, qui quòd læsus fuerat, ægrius ad pacem adduci posse videbatur. Hunc igitur comiter affatus per ambages magna, inquit, mihi lis tecum intercedit, vir clarissime, & ille quæ tandem? (inquit) nam mihi certum est litem perdere potius, quam vt tecum litigem. Tum noster

ſter accipio (inquit) omen. lis autem hæc eſt, vt deponas aliquando inimicitias à quibus decimum iam annum periclitatur ciuitatis ſalus. ad hæc cogitabundus hæſit ille paulisper, deinde exhilarata fronte, age, inquit, quoniam liberalis eſſe cœpi, nolo quicquam litium mecum habeas. Tum data dextera, en inquit, meam tibi obſtringo fidem. per me non ſtaturum, quin pax conueniat. Sacerdos ergo hoc promiſſo admodum lætus collaudata eius animi magnitudine, confeſtim alterum conuenit, rem demonſtrat, magnopere orat, ne ſe ab aduerſario humanitate, & manſuetudinis laude vinci patiatur, Facile ei perſuaſum. Itaq; poſtero die ambo ex compoſito in hoſpitium noſtri ſacerdotis conuenerunt cum magna cognatorum, amicorum, & clientum manu. Ibi coram viris grauiſsimis alter ab altero veniam petunt, atq; inter ſe amiciſsime complectũtur: inde in templum progreſsi ad concionem, quã noſter habiturus erat ſub oculis omnium ſellis iunctis pariter conſederunt, ea ſpecies prudentiſsimo cuique ciui elicuit lacrymas, propterea quod viderent quanto metu ac periculo eſſet ciuitas liberata. Hæc dies ſermonibus omnium celebrata mirifice auxit opinionem ſocietatis. Itum eſt etiam ad pagos ſitos ſub radicibus montis Herminij, ſtellæ montem vulgus appellat. Ibi ſacerdos cum fratre intendentibus ſe tenebris cùm incolæ ex agris domum reuertiſ-

uertissent, vicos obire cœpit, & alter tintinnabulo attentionem. cōciliabat, alter clara uoce, & ad permonendum inflexa pronunciabat ut supplices pro mortuis, qui in purgatoria sede vitæ delicta luerent, semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitarent. Ex inde ambo plebem in opportunum locum conuocatam catechismum edocebant. Habuit ea res admirationem, commendationemq; multorum. Matres familias ipsæ prospectātes de fenestris, Angelos societatis (sic enim nostros appellabant) aduenisse inter se gratulabantur. Ad confitendum maximi sunt facti concursus, satis constat duorum mensium spatio, sacerdotem nostrum cōfessiones ad septingentas quinquaginta excepisse. In his totius vitæ fermè trecentas. Multum etiam operæ positum in discordijs sedandis. nec frustra, amplius quingenti ad concordiam reuocati. Quo in genere illud in primis memorabile euētus ac prodigijs nouitate. In pago quodam noster sub noctem verba faciebat vd vulgus compertum habebat esse in concione non neminem, qui inducere in animum non poterat, ut ignosceret inimico. Ergo in simultates implacabiles, hominesque iniuriæ tenaces, atq; vltionis auidos acerrime inuehi, cælestes iras, inferorū cruciatus, ac tormenta minitari cœpit, omnia eo spectabanr, vt obstinatum illius animum flecteret, nec tamen ille cedebat. Ecce autem
cum

cum maxime cælestes iras noster denunciat, repentè cælum serenum (sub dies gerebatur) visum dehiscere, flammarumque globi ingenti strepitu per aerem ferri: æter horrendo fragore, tecta. solumque insolito terræmotu concuti. quod quidem prodigium eodem tempore tota Lusitania extitit, sed per opportune accidit, ad durum illud pectus emolliendum. Nāq; omnes qui aderant, vltimum humani generis diem adesse rati cum lacrymis, & clamoribus diuinam clementiam implorare debitasque delictis suis pœnas deprecari cœperunt. His igitur rebus obfirmatus animus tandem pertinacia destitit, & quasi cælesti voce iussus ad concionatorem accurrit. atque ad eius pedes prouolutus summis precibus petere contendit, ut statim se cum inimico reconciliaret: semet suæ salutis gratia ad omnia paratum descendere, ita pax inter eos conciliata cæteri quoque ut quisque aut alterum offenderat, aut alteri offensus erat, prodibant in medium, & se mutuo complexantes in gratiam redibant ita naturæ author prodigijs cælestibus ad multorum salutem est vsus.

Eborense Collegium.

HOc *demum anno ædificium olim ab Henrico Cardinali, qui deinde Rex fuit, conuictorū nostræ fidei creditorū domicilio destinatum*

saluti consultum, qui muliere, cum qua sibi ius coniugij non erat, contra ius fasq; in matrimonium ducta, plures ex ea liberos susceperat. Huic Episcopus nostro sacerdote deprecante cōcessit, vt remotis arbitris, eam in iusto, ac legitimo matrimonio sibi collocare posset, & cecidit res peropportune, ille paucis diebus est mortuus ac tanti beneficij memor Deo ac nostro sacerdoti gratias agere in ipsa morte non desistebat, bonæq: spei plenus decessit è vita. Parthenia sodalitas, & numero, & pietatis studio augetur in dies Christianæ disciplinæ summa rudibus, impensius tradita est, & pueri prȩmiolis allecti. Discipulorum probitas ex vno exemplo intelligi poterit. Vnus è nostris discipulis, ab impura muliere ad flagitium frustra sollicitatus, ac per vim comprehensus pallio relicto profugit, vt Iosephi illius Patriarchȩ renouaret vetus exemplum. Complures ex nostrȩ disciplinæ alumnis, perfectæ absolutæq; vitæ genus meditantur ex hoc numero quindecim se ad nostrum cœtum aggregarunt. Sex è nostris ad tria finitima oppida per magni ieiunij tempus contulere se se. Qui concionibus habendis, audiendisq; confessionibus multa vitia ex oppidanorum moribus exemerunt, plurimi etiam ex vicinis pagis concionis, confessionisue causa ad eos confluxerunt. Nec fructu caruit labor, confessiones complures à vigesimo trigesimoue anno, multæ

multę à prima pueritia sunt repetitæ. Magna vis pecuniæ iustis dominis restituta, multis locis sacrij sodalitates, vel institutæ, vel instauratæ. Mulier quam Diabolum per speciē sanctitatis varijs spectris atque artibus ludificabatur, confessionis beneficio liberata. Rudimenta vero fidei pueris atq; idiotis hominibus tanto studio inculcata, vt satis cōstet plus inde emolumenti, quam ex concionibus in populos redundasse offensiones item ac simultates etiam inter proximos sublatæ. Filio pater og morum peruersitatem infensus eum domo eiecerat, & fratres metu patris, suo non solum colloquio, sed etiam congressu prohibebant. Noster sacerdos. cum rem suscepißet, ita cum transegit, vt filius petita venia, patri obtemperaret, pater condonata contumacia, filiū domum reciperet. Cædibus etiam obuiam itū itum est. In oppido quodam duæ nobilium factiones inter se odijs armisq; certabant obstinatis ad vlciscendum animis, vt ciuitati certum exitium impediret. At partium duces nostri concionatoris oratione adducti, positis armis in forum, vbi sæpe inter se depugnauerāt, conuenerunt, ibique populo inspectante, atque gratulante in gratiam redierunt. Mulieri quoque viduæ persuasum est, & viri sui interfectoribus ignosceret, ageretque cum Magistratibus, ne in homicidas illos grauius animaduerterent. Porrò Matrona Eborensis e prima nobilitate

bilitate

litate, moriens amplius quinq; aureorum millia nostris reliquit.

Collegium Portuense,

Singularis Portuensium amor in societatem sociorum officijs augetur in dies magis. Nam vt a communibus abeamus, nostri sæpenumero commearunt ad hospitia leprosorum vt pene desperatam corporis valetudinem cœlestibus animi subsidijs solarentur. Multos, quorum salus falsis criminibus in discrimen erat adducta, periculo eximerunt. Consilia vlciscendæ per cædem iniuriæ discußerunt, pace inter inimicos constituta. Duo ciues nobili genere nati ex altercatione irarum diē locūq; certamini dixerant. Horum alter seruū suū subornarat, vt propter eūlocum, vbi pugna futura erat, in insidijs subsideret armatus, quò aduersariu si forte is superior eßet, ex insidijs adortus occideret. Huc igitur ex cōposito cū ventū esset constituta die, sine arbitris inter se depugnare cœperunt. Seruus vt iussus erat, ex occulto pugnæ euentum speculatus, vbi animaduertit dominum esse inferiorem, repente à tergo exoritur, & heri sui aduersarium grauiter in capite vulnerat incautum. Quo vulnere cū ille corruisset, pro mortuo relictus finem certamini fecit. At ille percurato deinde capitis vulnere, animo saucius tam atrocem iniuriam

atrociter vlcisci statuit. Sed nostri sacerdotis oratione mitigatus dolorem suum Deo, inimico iniuriam condonauit. Alter Ciuis multis præsentibus colapho percussus ab altero, percussoris sanguine eam maculam delere statuerat. Iamq; cognatos ad arma, cædemq; concitauerat, cum nostri sacerdotis hortatu, non modo consilium cædis, sed etiam odium deposuit. Nec sat habuit inimico priuatim ignoscere, sed vt reconciliatæ gratiæ fidem ciuibus faceret, cum eo qui modo inimicus erat, vrbem familiarissime circumijt, maxima admiratione ac lætitia bonorum. Subuentum est præterea rerum capitalium condemnatis, quo in genere quiddam accidit in primis memorabile, vel sceleris vel supplicij nouitate. Homo quidã ferus, ac barbarus inauditam antea sceleris immanitatem ausus inimico interfecto cutem detraxerat, vt non solum vitam eriperet, sed etiã mortui cadauer deformaret. Non diu latuit tanti author facinoris comprehensus conijcitur in arctiorem custodiam, catenis vinctus tenetur. Ibi tum ille, dum causa eius agitur, impendenti periculo territus consilium coepit supplicij, cruciatusq; minuendi, simulatione eximiæ pœnitentiæ, ac sanctitatis. Igitur inedia corpus macerare, à carne perpetuo abstinere, cibaria pauperibus impartire, assiduè Deum orare, suspirijs, gemitu, lacrymis incredibilem animi dolorem declarare. D. Hieronymum

mum ſaxum cruentatum tundendo pectus imitari. Sed nihil ſimulatum diuturnum. ſimulac pronunciata Iudicum ſententia ſuſpendio ſibi moriendum eſſe cognouit, rediit ad ingenium. ſtatim integumentis ſimulationis exutus oſtendere cœpit quale ac quantum monſtrum ſub illa ſanctimoniæ ſpecie latuiſſet. Ergo inflammato ore, ardentibus oculis, fanatica corporis iactatione fremere, furere, debacchari, Diabolos inuocare. Deum ac Diuos exſecrari, ſacroſancta myſteria irridere, denique vllum eſſe Dei numen negare, omnibus qui aderant ex rei nouitate ſtupore attonitis. Accerſuntur propere noſtri, aliiq; viri litteris ac religione præſtantes. Confeſtim igitur aduolant, pro ſe quiſq; blanda oratione permulcere efferatum animum argumẽtis ac rationis coarguere eius linguæ temeritatem conantur. At ille quamuis conuictus rationibus teneretur, nihil omnino de amentia remittebat: ac nihilo ſecius quę dementer effutiuerat, maiore dementia confirmabat. Cum nihil proficeretur, res defertur ad iudices, qui ab homine ſimulatore illa ſubdole iactari quærendæ moræ ſupplicio exiſtimãtes, protinus eum ad ſupplicium duci iubent; nec dubitabant quin ille hac ſpe lapſus ad patibulum præſentis terrore mortis ad ſanitatem mentis eſſet reuerſurus. At ille exerta lingua & paxillis alligata, vt eius violentia coërceretur, ductus ad ſupplicium, perſeuerabat in

amentia. Ad vltimum cum expedita lingua iam deturbandus esset e schalis, sacerdoti nostro, qui eum nunquam deseruerat, enunciauit, se quidem de religione ab eis non dissentire, sed nolle a Diabolo deficere, cuius causa ita à Christiana religione defecisset, vt pacisceretur cum eo perpetuam seruitutem, pactumq; suo Chirographo & sanguine consignasset. Hæc cum diceret, deiectus e ichalis malus male perijt. At plebs quæ ad spectaculum frequens confluxerat immanitate sceleris, & scilicet pertinacia impij sacrilegiq; capitis accensa, vt cũ qua par erat ignominia afficerent, spirantem adhuc & pendentem de patibulo certatim lapidibus appetere; sarmenta, & asseres de tabernis raptos circumdare, ignem subijcere cœperunt semiustulatum inde cadauer proiecerũt canibusq, dilaniandum reliquerunt, à quibus ita absumptum est, ac dissipatum, vt ne os quidem eius vllum compareret. Quæ res documẽto fuit quibus apud inferos supplicijs animus mactaretur eius, cuius cadauer tam fœdum in modum dilaceraretur. Et si autem insanabili pertinacis animi morbo mederi nostri non potuerunt, tamen intellectum est, non medentium incuria, sed ægri pertinacia, tanto malo factam non esse medecinam.

Colle-

Collegiuum Bracharense.

BRacharense Socij in vrbe Hispanorum Pontificum antiquissima, ac primaria sede, vbi preter nostros nulli sunt cœnobitę, plusquã pro numero laborarunt. Magni ad ædem nostram fiunt omnium ordinum concursus concionum, sacramentorumq; causa. Consuetudo catechismi aliquandiù intermissa maiore studio reuocata est. Magnopere iuuit negotium egregia vexilli pictura, & præmiola data victoribus. Atque item Archiepiscopus ipse cum puerilibus certaminibus non spectator solum, sed etiam hortator, laudatorque interfuisset, magnam sua commendatione huic rei tribuit authoritatem. Nec exigua Gymnasio facta est accessio. Discipuli creuerunt ad numerum mille ducentorum. Scholæ cum cęterorũ auditorum tum verò Partheniorum Sodalium studijs florent. Nec parua dictu res nostrorum in tuenda iuuentute diligentiam Ciuitati probauit. Ciuis erat haud obscuro loco natus sed ludo lucroque deditus. is cum se in nostrum Gymnasium insinuaßet, discipulos quibus aliquid pecuniolæ esse cognorat, ad ludendum pol liciebat, eosque homo veterator inanes dimittebat. Quare cognita Præfectus Gymnasij rem ad Vicarium defert, eius iussu vafer ille lusor à lictoribus comprehensus in custodiam traditur. pecuniam omnem ludo male partam red-

dere pueris cogitur, vulgata deinde res est, & cum nostræ disciplinę ac vigilantia laude multorum sermonibus celebrata. Interim etiam ciuibus Societatis officia præstita. Ciuis nobilis erat, qui accepta ab altero alapa, vt tantam contumeliam condonaret, nullius authoritate, ac precibus adduci potuerat, huic tandem à nostro sacerdote persuasũ est, vt faceret quod palam affirmarat, nunquam se esse facturum. Alter quod soluendo non esset in carcerem datus, vbi cognouit sibi ęs alienum à creditore condonatum, & ipse nostri sacerdotis hortatu, inimico iniuriam condonauit vir bonus haud magnare, ob æs alienum in custodia habebatur is suasu cuiusdam e nostris, vt hoc sibi depoposcit muneris quoties litaniæ in sacello recitandæ essent, ipse reliquis præiret, id ipsum ad libertatem magno illi vsui fuit. Paucis diebus ductus in carcerem est vir nobilis, & copiosus in primis. qui cum litaniarum supplicationibus de more interesset, canora præeuntis voce mirificè delectatus, diligere eum cœpit cognitaque deinde causa cur is in carcere teneretur, pro hoc ita spopondit creditoribus vt eum liberum abire paterentur. Quidam amplissimo loco natus, verèq; magnificus vicem miseratus ciuis pauperis, qui nobiles filias complures habebat, nostrorum hortatu, duas ex his in sacrarum Virginum coetum collatis; in singulas mille aureis dotis nomine co-

optandas curauit. In coniugijs quoque vel conseruandis, vel corrigendis opera præclare posita. Coniuges duo graui inter se odio dissidentes summa ope diuortium facere conabantur, qui ab vno e nostris reconciliati sunt inter se, & in pristinam gratiam restituti. Contra curatum, vt sex coniugum paria, quorum nuptiæ incæstæ erant, sublatis impedimentis rite connubia inirent. Pater familias homo ferus ac dissolutus, cum à filia moneretur, ut pellicem, quam magno eum famæ, ac rei familiaris damno apud se habebat, domo eijceret, ita exarsit iracundia, vt ipsam filiam exturbaret. Verum deinde nostri deprecantibus, ita mens eius conuersa est: ut recepta filia pellicē exigeret. Quatuor è nostris latrones duos ad supplicium æquo animo perferendum cohortati sunt vario euentu. Nam cum ambo pariter ducerentur ad patibulum: alter horum quasi bonus ille latro Christi socius pœnam illam, quam suis sceleribus debitam fateretur, haud inuitus luebat; contra alter instar illius mali latronis maledicta in iudices iacere, testes exe trari, suam innocentiam prędicare ad Dei Tribunal appellare non desistebat, cum & in via, & ad patibulum iactauisset, carnifex plura in eam sententiam dicere incipientem, religato ad stipitem fune, de scalis hominem detrudere maturat. Miras deinde res traditur, memorandum vtique diuinæ vel clementiæ, vel pro-

uidentiæ argumentum, paulisper nefarius latro pependerat, cum subito restis abrumpitur. ipse corruit semiuiuus. Dum nouus paratur laqueus, nostri ægre scilicet propter hominis inuisam maledicentiam; sed tamen paululum moræ supplicio impetrarunt. & cum illo, vt ad sanitatem mentis reuerteretur agere cœperunt. Haud surdis auribus dicta, confestim ille scelus agnoscit suum, & quamuis quassa voce vix proximis exaudientibus, reuocat ea quæ in iudices, testesq; dixerat. Inde naturæ, ac legibus debitnm soluit, immortali Dei munere in ipsa morte à sempiterno interitu uindicatus.

Brigantinum Collegium.

Brigantiæ Vrbs est in finibus Lusitaniæ, Legionensi Hispaniæ regno, itemq; Castulonensi proxima. Itaque facultas transeundi in finitimum regnum, eludendiq; leges ac iudicia admisso scelere, olim impunitatis spe ciuium alebat audaciam. Iamque ius & leges iacebant, vis & arma dominabantur; vix alibi magis apparuit, quid valeat disciplina. postcaquam nostrorum publicis priuatisq; sermonibus efferati horum animi mitigari sunt cœpti, & sacramentorum vsu ad humanitatem mansuetudinemq; christianam informari, mutata plane est Vrbis facies. tantusque ex ea re in nostros ciuium amor extitit, vt vulgo nos patria

triæ suæ patres appellent. Quam ob causam omnia societatis officia adeo grata illis accidunt, vt nihil magis. Et nouares hoc anno nostrum laborem his vtiliorem effecit. Deprehensa est non parua Iudeorum manus, quæ in hāc Vrbem quasi in regni sentinam confluxerat. Quibus carcere, exilio, bonorum spoliatione multatis, ciuitas cura, metuque releuata est. Itaque euenit, vt hac peste hominum expulsa, atq; exterminata, ex nostris laboribus fructus vberiores proueniant, Quippe tanti fiunt ad concionem concursus, vt præ hominum multitudine vix liceat concionaturo ad suggestum perrumpere, Christianæ disciplinæ rudimenta magno labore, pari fructu, pueris inculcata. Ad quorum diligentiam acuendam, bini ex ijs qui longe industria reliquis præstarent, specioso titulo decorati sunt, apparatu, plausuq; & gratulatione popularium non vulgari. Horum parentes amplissimis familijs nati equos phaleratos, insignemq; famulorum comitatū ad templi nostri valuas eis præsto esse iusserunt, vt ad publicam lætitiam cum hisce insignibus per vrbem veherentur, sua quoq; laus, suumq; decus Gymnasij nostri discipulis fuit præsertim verò sodalibus B. Mariæ. Ab his Dialogus in scena datus, non iucunditatis magis plenus, quam vtilitatis, adeò spectatores omnes sunt ad litterarum, virtutumq; studium inflammati. Nec minus foris, quam domi ciuitas à no-

stris

strisadiuta. Breuitatis causa summa capita perstringam. Inimicitiarum causæ sublatæ, pellices eiectæ, anxię conscientiæ sedatæ: debita à Creditoribus, aut concessa, aut in opportunum tempus dilata, sed præcipuus fructus ex iniuriarum condonatione perceptus. Ciuis honestus in amicitiam recepit eum à quo grauissimam contumeliam in conspectu magistratuũ acceperat. Alius qui cum medico Ciuitatis inimicitias gerebat, in grauem ac periculosum morbum inciderat, Iamq; medentis ope destitutus erat morti proximus, cum nostrum sacerdotem confessionis causa accersiri iubet. Is de omni re certior factus Medicum adit Christiani officij hominem admonet. Quid multa? ad ægrũ adducit, eique reconciliat, & breui reconciliatæ gratiæ fructus extitit, æger fideli sedulaq; Medici opera vsus paucis diebus ex morbo conualuit. Nec nostrorum rusticatio huiusmodi officijs vacauit. Prædium est huius Collegij per amoenum ac salubre, quo Magistri quotannis in æstiua mittuntur. Hic igitur cũ essent, nuntiatum est, incolam pagi vicini virum rusticanum ex obitu fratris, qui fulmine ictus interierat, tantum percepisse moeroris, ut ipse non longe ab interitu esset, hunc enim decreuisse voluntaria inedia sibi mortem consciscere, nullisque domesticorum, amicorumue præcibus sententia dimoueri potuiße: iam eò rem eße adductam, vt parum videretur abesse,

quin

quin eum animus vireſq, deficerent; confeſtim profectus eo vnus e noſtris, offendit hominem collapſum, nec iam compotem mentis, cognatos autem domeſtico luctu occupatos? Tum noſter inutili eorum lamentatione obiurgata, oua ſorbilia celeriter afferri iubet, et ruſtici ore per vim diducto ipſe vitellos ouorum ſaccaro inſperſos in os inſerit. Haud ita multo poſt, ille redeūte animo circumſtantes cœpit agnoſcere. Tum noſter. Heus tu, inquit, Dei beneficio es modo ereptus ex orci faucibus. Vide etiam atq; etiam quid agas. Si voluntaria fame perieris, corpus tuum inhumatum proijcietur, animus apud inferos æternis pœnis mactabitur. Hac illa denunciatione permotus inſania deſtitit, ac pagus omnis hoc caritatis officium laudibus in cœlum extulit.

Collegium Funcalenſe, & Angrenſe, Sedeſq; Angolana.

F*Vncali tanta concionum ſacramentorumq; cauſa ad noſtram ædem confluit multitudo, vt templum ſatis capax augeri oporteat. Harum autem rerum multiplex perceptus eſt fructus; veſtis & pecunia à ditioribus liberaliter collata in vſum pauperum, quibus rebus multarum etiam Virginum pudori pupillorumq;*

rumq;

vantes ad rectam benè beatèq; viuendi viam reduxit. In his vnus qui suæ salutis oblitus à sacrorum vsu mysteriorum penitus abhorrebat, vsq; eo sacris concionibus est permotus, ut quemadmodum ipse de se dicere solebat. E Saulo fieret Paulus. Alter cum nostrum de Christi reuiuiscentis mysterio dicentem audisset, iurauit se non prius carnem gustaturum quam confessionis ope animam suam à morte reuocasset. Quidam cum circum maria nauigando ætatem contriuisset, hic tandem portum salutis inuenit. Nam exhausta conscientiæ sentina, tantam animo lætitiam cœpit, vt & sibi, & alijs admirationi foret. Paucis diebus, quasi cygnus vicina morte gestiẽs decessit. Nonagenarij coniuges duo sæpe longo, & accliui itinere ad sacerdotem nostrum accesserunt, ne sacrarum concionum fructu carerent, adeò illos diuini verbi dulcedo cœperat. Sacerdos porrò noster ex oppido discedens mirum sui & societatis nostræ desiderium reliquit. Id vero docuit euentus. Haud ita multo post nauis, vbi duo erant è nostris, ex itinere eam forte oram multa iam nocte patebat. verebatur gubernator, ne ab excubijs, vt fieri solet, in anchoris expectare, & pernoctare cogerentur in salo. At vbi Nautæ iussi edere nomen, Patres aliquot societatis vehi illa naui dixerunt: re in oppidum nuntiata, propere intempesta nocte sacerdotes pariter & oppidani obuiam nostris pro-

dierunt

dierunt. Tantum fuit eorum studium, ut alij vadis, alij notatu ad nauim accederent eamq; etiam suppositis certatim humeris in terram subducerent, vt quam primum carissimorum hospitum aspectu fruerentur.


Collegio Angrensi auctum hoc anno patrimonium est empto prædio pastioni, santioniq; idoneo. Ad templi supellectilem dono dati auri trecenti, totidem eoq; amplius ad subsidium pauperum à diuitibus corrogati. Nostri diu noctuque euocantur, vt ægris ac moribundis opem ferant. Ex nostris scholis non nulli religiosam vitam amplexi iam sunt, alij meditantur, reliqui magnum eruditionis atq; virtutis specimen prebent. Militum præsidia, tum publicis tum priuatis sermonibus adiuta sunt. Vinctis non modo ad salutem animorum, sed etiam ad cultum corporum necessaria suppeditata. Maximus est numerus eorum, qui ad nos sacrarum concionum, confessionumue causa ventitant. testimonio est, quod vnus sacerdos amplius centum audiuit de totius vitæ peccatis confitentes.

Angolana sedes hoc primum anno ex diuturno, ac multiplici malo respirare cœpit, Namque ante hæc bellorum offensiones tumultus præsidiariorum militum, Ducum discordia Barbarorum defectio, piratarum hæc maria obsidentium immanitas. Angolanam regionem multis, ac magnis calamitatibus affecerunt.

runt.

runt. At verò nuper aduentu Lusitanæ classis, seditio sublata, rebelles domiti, Christiana pariter, ac Lusitana res aucta. Hæc generatim ad nos ex illis locis pertulit rumor. breui Lætiores etiam, ac certiores nuncios expectamus. Intellectum est ex litteris priuatorum, nostros duo inibi habere domicilia, alterum Macignani, quæ Vrbs mediterraneâ abest à mari millia passuum ducenta. Sacerdotem vnum e nostris ad Regē Congi mißum, alterū esse in exercitu cum Lusitanis accessisse ad nostrum exercitium sociorum Dynastarum auxilia ad numerum viginti millium sagittariorum: magnam in spem omnes venire breui futurum, vt debellatis hostibus, læta repentè pax consequatur.

PROVINCIA MEXICANA.



SOCIOS hauit hoc anno amplius ducentos triginta. Mexici, in Domo professa tredecim, in collegio saxaginta quinque. In seminario vndecim. In Anglo politano collegio septem & triginta, in seminario quinque septemdecim in Guaxaquensi collegio, in Noua Galiuano decem.

octo

octo in Vallisoletano. In sede Pasquarensi tredecim: vndecim in Topozotlana. Totidem in Domo veræ crucis. Apud Philippinas vno minus. In Catecana sede quinque, vno minus in Cynaloana. tres in Guadianensi. Tres nobis mors abstulit, quindecim diuina bonitas aggregauit.

Professorum Domus Mexiana.

Hanc domum Deo cordi esse, hominibusq; saluti futuram, ex eo coniicimus, quod vix dum nata, cum maxime opprimeretur ab aduersarijs, altiores egit radices. Ioannes Ludouicus Ribera Mexicanæ ciuitatis senator idemque Regius Quæstor superiore anno domicilij huius vicinis coëmptis ædibus, fundamenta iecit. Quod vbi increbuit, omnes omnium ordinū cœnobitæ, qui hic sunt, prosequisq; reclamare, aduersarique cœperunt. demum controuersia in Hispaniam ad summum Catholici Regis consilium reiecta est. Interim nostri omisso cum aduersarijs certamine, in ciuium vtilitatem incumbere, omni officiorum genere eos iuuare, aduersariorum crimina non verbis sed factis refellere instituerunt; ita victa tempestas ferendo est. Nam ciues simul modestia, patientia, ac taciturnitate, simul industria, sedulitate, diligentiaq; nostrorum adducti nobis apertè studere, palámq; dictitā- [illegible] vis potius

tius passuros, quàm nostros aliò demigrare. Ad hæc ædem nostram magna frequentia celebrare cæperunt. Quibus aduersarij rebus permoti, præsertim cum tantos cuiusque generis hominum concursus ad nos fieri videãt; dissimulare coguntur; iamque sibi persuasum habent, fieri nullo modo posse, vt nos loco Societatis muneribus tam opportuno deijciant. Domus quippe eo loco sita est, qui locus propter opportunitatem, ciues nostram operam requirentes facile inuitet atq; alliciat. Itaq; festis diebus ad nos omnium ordinum atq; ætatum incredibilis confluit multitudo, vel concionum, vel sacrorum mysteriorum, sacramentorumq; causa. sæpe autem vsu venit, vt sex sacerdotes domestici, alijq; præterea subsidio missi ex collegio confiteri volẽtibus, satisfacere assidua opera nõ possent, Maior etiãad nos ventitantiũ frequentia esset futura, nisi multi sacræ ædis angustijs excluderentur in seruitijs verò mãcipijsq; omnis generis erudiẽdis susceptus labor nõ minori eius vtilitati, quam ciuibus admirationi fuit, cũ viderent tã diligenter abiectissimo hominũ generi à nostris operã nauari. Conciones porrò multis salutem attulere. In quibus vnus fuit, qui in nefario concubinatu ætatem contriuerat. Is diuini verbi vi adductus, quasi abstersa fuligine, honestæ vitæ genus instituit. Alter cum Concionatorem nostrum de mortis in omnibus dictis & fa

ctis memoria differentem audißet, vsq; eo salutare preceptum animo imbibit, vt eius ne in ipsa quidem rixa immemorem se preberet. Namq; ab inimico inuasus, cum inuasorem ipsum gladio deiecißet; facileq; negotium conficere posset; tamen mortis mortalibus semper impendentis memor animum vicit. inimico iacenti veniam dedit, & arma cum odio deposuit, quamuis inuito ac repugnante inimico. tantum etiam apud læsum, iratumq; mortis memoria valuit. Huic concio alteri quem Diabolus omni ope irretire conabatur, confessio saluti fuit. Huic dæmon primo oblata eximia mulieris specie illexit, blanditijsq; captum extra Vrbem in remotissimum ab arbitris locum multa iam nocte seduxit. Ibi hominem magnopere monere, orare, postremo imperare, vt B. Mariæ coronam, quam circumferebat, statim abijceret, si sua forma frui vellet; mirari adolescens, qui corona in veste abdita illi suboluisset: cur tantopere B. Virginis cultus inuisus esset. ad extremum suspicatus id quod erat, illum Diabolum eße; omnino negat se id eße facturum. Hic Satan ubi nihil impetrat, ira furens, abiecta mulieris forma, se se in horribilem belluam conuersit, & vnguibus, cornibusque, attonito rei nouitate adolescenti exitium minitatur. Sed furor vltra minas progressus non est. B Maria bellue impetum prohibente; ille autem metu quidem exanguis, sed

tamen

tamen incolumis, se se inde proripuit. Nihilo secius illi Dęmon aliàs aliijs spectris insidias struere instituit, ac modo aurum, modo voluptatum illecebras obijciens incautum subinde captabat. At ille vt se aliquando his molestijs, ac periculis liberaret, nostrum sacerdotē adire constituit. Huius suasu sacramentis armatus omnes importunissimi aduersarij conatus elusit. ita adolescens B. Virgini deditus eius secundum Deum ope præsens periculum vitauit. Per Quadragesimæ tempus complures sub noctem in nostram ædem singulis hebdomadis coëunt, vbi vnius e nostris cohortatione incitati strenue se se diuerberant. Tanta porro est erga nos ciuium benignitas, vt siue quæ ad victum cultumq; corporum siue quæ ad templi ornatum diuinumque cultum pertinent abundè suppeditent, ut aliquāto etiam plures socij ali posse videantur.

Collegium Mexicanum.

HIc socij trifariam diuisi, partim Hispanorum saluti consulunt, partim indigenas catechismo erudiunt; partim disciplinis ac bonis moribus instituunt iuuentutem. Atq; ut primum dicamus de postremo, Gymnasio ad disciplinam, ratio studiorum nuper ab vrbe missa per magno vsui fuit. Hoc anno addita est sacrarum litterarum schola, quàm vehementer expetita, tam auide accepta. Soda-

les B. Virginis quotidie & numero, & pietate auctiores habemus. Horum in valetudinarijs frequentandis, reliquisq; christianæ caritatis officijs exequendis mira virtus enituit, complures ex nostris discipulis, tum in aliorum ordinum familias, tum vero in societatem sunt adscripti, In his duo Theologiæ laurea insignes, quorum alter erat Collegij sanctorum omnium Rector. Alius adolescens claris, ditissimisq; parentibus natus, magnopere societatem appetebat, enixeq; vt reciperetur instabat. Negabant nostri id fieri posse inuitis parentibus, atq; in eo perstabant. Itaq, ille domum regressus nos prius parentes rogitare, vrgere, premere destitit, quam inuitos licet ac repugnantes flexit, ac vicit, ita demum ipsorum voluntate nostris se aggregauit. Discipulorum nostrorum tantum iam nomen est, opinioq; doctrinæ. atq; virtutis, vt Academię Regię Doctores, & Curiarum Parochi ex hoc numero potissimum diligantur. itemque in Ecclesiasticis muneribus, beneficijsq; mandandis nostræ disciplinæ Alumni facile cæteris antefe runtur. Socij porro omnes ad mentes diuinis commentationibus de more acuendas, se se certis anni temporibus receperunt. Quo maiore animi ardore, & in virtute capessenda domi, forisq; in subleuãdis Hispanis, indigenisq; versati sunt maximo fructu. Primarius quidam vir (vt de Hispanis qui primas obtinent

priore

priore loco dicatur) nostri sacerdotis hortatu cum alio à quo grauißimam acceperat iniuriam, tandem rediit in gratiam: nec exiguum suæ mansuetudinis pretium tulit. Nam deinde graui oppressus morbo cum non procul abesset à morte, exclamare cœpit. nunc demum sentio pro condonatis Deo inimici iniuriis, diuinam in me clementiam, ac largitatem; en mihi explorata spes offertur salutis æternæ, ut vel hinc intelligam, quantum illi debeam. qui mihi author huius consilij fuit. Repertus est, qui cum multos iam annos relicto cœnobio flagitiosè vixisset nostris ducibus in viam salutis rediret. Non neminẽ variis rerum contractarum laqueis irretitum nostri sacerdotis opera expediuit. Quidam turpißimis grauißimisq; flagitiis coopertus adeò resipuit, vt honestam vitam institueret, & admißa dedecora voluntariis pœnis, iisq; grauißimis vindicaret. Alius perditæ nequitiæ mortifero cum vrgeretur morbo, spem omnem æternæ salutis abiecerat. hunc domesticorum accersitu noster sacerdos cum adisset, apposita oratione iacentem eius animum ad diuinæ misericordiæ fiduciam ita erexit, vt superioris vitæ turpitudinem sacra confeßione deleret. Inde ille conscientia scelerum releuatus prædicare cœpit, Profectò B. Virginis beneficio, quam quotidiano precationum officio venerari consuisset, sibi contigiße, vt Angelus (hoc nomine sacerdotem

appellabat) è cœlo ad se mitteretur, cuius voce ac manu eriperetur ex faucibus Dæmonis. Itaq; paulo post B. Mariæ præsidio lætus, bonæq; spei, ac fiduciæ plenus, decessit, adeo illi salutaris Deip. Virginis cultus fuit. Duo viri satis honesti capitalibus inter se odijs atq; armis dissidebant: & odia ex graui alterius contumelia, ac maledicto profecta nullum finem habitura videbantur, nisi cum vtriusque familiæ exitio. Hos inter per nostrum sacerdotem pax & amicitia constituta est, memorabili quadam ratione. Is qui iniuriam acceperat nostri suasu, vt vinceret in bono malum, inimico inopia laboranti magnam pecuniam est largitus. ita maleficium beneficio vultus hominem sibi deuinxit. & ex inimico reddidit amicissimum. Multæ etiam Virgines apud nos sacramenta frequentare solitæ cum Vniuersæ Ciuitatis admiratione & exemplo, ad varia se Virginum cœnobia receperunt. Nec Hispanorum diligentius quam Indigenarum salus curata est. Horum maior in dies multitudo in nostram ędem concurrit sacrę confessionis, communionisque gratia: & (quod in Neophitis mirandum est, maxime) quo acerbius ob eam rem exagitantur ab alijs, hoc ipsi libentius ad nos ventitant. curatum etiam est vt in celeberrimo indigenarum mercatu vnus è nostris semel in hebdomada ad eos concionem haberet: quæ res adeò grata Proregi accidit,

vt

vt per suæ potestatis ministros atq; lictores corrogari, cogiq; auditores; & simul in tanta hominum turba quietem ac silentium præstari iuberet. Vsus est semper concionator secundis auditorum auribus; animisq; Tantusq; sæpè omnium extitit motus, vt nequaquam lacrymis temperarent. Ea res non modo ciues, & accolas deliniuit, sed etiã ex longinquis locis nobiles, ac principes viros, qui nunquam societatis nomen audierant, nobis conciliauit. & ad nostram ædem vsque perduxit, vt suis rationibus ac saluti consulerent. B. Mariæ sodales indigenæ incredibile dictu est quanto & egentibus adiumento sint, & cæteris exemplo. Pro se quisq; valetudinarys, publicisq: custodijs operam nauant. priuatas ægrorum pauperum domos adeunt: & pro facultatibus subleuant. aduenas ac peregrinos per Vrbis vias conquisitos ita excipiunt, vt eorum non magis corporibus, quam animis consulant. mortuis pauperibus, nõ modo iusta persoluũt, Sed etiam corrogata pecunia sacrum piaculare pro mortuis sedulo curant. Porrò ex nostrorum numero vnus ad meliorem migrauit vitam. Adolescentulus erat singulari religione, obedientia, simplicitate, qui quadriennio in societate non dum exacto, incredibili virtutis studio, & contentione currendi vsus, quamuis longæ ętatis cursum æquarat; vt vix è carceribus emissus decurisse videretur ad metam.

Is vbi cæleste viaticum moribundo sibi allatū vidit, perinde quasi æternam fœlicitatem animo præciperet, gestire gaudio cœpit. viatico inde instructus, tanquam pignore accepto, exultans pios hymnos summo pietatis sensu canere: hisq; modo Sanctum Spiritum inuocare, modo sacrosanctam celebrare Eucharistiã, modo Deiparam Virginem implorare instituit. Cum hæc maximè caneret, urgente morbo ad eos abijt quorum laudes tanto studio canebat maximo domesticis sui desiderio, & exemplo relicto. Res præterea familiaris, non parum aucta est quorumdam liberalitate, qui nobis ære alieno oppressis ingenti pecunia subuenerunt, hac pecunia & creditoribus quod debebatur persolutum, & res domestica constituta. Ad hæc templi ædificatio satis processit, atq; ad ædis ornatum uaria ex argento suppellex accessit, quæ sexcentis aureis æstimatur.

Collegium Angelopolitanum.

QVoniam Angelopolitano Collegio probationis Domus adiuncta est perstringemus initio Tyronum propria, ut liberiore deinde stylo ad ueteranos ueniamus. Tyronibus igitur præter domestica munera, magnam hoc anno uirtutis materiam præbuit Hispana classis, quæ ad nos referta ęgris tum nautis tum militibus appulit. Ergo Nouitij ualetudinaria

ria identidem ad ire ægris pauperibus, & corporum, & animorum auxilia quærere; moribundis omni ope atque opera subuenire insliterunt, non minore approbatione ciuium, quam ægrorum vtilitate. Multorum quoque in uarÿs domesticorum conatibus est spectata constantia. Adolescens bonæ spei, ac sui viris nostris se se aggregarat, cognatis, affinibusque inscientibus. Qui veriti iuuenilem, ex subito, vt credebant, consilio inconstãtiam, cum senatu, senatoribusq; regÿs agere decreuerãt vt ex sen. consulto adolescens in pristinũ locum restitueretur. Hac ille de re certior factus, Mexicum propere contendit. Ibi apud suos de societatis instituto, de suo consilio ac voluntate tanta, ui, atq; ardore animi dißeruit, vt illi satis edocti, statim negotio destiterint. Alter cum à Tutore & colloquÿs, & subdolis insidiosisq; litteris sollicitaretur, eius verba coram refutando, litterarum obsignatas ad Nouitiorum magistrum referendo, omnes illi aditus ad se oppugnandum interclusit. Alius ad quem aliquot oppida hæreditario iure pertinebant, vrgentibus regÿs ministris, ius suum omne solemni stipulatione secundis hęredibus remisit, ne ipse quæsitum ius societatis amitteret. Hunc pari studio, ac laude est adolescens alius imitatus, qui cum vnicus esset aliquot oppidorum hæres, præ societatis bono illa omnia pro nihilo duxit, &

tantam

tantam hæreditatem caducam fieri, quam ipse appetitæ societatis spe decidere maluit. Nobis quoq; Ciuium beneuolentia, & societatis existimatio parte aliqua, rei familiaris redimenda fuit; lis nobis erat cum quibusdam ciuibus: ea res plurimorum ciuium à nobis animos auerterat. Itaque cum grauior nobis esset amicorum, quam fortunarum iactura, de nostro iure remisimus. vltroq; causa cessimus. Hanc liberalitatem æquitatemq; animi tanta omnium beneuolentia, & societatis opinio est consecuta, vt ille nobis casus optandus fuisse videretur. Ex eo tempore ciues; & crebrius, & alacrius, nostris vtuntur. Conciones festis diebus in æde maxima incerdibili frequẽtia fructuq; sunt à nostris habitæ. Multorum inimicitiæ iræq; restinctę, duorumq; in primis nobilium, quorum odia spectabant ad cædem, calamitatemque plurimorum. Nec pecunia solum iustis Dominis, sed etiã fama restituta. Ex quo genere illud non indignum memoria. Quidam maleuolentia adductus viros quosdam religiosos fictis criminibus nefariorum probrorum insimulauerat; huic persuasum, vt publice quæ obijcerat, reuocaret, notamque sanctis viris ab se inustam omni ratione deleret. In cænobijs Virginum Episcopi rogatu, de religiosa disciplina sermones habiti salutares fuerunt. Id adeò Episcopus ipse testatus est cum ita diceret, se planè perspectum habe-

re

re, quantum ille in religionis, perfectęq; vitę studio profecissent. Iam Philosophiæ schola superiore anno instituta (vt de Gymnasio aliquid dicamus) discipulorum & numero, & exercitationibus floret; viget in primis in omni doctrinæ genere industria horum adolescentium, qui in seminario sancti Hieronymi, quadraginta numero ab vno de nostris reguntur, publicę autem disputationes sæpe illustrium, ac sapientium Virorum præsentia decorantur Sodalitas quoq; B. Mariæ hoc anno instituta succedit ex sententia, magnamq; spem affert publicæ vtilitatis. Indigenæ ampliore sacello, qui conueniant ad id ędificato, diebus festis, tum antemeredianis, tum pomeridianis sermonibus ad christianam religionem, disciplinamq; sedulo informantur. Nec in liberis capitibus labor consistit, sed descendit ad seruos. priori concioni sub Missæ sacrificium intersunt mancipia lanæ opificio addicta, quæ in vinculis eo ex ergastulis educuntur. Posteriori vero adesse consueuit cætera indigenarum multitudo. Porro sub vesperum eorum agmina instructa à nostris per celebres Vrbis vias ducuntur, catechismum pariter canentes, vbi in forum vētũ est, vnius è nostris cohortatione, & ipsi & qui spectandi studio conuenerunt ad virtutis amorem, vitiorumque odium impelluntur. Sic vna opera, & imperiti rebus salutaribus instruuntur, & compotationes, ludi, aliaq; eius-

diuinitus obiectum fuisse. Delectu ex indigenis habito, instituta sunt sodalitia duo. Alterum B. Mariæ Annunciatę, alterum Archangelo Michaeli dicatum, vt inter vtriusque sodales pia quædã æmulatio vigeret. Nec spes fefellit. Ita duo hi coetus pietatis studia æmulantium habentur, vt Deiparæ Virginis, sanctorum Angelorum, aliorumque cælestium festos dies, vtrique certatim insigni Symphoniacorum concentu, maximoq; confitentium, & communicantium numero celebrare contendant. Lustrata item sunt finitima oppida quãtum nostrorum paucitas patiebatur. Nec lustrandi labor parum fructuosus fuit. Mulier indigena à nostris instituta prope virili animo grauissimas ærumnas, ægritudines, cruciatus perferebat. Hanc diabolus horrendis identidem spectris territans à nostrorum consilys, vsuq: sacramentorum probibere nitebatur. Eoque impudentiæ venit, vt illi gladium porrigeret, instaretque vt sacra cælestis agni cera, ac B. Virginis corona abiecta, ærumnas omnes ac miserias voluntaria morte finiret. At illa ex osculans, ea quæ proijcere iubebatur, & Iesu, Mariæque salutaria nomina inclamans, importunissimi hostis insidias elusit. Altera animam agens adduci non poterat, vt ritè confiteretur. Huic sacerdos noster voluntatem, facultatemque confitendi à Deo precibus impetrauit. Vir erat indigena, qui

qui ex vulnere moriens uitæ vsuram à Deo tantisper deprecabatur, dum ulcisceretur inimicum. Ad hunc accitus vnus e nostris, ita efferatum eius animum permulsit, ac deliniuit, vt protinus mutata uoluntate accersiri inimicum iusserit. Eique multis præsentibus non sine beneuolentiæ indiciis iniuriam condonauit. Idem sacerdos iter faciens diuino instinctu indigenæ cuiusdam moribundi tectum intrauit, eiusque confessionem excepit, mortis opportunitas diuinum beneficium declarauit. Melchior Couaruuias huius Collegij fundator hoc anno meritis in societatem, ac Rempublicam clarus migrauit in cælum, homo insigni in pauperes munificentia memorandus. Is cum sex & quadringinta aureorum millia dum viueret ad subsidium pauperum erogasset. moriens aureorum triginta millia cœnobijs sacrorum virorum, Virginumque legauit reliquæ summæ. Atque vt magis intelligatur qunatum huic optimo, amantissimoque uiro societas debeat, id sua uoluntate ac iudicio fecit, & quod prudenter constituerat, in eo constantissimè permansit. Nam multis vrgentibus. ut testamentum immutaret, acriter restitit dictitans, profectò mentem hæreditatis societati relinquendæ sibi diuinitus iniectam, à qua mente discedere, nefas esset. Idem nostros qui moribundo aderant, moriens iucundissime est amplexatus, atq; ut suam eximiam obseruantiam

tiam

tiam erga Dei parentem declararet, uoluit, ut quem honorem societas consueuit, hunc B. Virgini deinceps haberet, eique ipso Natali Collegij die candelam conditori tradi solitam consecraret, atque in eius conspectu accenderet. Idque consignatum litteris reliquit. Vir plane dignus quem Dei Parens, & uiuum, & morientem suo præsidio tegeret, & uita functum in suis numeraret. Porrò hisce rebus secundis aduersæ aliæ interuenere, sed exitu prospero. Religiosi cuiusdam ordinis concionator inimico animo in nostros homines est inuectus. Nec eo contentus litteras ad unum e regni huius Magistratibus dedit, quibus animum eius à nobis abalienaret, efficeretque, ut nos lite quadam caderemus. At nostri nihil sibi contra ea nec dicendum, nec faciendum putauerunt, causa innocentiaq; freti, ita patientia irā uicit concionator ille una cum sui cœnobij moderatore ad nostri Collegij Rectorem accessit, & supplex ab eo ueniam erroris petijt, prædicans nostrorum in perferendis iniurijs patientiam, in rebus administrandis æquitatem sibi magistrā fuisse, & in rectam uiam redeundi ducem. Vnus est è societate desideratus est. Ioannes Roxas, qui cum Poilosophiæ operam daret, obijt diuturna, ac permolesta tabe cōsumptus. Extant tamen eius uel ualentis, uel egrotātis maximarum exempla uirtutum omnium. Eximiū in illo dei orandi studium fuit, mira obedientia

tia

ſibi mortem conſciſcere parabat, qui tamen noſtri concionatoris oratione mitigatus, cũ inimico & cum deo rediјt in gratiam. Gaxaquenſis B. Mariæ effigies, quæ apud nos eſt, pluribus indies, illuſtrioribusq; miraculis nobilitatur. Complures inter dolores, morbos, pericula voto nuncupato ſiſtendi ſe B. Virgini præſentiſsimum cœleſte auxilium, ac præſidium experti. In his vnus deſperatæ valetudinis B. Maria implorata, cum morbum depuliſſet, reddendi voti gratia venit in templum. Ibi cum in Sacello B. Virginis ſub rem diuinam ſupra eius caput ſacrum euangeliũ recitaretur, reſiduos ex diuturna ægritudine dolores leniri extinguiq; ſentiebat, vt planè ſanus & incolumis domũ rediret. Adiuuit hæc fama Sodalitatem Deip. Virginis ut excitatis multorum ſtudijs, pius ille cœtus, & probitate augeretur & numero. Nam præter lectiſsimos ex omni diſcipulorum numero adoleſcentes cooptati ſunt in eam ſodalitatem honorati viri quam plurimi, ac principes Ciuitatis, qui ſodalium leges accuratiſsimè ſeruant, & frequentandis ſacroſanctis myſterijs maximo sũt cæteris incitamento; vel virtutis vel pietatis. Sacerdotes præterea è noſtris duo in indigenarũ inſtitutionẽ ſummo ſtudio incubuerunt. Itaque illorum complures tantos in Chriſtiana diſciplina fecere progreſſus, vt ipſi ſe ad pietatis officia viciſsim hortentur, alios vero à

vitijs ad virtutem traducere summa ope conantur; & quanquam sępè ob eam rem maledictis contumelijsq; vexantur, tamen omnia libenti animo perferũt, modo aliquem ad Christiane viuendum adducant. Per Quadragesimam sextis ferijs sermone de poenitentia habito, supplicationeque indicta, sacrosanctæ Crucis particula maxima supplicantium frequentia circum ædem nostram lata est, non sine ingenti omnium fletu, ac lamentatione. Nec frustra id fuit. Ea res complures ad confessionem rite instituandam incitauit. Quidã indigena periculosè ęgrotans sacerdotem nostrũ ad se accersiri iusserat; quẽ vbi conspexit, & si fractis erat prostratisq; viribus tamen gaudio alacer subito se erexit (sanum ac valentem diceres immortalesq; Deo gratias agere cœpit; quod tandem societatis nostræ sacerdotem videret; inde rite de peccatis confessus magna cum spe foelicitatis excessit è vita. Profecti sunt aliquot e nostris non solum ad finitimos, sed etiam ad longinquos populos. Nam duo Guatemalam vsq; missi semestri labore rem Christianam magnopere illis locis iuuerũt Vbi enim a sacrorum Antistite, ac Præside cõsilij Regij, omniq; nobilitate maximis beneuolentiæ signis excepti, & honorificé, semper, liberaliterq; tractati usu didicere, quam vera essent, quæ de eximio illius regionis erga nos amore ac studio fama vulgarat. Præsés quidem

dem litteras ad Regem deditCatholicum, quibus planum faceret, societatis nostrę officia magnopere & ad Dei cultũ, et ad regni cõmoda pertinere. proinde committendum non esse vt illa tam longinqua ac pene deserta regio tali præsidio careret. Antistes autem prę se tulit, nihil sibi optabilius esse, quam vt tales apud se haberet adiutores, ac socios laboris, quorum operam omniũ animis confideret vtilem, ac salutarem futuram Ciues porrò, ac Sacerdotes omnes pro se quisq; ad eam rem sua studia, & officia nostris deferebant. Archidiaconus in primis qui perampli patrimonij societatem hæredem instituere decreuit. Accessit ad hæc quod viri primarij quatuor singuli ad societatis Collegium, mille aureos polliceba ntur, vnus magni frumenti numerum in annos singulos assignabat, alij præterea magnam præseferebant de nobis benemerendi voluntatem. Quin etiam cęterę Religiosorum familiæ nostrorum aduentum expetere se ostẽdebant, adeo nullũ genus hominum hic erat, cui non gratum futurum videretur nostræ societatis domicilium.

Nouæ Galitiæ Collegium.

MAgna hic quoq; Societatis existimatio ac beneuolentia Ciuium, atq; sacerdotum. Conciones nostrorum, vel in maximo Vr-

bis templo, vel in ӕde nostra magno sunt omnium ordinum concursu fructuq; celebratӕ. Confessionis communionisq; sacramenta apud nos vel maximè frequentata. Nostri à Magistratibus, ac viris principibus ad grauiora negotia identidem adhibiti. Indigenis quoq; consultum; eis à certo sacerdote, & christiana disciplina explicata, & administrata pœnitentiӕ Eucharistiӕq; sacramenta. Tanto autem catechismi studio ad nos conuolant, vt omnibus sese impedimentis expediant. Sed messis multa, operarij pauci. Nam in hac Diӕcesi pagi sunt innumerabiles: quorum maior pars nunquam Euangelij lucem aspexit. Si qui autem olim acceperunt, à doctoribus destituti, vsq; eò degenerarunt, ut omni propemodum christianӕ fidei, legisque notitia carere videantur. Nonnullos huius generis pagos nostri cum obirent, tantam rerum salutarium inscitiam inuenerunt, vt lacrymas tenere non possent, adeò nullum fermè apparebat vsquam religionis Christianӕ vestigium sed Deo fauente tantus omnibus iniectus est ardor, vt certatim ad cathechismum concionesque concurrerent, seq; ad expiandas rite mentes quam diligentissime compararent. Itaq; quadraginta dierum spatio amplius mille & trecenti omnis anteactӕ vitӕ peccata confessione deleuerunt; & quanquam primo ad sacram Eucharistiam (quod ea res

apud

apud illos inusitata esset) accedere reformidabant; deinde tamen tantum mysterium edocti, dici non potest quanto studio ad suscipiendum Dei ac Virginis filium se se pararent. Hasce res magna consecuta est morum mutatio. Namque antea his locis ganeæ, compotationes, ebrietates laudi ducebantur. At verò postea omnium extitit mira frugilitas, ut ipsismet miraculi instar esse videatur. Itaque mirari omnes nouum sociorum nostrorum vitæ genus. suspicere viros, qui pro tantis laboribus nullam omnino mercedem acciperent. prædicare eos, qui gratis rem diuinam facerēt gratis sacramenta ministrarent, gratis pueros baptizarent rudes instituerent, mortuos humarent, gratis cætera eiusmodi officia exequerentur; qui hęc facerent eos profectò cælestes esse homines, dignosque quorum omnes consilijs obtemperarent. Iam sacro Christi corporis die quam plurimi, & indigenæ, & Hispani per vicos dispersi apud nos cæleste cō uiuium inierunt. Solemniq; supplicatione habita sacrosancta Eucharistia loco (vt captus est horum locorum) maximè ornato exposita totum diem accedentium cultui patuit. Quod vt his locis nouum & inusitatum, ita ad pietatem, tantique mysterij vanerationem maximum omnibus incitamentum fuit. Nostros autem discedentes cuncti lacrymis prosecuti quantopere diligerent salutis suæ Duces faci-

le declararunt. Porrò schola in hoc oppida à Patre Visitatore instituta suos progreßus habet, & vniuersæ ciuitati gratos, & nostro Gymnasio peropportunos; hinc enim identidem supplementum petitur maiorum scholarum.

Collegium Vallisoletanum.

QVoniam nostri omnes cæteris curis post habitis per aliquot dies P.N.Ignatij meditationibus se se exercuerunt; longe maius, & domi perfectionis suæ, & foris alienę salutis studium exarsit Itaque incolæ complures à perdita vitæ ratione ad meliorem frugem sūt reuocati. Ciuis erat singulari nequitia ac luxuria nobilis. Huius salutem sacerdos noster magnopere deprecabatur à Deo. Per opportune verò accidit, vt dum noster pro illo rem diuinam faceret, ipse adesset rei omnis ignarus. Ecce tibi aliud agens repentè insolito quodam sensu mentem affici atq; ad conscientiæ expiationem impelli sentit, ingenti cura salutis iniecta. Ergo à sacro Patrem adit, rem demonstrat, rogat ut sibi consultum velit, ita cum ex nostri sacerdotis prescripto, & animū expiaßet, et uitam instituißet, maiori omnibus admirationi deinde fuit, quam offensioni antea fuerat. Mulier libidine infamis cum multos suis illecebris irretiret, nostri sacerdotis

opera,

opera, sic à Deo ipsa irretita est, ut suo exemplo ad pœnitentiam alliceret quos ad flagitiũ allexisset. Quidam superioris omnis uitæ confessionem apud vnum e nostris instituerat, hũc ab incepto deterrebat magnis diabolus clamoribus increpans, quid cõsilij eßet, accerbißimo inimico sua consilia patefacere? cum illę nihilo minus in suscepto negotio permaneret, varijs eum artibus Demon impedire nitebatur. At ille confirmato diuinitus animo. contemptis subdolis importuni hostis vocibus, insidijsque vitatis, prudenter inceptum perseueranter peregit. Itum est obuiam publicis sæpe malis, inimicitijsq; multorum. Inter duos primores ciuitatis ortæ simultates adcriminationes rerum capitalium eruperant. Iamq; parum aberat, quin alter eorum à Prętore condemnatus ignominioso supplicij genere afficeretur, cum nostri sacerdotis opera permulso alterius animo, sententia reuocata est, & inter vtrumq; pax & amicitia constituta: quæ res multa à multis impendentia incommoda propulsauit. Grauioribus tamen incommodis liberata ciuitas est cum clerus penè omnis summa contentione ab suo Antistite dissidens per nostros ad eius authoritatem, & concordiam reuertit. Porrò Antistes è S. Dominici disciplina, & si non deest suę familiæ coenobio, tamen nostris multum utitur, ut nullum grauius negotium his inconsultis suscipiat atq;

agat. Res societatis paternè tuetur & curat, nostrosque homines diligit, familiarissimèq; cum eis versatur. Atque etiam grauibus corporis doloribus, quibus persepe cruciatur, leuari se ait, & recreari tantisper dum cum aliquo e nostris de diuinis rebus colloquitur. Indigenis porrò in tanta paucitate nostrorum opera non defuit. plurimique eorum ad frequentanda sacramenta perducti sunt. omnino omnium opinione maior fructus ex finitimis populis caperetur, si Deus mitteret operarios in vineam suam. Discurrerunt interdum nostri per diuersa tractus huius loca, argentiq. fodinas magno animorum dono, Hispanorum maxime, qui ab omni christianæ institutionis consuetudine longissimè disiuncti, villas, ac rura peruagantur. Nostra res familiaris hoc anno satis aucta, & amplificata est: extructisq; aliquot cubiculis, laxatæ habitationis angustiæ: ac præter argenteum, haud exigui ponderis, ac precij lychnum, amplius mille, & quingenti aurei nobis à pijs hominibus sunt tributi.

Sedes Pazquarensis.

ET si domi atq; in Vrbe multa acciderunt non indigna, quæ litteris mandentur, tamen quia communia sunt multorum, his omis-

sis

ſis, veniam ad ea quæ geſta ſunt foris. Diuulgandi Iubilei occaſione inuitatus ſacerdos noſter finitima oppida ac pagos obijt. Exceptus eſt vbique ſumma omnium alacritate, incredibiliq; ſtudio auditus. Pontificij Iubilei beneficium tanquam cœleſte donum vbiq; eſt acceptum. Tantus quippe confitentium numerus fuit, vt audiendis omnibus multi dies noctesq: ſatis eſſe non poſſent. Itaq; plerisq: expiatis, & coeleſti pane recreatis noſtrum alio abeuntem qui reliqui erant, longo difficilique itinere confitendi cauſa ſequebantur. Ipſis autem Iubilei diebus indictum ieiunium tanta religione obſeruabatur. ut ne Patris quidẽ hortatu, ægri & imbicilles ad capiendum cibum poſſent impelli, Plerique autem diuturnam inediam nocturna verberatione cumulabant. Quin etiam in ſumma rerum inopia adeò erãt munifici, ut multorum egeſtatem non ſolum cibarijs, ſed etiam veſtimentis leuarent. Quibuſdam oppidis, vbi ſumma erat ſalutarium rerum inſcitia. ſalubri inuento conſultum eſt. catechiſmi in eorum linguam conuerſi exemplum apud eos relictum, atq; vt omnes ediſcerent, impetratum. Quod ut libentius facerent, iucunda appoſitaq; modulatione tradi coeptum nonnullis, vnde reliqui diſcerent. Prudens conſilium comprobauit euentus. Cuncti noua carminis dulcedine deliniti tanto per diſcendi catechiſmi ſtudio flagrare cœperunt,

vt

vt quotidie ipsi sua sponte, tum prima luce, tũ vesperi ab hospitali domo in templum sub sacris vexillis procederent composito agmine, illa carmina vicissim canentes. Et creuerũt studia vicinorum ęmulatione pagorum, dum alij alios æmulantes superare contendunt. Quoniam igitur tanta est illis locis penuria sacerdotum, vt etiam diebus festis persæpe incolæ Missę sacrificio careant; statuit Pater, ut festis diebus maiore apparatu, ac populi frequẽtia eiusmodi supplicationes haberentur; quò rei diuinæ vicem quodammodo implerent. His illi rebus non modo ex perniciosę inscitiæ tenebris, sed etiam ex ebrietate nefariaq; libidine, aliorumq; vitiorum cœno, vbi complures annos sese volutauerant, emerserunt. Multi veneficorum artibus, ac pręstigijs tantam fidem habebant, vt eos ad suum arbitrium morbos ac valetudinem administrare, vitæ ac necis potestatem habere arbitrarentur, Itaq; plerique mulieres pręsertim, illorum hortatu, nefaria scelera, ac flagitia faciebant. Verum Deo adiuuante, diuina eorum animis lux oblata, omnem illam errorum caligi- nem discussit. Valuit ad eam rem poena de de duobus sumpta diuinitus. His sacerdos noster, nisi à nefandis illis flagitijs desisterent, cœlestem intentarat iram, nec frustra. Repentè alter grauissimo febris ardore, alter in tolerandis corporis doloribus corripitur. Ambo

igitur

igitur ad Patrem pariter accurrunt, veniam petunt, de peccatis confitentur, recuperant sanitatem. Ita parendum esse sacerdoti suo periculo didicerunt. Alia porrò res calamitatis remedium non à veneficis sed à Deo petendum esse documento fuit. Nam cum in eorum agris infinita quædam uis murium extitisset, quæ sata eroderet, atque vastaret, nec vllum huic pesti remedium inueniretur, frequentes in templum ad Patrem coierunt, ac re demostrata, consilium ab eo & auxilium petierunt. Ille omnes in templum conuenire iussos, primum hortatur ad bene, Christianèq; uiuendum, spemque omnem in Deo collocandam. Deinde pestem illam hac ratione depelli posse pronunciat. Si piaculari aqua suos agros, ac sata conspergerent. Nec fefellit. Id illi cum pie admodum, magnaq; Dei fiducia semel fecissent. inimicæ frugibus bestiolæ extinctę sunt omnes, ut in agris quos aqua lustralis attigisset, viuum murem conspicerent nullum.

Topotzolana Sedes & Catacicana.

IN *tanta multitudine ac uarietate linguarum, quas ut animorum saluti consulatur his locis addisci opus est, nulla ad plures populos pertinet, quam Ottomitarum, & Mexicana: vtramq; linguam sacerdotes nostri omnes,*

nes, qui hic versantur (ij sunt numero septē) optimè callent, quæ res ex vsu horum locorum fuit. Regionis huius indigenæ plerique tantos in Christiana disciplina, atque adeo pietate processus habent, ut non modo celebrioribus festis diebus, sed etiam semel in mense, multi etiam bis, atque etiam sępius, participes Christi corporis fiant, idque tam piè ac reuerenter, ut nihil vltra desiderari ab eis possit. Hinc illa solida uirtus etiam in foeminis, ut emori quàm peccare malint. Complures mulieres pudoris tuendi studio in remotissima ab oculis hominum loca se abdiderunt, alię voce, & clamore, aliæ fuga sibi consuluerunt, aliæ fustibus ac lapidibus vim prohibuerunt, Pudicam Virginem vir impudens cum nec prece flectere, nec precio posset districto gladio mortem minitari cœpit, nisi pareret; at illa ad minas interrita constanti animo, ac uultu, Gratius est mihi (inquit) vitam quàm pudorem amittere. Qua ille constantia victus negotio destitit. Pari laude digna est Virgo altera, quæ diu frustra à cupido amatore solicitata, ad extremum cum sclopum ab illo intentū in se videret, nihil periculo mota clamauit, non metuendam sibi esse mortem, quæ animum pro virginitate morientis cum coelesti sponso, Deoq; coniungeret. Hac voce, & ille ab incepto retardatus, & hæc in tuto locata. Multa sunt eiusmodi, sed ex his capere licet de cę

teris

teris coniecturam. Ne vero in hoc vno flagitij genere vitando eorum constantia enituit. Mulier quædam cum res sibi furto ademptas vehementer doleret, easque diligenter perquireret, monebatur á venefico, vt certo superstitionis genere ad furem deprehendendum vteretur. At illa veneficio, veneficoq; repudiato, ante B. Mariæ aram procubuit supplex. cum eius opem implorasset ad amissa recuperanda, bona cum spe reuertit domum. Ibi quæcunque subrepta fuerant, reperit suis locis restituta. Mira omnino huius gentis in B. Mariam pietas, cui par illius tutela respondet. Adolescens Deiparæ Virgini vnice deditus nullum abire diem patiebatur, quin eam aliquo insigni officio coleret. Is coeli Reginã vidisse per quietem dicitur, filio comitatam, quæ ipsum in octauum diem ad cœleste domicilium inuitaret, atq; extitit promissi fides. præstituta die adolescens discessit è vita, & ad Patronam suam euolauit in cœlum, eademq; nocte eius soror virgo pari erga Dei parentem pietate, secundum quietem simili viso recreata est, quæ B. Virginis cohortatione ad perpetuæ virginitatis studium accensa se se Deo deuouit. ex eo tempore corpusculum suũ quotidiana verberatione, ieiunio, vigilijs, cilicio domare animum precibus, sacræ confessionis & communionis sacramentis munire non desistit, vt sacrum thesaurum custodiat. Nec á

vicinis

vicinis solum, ac finitimis populis sed etiam a longinquis ac remotis frequentes ad nos conueniunt institutionis sacramentorumq; causa. Atque hi foelices, ac beatos appellant Tepotzolanos, qui tanta salutis præsidia habeant domi. Commeatum etiam est ad Hispanos qui in disiunctissimis pagis, agrisque versantur. Apud quos assiduis nostrorum cohortationibus, incredibilis facta est voluntatum, ac morum conuersio. Seruus Dominum interficere constituerat, is concionatoris voce perculsus, non solum meditato scelere destitit, sed à multis præterea flagitys, facinoribusq; discessit. Complures item tum viri, tum foeminæ perditæ nequitiæ ad bonam frugem piamq; vitam se receperunt. Itum præterea est ad finitima, & ad longinqua oppida, vbi cum alia vitia; tum vero ebrietas ac libido vulgo dominabantur. Hæ pestes nostrorum opera primum repreßæ, deinque extinctæ sunt ipsis Bacchanaliorum diebus solennis supplicatio habita, ductaq; per oppidum agmina cuiusque generis Christiana rudimenta canentium. supplicationem vero apposita, opportunaq; concio claudebat. Ita illis simul cum tempore peccandi materies subtrahebatur. Plurimis peccatorum confessio salutem attulit. Anus quædam flens sacerdoti nostro templum ingredienti nuntiauit, virum suum vrgente morbo sine confessionis ope interire. Confestim eò aduolat

uolat Pater dat aures ægro confitenti. vix hominem peccatis absoluerat, cum eius animus solutus est corpore. Alius sacerdos ad pagum quendam, deuijs itineribus diuerterat. eius ad uentu cognito statim magnus ægrorum, senũq; numerus ad eum grabatis, vehiculisq; deferri; confessionis copia magnopere postulari. Quibus ille cum è vestigio morem gessisset, octo ex eo numero, haud ita multo post ad meliorem vt spes est, vitam demigrarunt. In his vnus fuit ætate morboq; confectus, qui veritus, ne si illam occasionem dimitteret, facultas deinde confitendi deesset; à triginta millibus passuum eò se deuehi iusserat. Porro alius sacerdos in alia oppida Hispanis atq; indigenis referta, quæ numquam nostri adierant, venit, cuius aduentus, & oppidanis salutaris, & Parocho pergratus fuit. Populus non modo concionibus institutus, sed etiam confessionibus expiatus est. Nefaria connubia dirempta, æris alieni restitutiones factæ, peccandi licentia re pressa. Quibus rebus motus Parochus, palam affirmauit, se vero in posterum non commissurum, vt suus grex talibus subsidijs careret. Cũ vero nouæ Hispaniæ pagi, ac vici magnitudine perexigui, multitudine innumerabiles, lo cis maximè inter se dissiti, itineribus difficiles, ac pene inacessi, à Parochis adiri, institui, iuuariq; non possent. Placuit Regi pagorum vicorumq; incolas in pauca oppida transcribi

scribi. Itaque Prorex vt res, quæ indigenis maxime acerba futura erat, sine tumultu transigeretur, duos è nostris postulauit illorum linguæ gnaros sacerdotes, qui Vaiacochanos duobus Parochis commissos ex quinquaginta exiguis vicis in quatuor opoida traducerent. Dura omnino prouincia fuit, & magni laboris, propterea quod & indigenæ mortis instar ducebant, natale solum, auitasq; sedes relinquere; & Parochi indignè ferebant, pristina commoda rei familiaris amittere. Tandem perseuerantia Deo fauente omnes difficultates vicit. Nostri asperis & scopulosis vijs, inter cautes, & rupes, per antra ac speluncas venãdo indigenas, blandè appellando, monendo, rogando, deniq; ad constituta à Prorege loca perduxerunt. Magnitudini laboris par vtilitas respondit. Erat in his populis summa Christianarum rerũ inscitia, vt verbo Chrstiani re ipsa Ethnici uiderentur. Alij contentiones, dissidia, cędes honori sibi ducebant, Alij ebrietatẽ libidinem, rapinam in rebus honestis numerabant, multi erãt nefarijs superstitionibus implicati. Nõ pauci insano Dęmonũ cultu, ac ueneratione decæpti. omnes denique in densissima inscitiæ atque errorum caligine uersabantur. At posteaquã ad humanum ciuilemq; cultum traducti sunt, & concionibus sacramentorumque usu institui coepti, discussis tenebris tanta eis ueritatis lux oblata est, ut

Chri-

Christianam aliquando uitam moresque susciperent. In tanta hominum multitudine nemo omnino fuit, qui non catechismum didicerit, nemo qui non conscientiæ labes confessione deleuerit: omnes vero ad sacras conciones, ad rem diuinam, ad Deiparæ preces, ad statas supplicationes, ad voluntarias poenas ad omne virtutis genus ita constanter animum adiecerunt, vt veteranos ipsos diu, multumq; in re Christiana versatos longè antecellant. Iamq; quod antea ægerrime ferebant, loca vbi nati, altiq; essent, commodaq; omnia reliquisse, hoc ita probant, ac laudant ut eo nomine maximas Deo immortali agant gratias; atque ob eandem causam nobis se immortali obstrictos beneficio prædicent.

Societatis item officia Catacuanæ ciuitati grata semper ac iucunda extiterunt. Itaq; mirum est quam frequentes ciues, siue ad sacros sermones audiendos, siue ad sacramenta capessenda, siue ad petenda in dubijs difficilibusq; rebus consilia, ad ædem nostram commearint; concursus ad sacras conciones facti fidem excedunt. exponendo festis diebus, canendoque per Vrbem catechismo, itum est obuiam ebrietati, ac lapidationi indigenarum, cum antea ebriorum cateruæ per Vrbem debaccharentur, & lapidatorum cohortes non sine multorum pernicie depugnarent. Quæ res Hispanis hominibus miraculi instar fuit. Qui indigenæ ex

varijs remotisq; regionibus ad argenti fodinas huc confluunt, hi nostros sacerdotes ita diligunt, atque suspiciunt, vt in magna Cœnobitarum copia ad nos potissimum sacramentorũ gratia ventitent. Suscepta est ab vno, atque altero e nostris ad finitimos pagos incolarum efflagitatu, profectio magno ex vsu fuit rei Christianæ. Batismus plurimorum infantium, atq; adultorum solenni pompa ac cerimonia est peractus. Ex baptizatorum numero vnus fuit fermè centenarius morbo pariter, & ætate confectus. Is paulo ante baptismum rogatus à nostro sacerdote quid ageret, mortẽ inquit, expecto: sed exploratum habeo me nõ prius moriturum, quàm baptismus mihi aditum aperuerit in cœlum. confestim igitur à nostro sacerdote rebus necessarijs eruditur, baptizatur, extinguitur.

Sedes Cinaolana.

CInaloa Vrbs est nobilis maximeq; opportuna, à Mexico millia paßuum fermè nongenta; de cuius situ ac moribus cognoscere operepretium est. Vergit hæc Vrbs ad occasum quatuor fermè, & viginti gradus a polo sed qua spectat ad meridiem regionibus latissimis cingitur: quarum regionum fines sex fluminibus, quæ ex Tepeguanensium montium profluunt radicibus, diuiduntur. Ad horũ

ripas

ripas fluminum, aquarumque diuortia Vrbes & oppida complura sita sunt, agrorum vbertate præcipua, cœli temperies non multum ab similis Hispaniæ. Incolarum capita amplius centum millia censentur. Ex hac regione aditus patet ad montanos populos penè innumerabiles. Itemque ad amplissimam noui Mexici regionem, aliasq; gentes plurimas vel nuper cognitas, vel ad huc incognitas. cæterum omnes hæ nationes inter se lingua differunt. Quò maiore nostris hominibus industria in tot linguis addiscendis opus fuit, eritq; Morum autem maior quàm linguarum similitudo. Gẽs omnis minimè fera ac barbara, nec tam ab humanitate, quam à cultu Hispanorum abest. Hominum societate, ciuilique communione delectantur. Amicitiam inter se tuentur ac pacem. cum exteris nationibus non nisi lacessiti bellum gerunt, laboris patientes sunt in primis ac naui. desidia atq; inertia apud eos probro est. agros colunt, ex quibus bis in anno fruges ac fructus colligunt, venationi studẽt, multum sunt in piscatu, texendisque e gossipio vestibus. Victu tenuissimo vtuntur frumento, legumine, cucurbita, pisce, venatione viuunt. Aquam omnes vulgo bibunt, nam vino, quod illis est ex frumento factitium non nisi in solennibus circumpotationibus vti solent. Humi cubant. teges & palea aut arundine contexta pro culcitra est, arboris trun-

cus pro ceruicali. Per æstum vestitus nullus præter subligaculum, quo velantur corporis partes, quæ indecore aspiciuntur. Per hyemem gossipinum amiculum ab humeris ad talos. Incredibilis apud eos liberalitas ac fides. Opulentiores ita benigne tenuiorum inopiam subleuant, vt nullus omnino apud eos mendicus sit, nullus omnino fur. itaque nullus clauis, aut seræ vsus, quoties domo exeunt, storea quædam pertenuis ianuæ pretenta, pro foribus est ac seris. Docili omnes sunt ingenio, à iurandi, maledicendi, exsecrandiq; consuetudine prorsus alieni, quod si quando res grauiorem aliquam affirmationem desideret, certe, dicūt aut maxime. Parentes authoritate magis, quam seueritate liberos regunt, eosque liberi quam maxime verentur & colunt. Virgines summa ope virorum consuetudinem vitant, quod pudorem ante legitimas nuptias amisisse turpissimum ducant. Sunt apud illos ipsorū moribus non nulla, quę etiam initum connubium dirimant, impedimenta cognationis, nulla affinitatis. Connubia, nec remoto ab arbitris loco nec quo uis tempore, nec insciјs parentibus iunguntur. sed solemnibus sacris tempestiuisq; conuiuијs, & choreis celebrantur. spōsa fide accepta dataque è vestigio domum repetit, sponsique conspectum vitat vsq; ad nuptialem diem, quo die sponsæ parens domum vniuersamq; supellectilem genero tradit, eūq;

cum

cum filia in bonorum omnium possessione constituit. Eundem generum deinde socer multis inspectantibus, pharetra, sagittis, & arcu donat, quæ sunt Equestris ordinis, aut uitæ militaris insignia. statimq; breui cohortatione incitatum in Montes, syluasq; ac feras emittit ut det specimen aliquod virtutis, ac fortunæ suæ. Qui si leonem interemerit, fortis ac fœlix habetur. Vulgo tot quisq; vxores ducit, quot alere commode potest, itaq; rara apud eos adulteria. Quod si quæ vxor fidem viro se fellisse arguatur, eam illico vir domo extrudit. idque ut viro honorificum, ita coniungi turpissimum est si: si quis forte apud eos effeminatus existat, is arcus & pharetræ iure in perpetuum spoliatur, & muliebri vestitu in muliebribus officijs habetur. Musica mirifice delectantur. In pace nullius imperio reguntur, sed suo quisque arbitrio viuunt. In bello summa rerum ad aliquem defertur scientia bellua, ac virute præstantem, cui omnes dicto sunt audientes. Viri æque ac foeminæ comam alunt, sed mulieres comam incomptam negligenter circum caput reijciunt: contra viri muliebriter comunt, redimiculisq; ac multiplici circulorum varietate distinguunt, pinnasq; varij coloris ad fastigium inserunt Mononia e vulgaribus margaritis tum viris tum foeminis e collo in pectus atque humeros fluunt. Nulla apud eos Deorum simulacra. Deum hu-

mana curare non putant, nec vllas post mortem beatorum sedes arbitrantur, & mortuorum animos omnes detrudi ad tenebricosas Inferorum specus opinantur, bonorum æquè, & improborum. Ipsorum quippe iudicio omnes rectè viuere existimantur. propterea quod quicquid facere possunt, hoc si lubet faciunt, si fecerint rectè factum existimant. Vbi desperata est ægri salus propinqui atque cognati vestem moribundo afferunt militarem, his tanquam ad bellum iturus adornatur. Posteaquam expirauit eodem capitis & colli ornatu atq; vestitu, quo dum viueret utebatur, effertur cum arcu, & pharetra, ac supellectili vniuersa. Inde cum cibarijs & cucurbita aquæ plena in sepulchrum infertur, interea quod existiment ad iter longum quod illi restat, hæc subsidia requiri. Mox tumulum aspergunt vino; canesq; & aues, aliaque animalia eiusmodi, quæ viuo cordi fuerant interficiunt, vt videlicet mortuum dominum comitentur. Postridie eius diei in funebri epulo omnes præter adolescentes, quibus vini interdictus est vsus, sese vino ingurgitant. Adoptionis illa præcipua cerimonia, ut in os eius qui adoptatur, acutus quidam palus ingeratur vsq; ad fauces, donec intercludi videatur spiritus, ac miser ille præ molestia, sudet, palleat, nauseet. Quæ si alacri constantique animo pertulerit confecta res. & in patrem adoptantem, adoptati

ptati filij amor satis spectatus existimatur. Aleæ ludus vulgò permittitur. Tessaræ sunt apud ecs arundineæ haud multum nostris ab similes, quo ludi genere perdies festos tantopere delectantur, vt sæpe numero diem cum nocte coniungant. Sed quod permirum est. Tanta existit in summa ludendi libidine atque insania, eorum æquitas animi, vt non admodum moleste ferant, si victi, nudiq; discedant, omninoque a rixis ac iurgijs temperent. Hic ludus æstate viget, namque hyeme in campo propositis præmijs corporum agilitate contendere consueuerunt. Duæ factiones certant inter se de pedali ligno tereti pedibus propellendo. certaminis victoria in eo sita est, utri prius id lignum ad metam quæ lōgè abest, a carceribus adegerint. Sed de moribus nimiū fortaße multa. Triginta fermè ab hinc annis Hispani milites in hasce regiones cum nonnullis è sancti Francisci disciplina penetrarunt. Sed indigenæ militum insolentia, atque iniurijs concitati, arma coeperunt: multos eorum interfecerunt reliquos in fugam coniecerunt, ex eo tempore nemo audebat ad eos religionis causa adire. tantum terroris omnium animis illa clades iniecerat. Nihilo secius cum duo è nostris sacerdotes superiore anno ad eos accesßissent, plus emolumenti, eis attulerunt, quam periculi adierunt. Et si enim primo incolas superiorum temporum nō immemores rei nouitas

solicitos, ad præcauendum habuit, deinde tamen perspecta à nonnullis mansuetudo, comitas, moderatioq; nostrorum paulatim allicere eos cœpit, demum tota illa regione percrebuit venisse quosdam specie quidem Hispanis similes, sed vitæ ratione dissimillimos; Nihil eos alienum appetere, nihil aut per vim auferre, aut minaciter postulare; nihil deniq; incommodi cuiquam afferre. Eorum mores commodos, animos moderatos, sermones blandos, ac fere nullos nisi de immortalis Dei cultu, ac salute animorum. Hæc fama ita nostris omnium animos conciliauit, vt quocunque uenissent, summis amoris ac lætitiæ significationibus exciperentur, obuiam effusis honoris causa ciuitatibus uniuersis. Vt uero illi Euangelium prædicare, Christianæque disciplinæ capita tradere instituerunt, tanti undiq; ad eos concursus fiebant, tam secundis auribus animisque audiebantur, vt paucis intermissis diebus ex duorum accolis fluminum amplius duo millia baptizarentur. Inde templa Deo, Deiparenti, ac cœlestibus condi, cruces in tectorum fastigijs, in vijs, in compitis, in collibus honoris, & cultus gratia statui. Nec nostri lacrymas tenere poterant, cũ cernerent, ab illa barbarie salutare Iesu nomen, ac numen tantopere coli. Re Christiana his locis constituta, Patrum alter apud eos custodiæ culturæque causa mansit, alter infinitima

oppida

oppida progressus Euangelium pari ferme vulgauit euentu, Paucis diebus solemni baptismate oppidanos Christo peperit plurimos. Rebus compositis cum ad socium reuerti pararet incolæ ad eum frequentes conueniunt, seque à Patre deseri vehementer queruntur ac magnopere orant, ne discedat prius quam omnes fecisset Christianos. cum id non impetrarent abeuntem illum innumerabiles prosequebantur alij de immortalis Dei numine, alij de beatorum vita cupide sciscitantes; ut appareret Euangelium altas in eorum pectoribus radices egisse. His rebus cognitis Præpositus Prouincialis, fructu simul ac spe admodum lætus totidem sacerdotes cum vno adiutore eis subsidio misit. Quorum aduentus incredibile dictu est, quam gratus omnibus fuerit, non Christianis modo et Catechumenis sed etiam Ethnicis. Aduentantibus nostris frequentes ex oppidis longissimè procedebant, occurrebant passim agmina canentium Christiana rudimenta. Videres tanquam arcus, fornicesq; triumphales vario herbarum ac florum genere instructos in via excitari: venientes ingenti fauore multitudines excipi cum plausibus, clamoribus, cæterisq; rebus quibus effusa vulgi lætitia significatur, Primores quoq; oppidorũ, ac ciuitatum obuiam eis frequentes ibant, immortalesq; Patribus gratias agebant, quòd patriæ immemores exteræ gentis salutem suis

rebus

rebus haberent potiorem. Nonis hisce sociorũ auxilijs non modo Christianis nouus ardor pietatis, sed etiam Ethnicis christianæ religionis cupiditas iniecta est. Cateruatim nostros adibant negantes donei Christiani fierent se se quieto animo esse posse. Itaque vnum in locum coacti, tum mane, tum vesperi catechismo imbuebantur, inde quam maximo apparatu baptismate expiabantur. sua cuique Vxor dimissis alijs rite in matrimonium dabatur. Quam rem mira morum mutatio est consecuta. Incredibile autem est quanta sit omnium in nostros amori mista obseruantia. Pro se quisque munuscula ad eos afferunt: magnoque sibi honori ducunt, si quid horum accipi viderint. Anus Christiana siluestris ficus Patri detulerat. Qui vt gratum sibi munus fuisse ostenderet, vnum aut alterum illa presente comedit, Hac re tantò illa gaudio est affecta, vt domum reuersa rem domesticis enarrarit, & graui pœna sanxerit ne quis in posterum fortunatam illam arborem attingeret, qui iocundos Patri fructus tulisset. Studium vero Musicæ plurimis saluti fuit, qui partim cantus dulcedine deliniti, primum ad audienda, deinde ad intelligenda, postremò ad amplectenda polliciebantur ea quæ dicerentur, partim etiam cantus suauitate laborem mittigant, molestiamque deuorant edi scendi.

di. Itaque diebus festis prima luce ex finitimis oppidis agmina sub crucis signo, quod floribus & ramusculis ornant longo ordine procedunt; Christianæ fidei mysteria, sacras litanias aliaue pia carmina canentes; certumq; in locum conueniunt vbi rem diuinam faciendam, concionemque habendam eße cognorint, sacri porrò dies quam piè ac religiosè ab illis agitentur; quantopere Dei bonitas nascenti huic Ecclesiæ faueat, & simul foueat nostros vel hinc intelligi potest. Oppidum est incolis satis frequens ac celebre Sancti Iacobi nomine appelatur. Huc ad Christi Domini Natalitia celebranda quinque è societate P. Consali Tapia accersitu ex varijs locis conuenerant. venerunt eodem nostrorum rogatu Hispani octo ex proxima regione, itemque christiani omnes, Ethnicique harum regionum quamuis remoti inuitatu nostro, ad Natalem Christi diem agendum confluxerunt. Euocati sunt præterea è Culiacano regno millibus passuum ab hoc oppido nonaginta, tubicinum, cornicinium aliorumque Musicorum chori, qui concentus his locis antea inauditus rei nouitate mire eorum aures animosque demulsit, & ad amorem rerum coelestium excitauit. Excipiendæ tantę hospitium multitudini structæ erant casæ innumerabiles storeis, stramentis, arborum ramis, arundinibus

tectæ. Qua in re admodum fuit laudanda nouorum Christianorum diligentia, studiumque parendi. Itaq; cum nostrorum suasu in ea re summo studio atq; industria elaborarent, extitit vir apud eos nobilissimus summæque authoritatis, qui nostra in ipsos promerita in cœlum efferens, ipsosq; collaudans, quòd tam studiosè Patribus obtemperarent, eorum animos ad absoluendum opus accenderet. Ipsi autem incolæ liquido affirmarunt, numquam post hominum memoriam nisi ad bellum gerendum, tantam tot gentium ac nationum multitudinem vnum in locum conuenisse. Media igitur nocte Natali insolito quodam apparatu, Musicorumq; concentu, celebrari cœpta sunt matutina Christi nascentis officia, incredibili hominum frequentia. Quòd eò admirabilius fuit, quod veterator quidam, Diabolo instigante, indigenas insidiarum, ac seruitutis metu ab ingressu templi deterrere contendit. Plerique enim quibus nostrorum innocentia, & paterna caritas perspecta erat, nihilo secius templum intrare non dubitarunt: pauci dubitantes pro valuis loco aperto, ita rei exitum expectabant, vt nihilo minus concentum audirent, cæterum extitit in ea re non magis Dæmonis calliditas, quam Dei prouidentia memorabilis. In tecto, quod templo erat proximum, paruus puer per iniuriam ardentem cereum super mensa reliquerat, quæ mensa vt

erat

erat ex aridis arundinibus intexta, neq; quisquam aderat, qui nascens incendium impediret, celeriter ignem comprehendit: iamque flamma in casæ latera differebatur, vbi materia incendio non deerat, cum indigena quidam cæteris rei diuinæ intentis, casu vel potius diuino consilio tugurium illud ingressus confestim superfusa aqua ignem restinxit, & incendium auertit à templo, quod palea straminibusq; erat contextum. Nec dubium fuit quin si uel ædes sacra ignem concepisset, vel aliqua incendij suspicio, indigenis incidisset, de nobis ac de propagatione religionis actum foret. Nã (vt prestigiatoris illius predictio recens erat & ex ea nonnulli suspensos animos habebant) profecto si quis rumor de incendio emanasset, magna hominum opinio fuisset, veteratorem illum vatem fuisse, deique instinctu illa prænunciasse; & scilicet nos per speciem solennis sacrificij insidias eis parauisse. Itaque dubium non est quin per summum cruciatum de nobis omnibus supplicium essent sumpturi, neq; vllos Euangelij præcones in posterum accepturi. Hec tanta incommoda, ita Deus pro sua bonitate auertit, vt periculum diuini præsidij esset indicium. Interim dum nos tanti casus ignari diuina ope tegimur, sacra Natalitia summa cerimonia (vt est captus horum locorum) ac religione celebrata sunt, & complures etiam indigenarum sacro conuiuio excepti,

Quæ

Quæ ex re facile intelligi potest, quantum & illi populi societati tribuant, & quantum diuinę prudentiæ societas debeat, omnino eximia est omnium in festis diebus agendis alacritas. Alio in oppido vt natalem Christi diem maiore quodam apparatu celebrarent, pro templo amplissimum ex arborum ramis extruxere tabernaculum. ibi post ductas gentis more in patenti area choreas, humi in orbem consederunt, & mysticas quasdam picturas ad intuendum expositas habuerunt. Visebatur in tabula pictus vir eximia oris dignitate, regio ornatu, atque cultu. Propter eum stabat matrona insigni specie paruum filium complexu ac sinu tenens. circum hæc domus, agri, sata, segetes flumina, leones, angues aliaq; bestiæ ac feræ visebantur. Quę P. Consaluus Tapia otiose contemplatus, rogauit, quid tandem illa sibi vellent, Tum quidam cæteris authoritate præstans' Hæc, inquit, est æterni Patris, & Iesu Christi eius filij in gremio Deiparę matris effigies. Hos oramus ut nos fortunasque nostras ab eluuionibusq; belluisque probibeant. liberosq; nostros hoc argumento idem orare aßuefacimus. Post nostrum in has regiones aduentum sacræ ædes excitatæ his locis sunt numero viginti, Deo, Deiparæ, Apostolis alijsque præcipuis martyribus dicatę. Quorũ ad festos dies concelebrãdos ex finitimis vicis anniuersarij concursus fieri consueuerunt.

Quo

Quo tēpore præter alia pietatis munera, unus è nostris sermonem ad eos habere solet de ope coelestium imploranda. Manat in dies latius nomen atque opinio Christianæ religionis, & populi alij aliorum exemplo ad eam incitantur, Nec solum qui ea quæ diximus flumina accolunt, sed etiam qui paulo efferatiores trans horum fontes fluminum montes incolunt, Christi fidem sequi student. Horum missu nuper ad nos legati venerunt, rogatum cœlestis doctrinæ magistrum. concessus est sacerdos vnus è nostris, quem illi, & in itinere, & in ipsorum pagis certatim summis studijs atque honoribus, maximisque gaudij, & gratulationis indicijs exceperunt. Hic igitur in eorum fines ingressus magna eorum voluntate ac lætitia sacrosanctam crucē celeberrimo loco constituit, quò quasi ad templum conuenirent. Ibi accurate Christiana mysteria edocti, paucis autem diebus adulti suam in edi scendo catechismo operam, in adducendis ad baptismum paruis suis filijs, religionis studiū Patri probare cœperunt. Itaq, complures infantes ac pueri primū, deinde eorū parētes rite sūt baptizati Nec satis habuerunt tāto ipsi bono frui, sed Ethnici æquè, & Christiani finitimos & longinquiores populos dimissis per eorum vicos nuntijs, ad cælestem, salutaremq, religionem cognoscendam inuitarunt. Magna nos spes tenet fore, vt propediem om

nes

nes barbaris exuti moribus veræ religionis beneficio humanitatem induant. Patri enim moneti, vt è ſyluis rupibus inaceſsis ad æquiorem locum commigrarent, haud ægre obtemperarunt ita à fera agreſtique vita ad humanum ciuilemq; cultum traducti ſunt. Idem Pater has regiones peragrans in populos quoſdam incidit, qui olim quidem Chriſtiana ſacra ſuſceperant, ſed multos iam annos carebant Parocho, atque cuſtode; hi uſque eo degenerauerant, ut nihil propèmodum pręter baptiſmum, & nomen Chriſtianum retinerent, Ergo ab integro ſunt ad religionem, diſciplinamq; ſedulo informati: irrita connubia reſciſſa, legitima inita; infantes ac pueri baptiſmo, adulti ſacra confeſsione expiati, & coeleſtibus epulis paſti. Ad hæc inita ratio ex ædificandi templi, atque interim locus deſignatus, quem in locum quotidie religionis diſciplinæq; cauſa conueniant. Itemq; vnus ex horum numero delectus virtute ac talium rituum ſcientia reliquis longe præſtans, quem cuncti docentem audiant. Sed nouus ſubinde caſus tantam hanc omnium lætitiam minuit, laborem noſtrorum & rem Chriſtianam auxit; Dum hæc maxime geruntur (quę ſunt occulta Dei conſilia) peſtifera quædam lues ita perſuaſit haſce regiones, vt omnia ægris & moribundis impleret. Itaque noſtri quotidie ſummo mane re diuina Deì numen placarè dies noctesq;

ctesq; in quærendis, subleuandisq; ægris quos febris æstus tectis exactos ad flumina montesq; compulerat, ponere; lustrare baptismo infantes, administrare sacramenta laborantibus moribundis adesse. Illud autem pro malis benè ac foeliciter euenit, quod et si vis morbi plurimos adolescentes abstulit, qui nostri muneris adiutores esse poterant; tamen in his præsertim oppidis, vbi templa sunt, pauci ad modum sine baptismo, aut sacramentis obierunt. omnes autem Iesu nomen inuocantes spiritum effuderunt. Atq; hæc tam foeda ac luctuosa tempestas (quod vix credibile videbatur) rem Christianam amplificauit. Innumerabiles quippe præsentis mali metu territi ad sacerdotem nostrum confluebant) quod si qui per ætatem imbecillitatemue non poterãt, se se deferendos curabant; omnesq; pariter omnibus precibus eum orabant, vt iam iam morituris baptismo cœlum aperire maturaret. Ita adulti amplius ducenti, plerique infantes ac pueri pene totidem, baptismo renati sunt, quorum pleriq; paulo post in æternæ vitę possessionem pedem posuerunt. Nec tamen in hac Dei animaduersione, eius clementia obscura fuit. Plurimis ægris per nostros diuinitus restituta valetudo qui aut Euangelio ad caput recitato aut cruce fronti impressa, aut lustrali aqua corpori aspersa, illicò pestilentię sunt exempti. Illud quoque non obscurum diuinæ

Ff pro-

prouidentiæ argumentum, quòd cum antea senilis ætas (siue quod peccandi licentia, cui assueuerant, carere non poterant, siue quod auitam superstitionem deserere nolebant) á Christianis sacris maxime abhorreret, per huius occasionem morbi senes plurimi Christianam religionem app..ierunt, & à Baptismo statim in cœlum euolarunt. In eo quoque enituit Dei immortalis prouidentia, quod cum nunquam antea hominum memoria, has regiones pestilentia inuasißet, nemo exortus sit, qui Dæmonis instinctu hanc mutatæ religionis pœnam esse diceret. præsertim vero, cum per id tempus res quædam acciderit, quæ magnam sermonum materiam præbere potuißet. Nam cum vnus è nostris in oppidũ venisset, quòd nõdum pestilentia attigerat, simulac primum oppidani baptizati sunt, morbo corripi extinguiq; sunt coepti; vt simul cum baptismo pernicies illata videretur. Sed immortalis Deus humanis consilijs longe superior, corporum interitũ cum animorum salute coniunxit, & pro incitamento religionis adhibuit quod impedimento videbatur futurum. Itaq; iam christiana res maiora in dies capit incrementa. Et Nouæ Hispaniæ Prorex satis pecuniæ attribuit ad sacras vestes, tintinnabula, instrumenta musica, aliaque neceßaria ad ornatum templi cultumq; diuinum. Ad hæc nostris sustentandis mille aureos in annos singulos assignauit,

Ab

Ac ne quid periculi, vt olim rei Christianę sit; in claustris harum regionum pręsidia militum disposuit. Idem plurimi facit societatem, quod tam arduam periculosamq; prouinciam in tanta sacerdotū paucitate susceperit. Atque etiam quidem Culiacani Regni Parochus, qui harum regionum populis cuperet, ac faueret, moriens nostris hic laborantibus tria aureorum millia testamento reliquit.

Missio Guadianica.

IN Guadianam regionem negocij causa missus est sacerdos vnus, qui non magis suum quam Dei, & incolarum negotium gessit. Nā quamdiu ibi fuit concionibus habendis, confessionibus audiendis, alijsq; societatis officijs indigenas pariter, Hispanorum iuuare non destitit. Præcipue simultates multorum, atq; inimicitias sustulit. Inter duos Hispanos generis atq; opibus claros tanta ex contentione discordiæ exarserant, vt iam vtrimque arma ad cædem pararentur. Hi tandem sacerdotis nostri intercursu ab armis discesserunt, & depositis offensionibus, eodem authore in templum maximum conuenerunt, ibique ingenti admiratione, atque approbatione populi, inter se pacem fecerunt. Duo alij diuites & honorati decimum iam annum capitali odio inter se dissidentes, nullius authoritate reconcilia-

ri potuerant, & hi per nostrum illum in gratiam redierunt; atq; alter ab altero beneuolentiæ gratia conuiuio est exceptus. Duo item alij, qui veteres inter se inimicitias exercebant, Patris concione permoti, inspectante populo depositis odijs complexu mutuo se exceperunt. Eiusdem sacerdotis opera ingens auri pondus legitimis Dominis restitutum. Vir quidam satis diues moriens nouem aureorum millia legitimis hæredibus diuidenda apud amicum deposuerat. At bonus ille amicus, cui fide potior pecunia esset contemptis monitis, minis, pœnisq; Ecclesiasticis depositũ aurum circumplexus, quasi thesaurum Draco tuebatur. Ad extremum nostri sacerdotis hortatu, Parochum vltro adijt, & omni pecuniæ summa secum delata, supplex orauit, vt anathematis vinculo absolueretur, ita ut pecunia ad legitimos Dominos, & ipse ad communionem piorum reuertit. Mexicanos porro, quorum inibi, magna erat copia idem Pater Christianis elementis instituit. Indigenis quoniam patrio ipsorum sermoni addiscendo otium non erat, catechismum in vernaculam eorum linguam ab interprete conuersum reliquit, atque ab omnibus ediscendum rite curauit. cuius deinde rei vtilitate perspecta & illarum gentium natura cognita Prępositus Prouincialis statuit, vt illi Mexicum reuersuro alter succederet, nę bene institutum opus negli-

negligeretur, neue tanta rei Christianę bene gerendæ occasio dimitteretur e manibus. compertum enim est multas esse illi oppido finitimas nationes, partim iam Christianas, sed culturæ maximé indigentes; partim Euangelicę lucis expertes, sed ab Euangelio minime abhorrentes, vt in magnam spem veniamus, tum adiungi, tum conseruari Christo posse quamplurimos.

Omnium in Christô Seruus.

FINIS.

Horatius Porsellinus:

Hæ Annuæ Literę Societatis Iesu anni MDXCIII. nihil continent contra fidem aut bonos mores.

Virgilius Ceparius Rector Collegii Florétini eiusdem Societatis, die 4. Febr. 1600.

Attenta superiori approbatione concedimus licentiam imprimendi Floren. accedente consensu R. P. Inquisit. die 4. Februarii 1600.

Alex. Caccia Vic. Floren.

Imprimatur F. Dionisius Const. Inquisitor generalis Florentiæ & Florentini dominij 4. Feb. 1600.

REGISTRVM.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRST
VXYZ.

A a Bb Cc Dd Ee Ff

Omnes sunt Quaterniores preter * Ff qui
est Duernio.

FLORENTIÆ
IN TYPOGRAPHIA
PHILIPPI IVNCTE. MDCI.

Errata sic corrige,

2 non sit, lege non sint.
5 venerant, venerat auxilium.
10 vt tacem alios, taceam alios.
27 ex prę∫criptio, pręscripto.
39 de more medius, demore medicus,
92 insolutis modis, insolitis modis.
168 episcodus, episcopus.
188 irrpuisset, irripuisset.
190 ta multo, tam multo.
209 inbis, inhis.
254 pieta, pietas.
278 leu, leni.
292 inter suo autoritate, inter sua authoritate
320 petri, patris.
320 extit, extitit.
345 camptos, campos.
348 rem erat, res erat.
350 prædiat, prædicat.
351 perlegantem, perelegantem.
352 implorate, implorare.
353 deprecaretur, deprauarent.
368 iter eos, inter eos.
381 locis sacri, sactis.
388 fetente, fatent.
434 siquæ, siqua.
436 rixit, rixis.
420 nonis, nouis.